UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Leodivm Ecclesiae Cathedralis

Rausinus, Stephanus

Namvrci, 1639

urn:nbn:de:hbz:466:1-11818

Visual Library


Th. 5711.

LEODIVM
ECCLESIÆ
CATHEDRALIS
SIVE
De Dominio, Regalibus, Mero, Mixtoque Imperio, ac Omnimodâ Iurisdictione Sereniſſimo Principi FERDINANDO BAVARO Epiſcopo & Principi Eburonum Competentibus in Vrbe Leodienſi Sacro Romano Imperio mediatè ſubiectâ.

Remotis fabulis, erroribus, & vſurpationibus popularibus.

LIBRI DVO.

Authore STEPHANO RAVSINO
Viro Conſulari Iureconſulto.

NAMVRCI, Typis Ioannis van Milſt Typog. jurat. 1639.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO,

POTENTISSIMO,

ET AVGVSTO PRINCIPI

FERDINANDO,

DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO Colonienſi, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi Electori, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato Nato, Epiſcopo Leodienſi, Monaſterienſi, & Paderbornenſi, Adminiſtratori Hildesheimenſi, Bergteſgadenſi & Stabulenſi, Comiti Palatino Rheni, Vtriuſque Bauariæ, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonij Duci, Marchioni Franchimontenſi, Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi, &c.

DOMINO CLEMENTISSIMO.

Sereniſſime & Auguſte Princeps,

Patere obſecro ad ſacram clementiæ tuæ aram munus leuicenſe accedere, ſeruitutis meæ teſſe-

ram,

ram, ſtili monumentum. Quod *Celſitudinis Tuæ Sereniſſimæ* pedibus ſupplex ingeniculabitur Leodium eſt. Non huiuſce tempeſtatis, tumultuans irreuerentiâ, nutans, aut tumens inobedientiâ,& ardens ſeditione; in quod interim propè tot expanſa ſunt admirandæ Patientiæ ad frugem reuocantis prodigia, quot ibi patrata facinorum portenta. Sed priſci inſtituti, quale olim fuit, & emaculatis maculis eſſe deinceps oporteret. Etſi per interruptionem temporum illaudabilibus vulneribus antehac irrogatis dignoſcatur cicatricoſum. Prodit laruis & præſtigijs detractis, queis quidam hodie lemures plebeculam licentioſiorem, ſoluendi iugi auidam, velut prætento libertatis pileo dementant. Ad *Serenitatem Tuam* rectà habet rectam viam. Nam ad quem potiùs? Offerunt ſe Oppidum Conditori, Politia Legiſlatori, Oppidani Domino, Subditi Legitimo Principi, incrementa Benefactori, Priuilegiorum laureolæ (quas Plebicolæ, nihil minùs quàm Publicolæ, largiloqui interpretes pluſquàm aureolas facere geſtitant) Priuilegiorum Authori. Quod tot nominibus purè putè tuum eſt,admitte vt & hoc nomine à manuſcriptoris,ſubditi,& famuli,cenſeri queat tuum. Teneo quidem Iureconſultorum paræmiam, Iure ſummo,& ſubtilioribus legum apicibus, Quæ ſua ſemel ſunt, aliunde

nouo

nouo titulo ſua iterum eſſe vix poſſe: Benigna tamen numinis ſuppletione denuò vt ſua fiant nil vetare arbitror. Cuncta à largitore omnium exeunt Deo; grati cæterùm dicimur cùm ab eo accepta, eidem referimus. Conditor, Legiſlator,& Dominus fuit Diuus Hubertus Regij ſanguinis Princeps, primus Leodicenſium Antiſtes, conſobrinus tuus. Quippe qui Materno latere Pipini Herſtalli iuxta pleroſque nepos, certè conſanguineus,à Sancto Arnulpho è Regibus Francorum Orientalium,genus duxerit; & Auguſta Domus Bauarica per Ludouicum Pium, Carolum Magnum, Pipinum Reges, & Herſtallum, ad eundem Sanctum Arnulphum referat originem. Hoc ipſo etiam Vrbis Princeps, quia auſpicatò totius Prouinciæ (cuius Legia eſt membrum) Ducatum, Marchionatum & Comitatus plures complectentis. Ad hæc, ſi à Conditore proximus habetur dotator, aut benefactor munificus, ſupra Camilli & Octauij Romana encomia, noui Conditoris & Parentis præconium iniurius ſit quiſquis denegauerit. Maiores, & Gentiles multipliciter pepererunt.

Anteceſſores Epiſcopos Bauaricæ ſtirpis reſpicimus? Quanta columina & lumina? Sanctus Theodardus, Gerbaldus, Reginaldus, Theoduinus, Ioannes, Erneſtus Bauari. Sanctus Theodardus nonus & decimus Tun-

grorum Episcopus in asserendis ab iniustis occupatoribus Ecclesiæ suæ (quæ nunc est Leodina) iuribus, & bonis vitam martyr impendit; illiusque corpus vnum est inter præcipua Cathedralis templi decora depositum, & pignus. Gerbaldus à Sancto Huberto quartus, & ex interuallo Reginaldus, & Theoduinus multa phana construxerunt. Idem Reginaldus potissimos Leodij lapideos pontes; Et Theoduinus Hoiensem Ecclesiam instaurauit, adiectis supra parem numerum quindecim Sacerdotiis, seu Canonicatibus. Quin & Nobilem Hannoniæ Comitatum ære suo cöemptum, venditori rursus in feudum concessum Cathedræ suæ tunc fecit clientelarem. Ioannes aliquam Magistratui Ciuico iurisdictionem attribuit, fors Catonis circa Macedonas, aut Adriani circa populos trans Euphratem, & Tygrim degentes, exemplum secutus. Ernestus vltrà Seminarium, & Nosocomium, illud solidæ doctrinæ Athenæum, hoc ęgritudinis inopiâ rei domesticæ simul laborantis solamen, Electioni Consulari formam pręscripsit. Duraturam in æuum, nisi morosi immorigerorum mores transilirent diuina pręscripta sapientum. De quibus Antistitibus ex Regiâ Boiorum Ducum prosapiâ per agnationem oriundis, diffusius postremo posterioris libri capite tractabitur.

ctabitur. Nithardum Reginaldi immediatum ſucceſſorem, & nepotem, optimè alioquin meritum, vt qui Comitatum de Haſpinga (Hasbaniam poſteri dixêre) Eccleſiæ quęſiuit, alioſque maternâ lineâ Bauaros, compendio ſtudens, ſtudioſè prętereo. Nolo inſuper *Serenitatis Tuæ* beneficia iſthîc commemorare, veritus ne ei qui pręſtare, & non prędicari vult, ob ingenitam modeſtiam ruborem ſuffundam. Nec loci præſentis anguſtia ferret quæ breùi plenis erunt voluminibus recenſenda.

Imus ad Imperatores, & Germaniæ Reges, ſub quibus, ceu ſub Supremis Dominis Vrbs cum toto Principatu hûc vſque ſtetit, momento ruitura, ſi (quod non pauci perduelles moliuntur) authoritatem ſemel excuſſerit? Sepono Carolum Magnum, & Ludouicum Pium Maiores Tuos in Eccleſiam oppidò liberales. Inter Bauaros Cęſares Sanctus Henricus, illius nominis Secundus, ante ſexcentos & triginta ampliùs annos Imperator dictus, occurrit, qui in genti dote Eccleſiam permanenter ditauit, communiuitque priuilegijs, in ſubditos, vt à Sole in terram radij, deriuantibus. Quotquot deinde priuilegia ab Auguſtâ domo Auſtriacâ, fæcundiſſimo gratiarum fonte promanarunt (plurima ſunt, paſsim reticitis authoribus per ora vulgi parùm grati verſan-

versantia) quidni partem deberi euincam Ferdinandi Primi Cęsaris, & Annæ Hungariæ Reginæ coniugum, per Annam auiam paternam illorum filiam Pronepoti? Et Maximiliani Primi per Isabellam Caroli Quinti sororem, Philippi Primi, & Ioannæ Regum Hispaniarum, & Belgij Principum filiam, Proauiam maternam Atnepoti? Bene sit Heroüm omnium manibus, & cineribus. Qui si postliminiò redirent in lucem, quod Sanctus Monulphus sesquisæculo priusquàm conderetur pręuidit, & prędixit, iuxtà cum ignarissimis ignorarent, & ab oculis suis mirabundi inquirerent, num ea illa sit Vrbs à Sancto Huberto condita, quam ipsimet dotarunt, locupletarunt, & tanquàm fidelem Imperio ęternùm futuram, peculiaribus voluêre exornatam fauoribus. Faciliùs Æneas Deïphobum, dum viueret formâ conspicuum, apud inferos lacerum ore, manibus, naso, & auribus truncis, potuisset agnoscere, quàm illi Leodium nunc internosse. Vniuersa nimirùm Episcopi Regalia inhonestissimis dehonestata sunt plagis, vnum omnia consauciata vulnus. Iulij Cęsaris toga à Marco Antonio in classicum explicata minoribus purpurescebat ciuicæ crudelitatis notis. Fateor, vt assiduo allisu flumina prominentes glebas littorum insensibili detrimento exedunt, indomito autem exundantis repentè torren-

torrentis accursu, edita, & plana, cliui, & colles peruaduntur. Sic aliquot subinde sæculis audaciores subditi in omnem præripiendi occasionem intenti, imperceptibili sensim dente adroserunt nonnulla Principis iura: Et de iacturâ quantumvis leui veteres non immeritò queruntur historici, modò adhuc dolent probi. Iure inquam; quia qui coronæ adhærent lapilli, & gemmæ extra priuatorum commercia consistunt. Et in sede Regiâ vel inaduertenter sedere capitale erat apud Persas. Quisquis enim imaginem Principis in minimo etiam artu, aut vngue regiminis deleuerit totius machinæ compagem dissoluerit; instar clypei Mineruæ, vbi Phidiæ artificis effigies inclusa si conuelleretur, totius operis fatiscentis colligatio excidebat. Quandoque rapidissimi ritu torrentis malo genio in seditionem (crebrior plus nimio fuit) ruentes, fasque cum iniquo confundentes Principalem quidem iurisdictionem fædè labefactarunt, sed sępiusculè in transcursu, & impetu magis, quàm deliberato consilio peccantes. Et mox, aut, vt plurimùm, non multo interiecto tempore, compressi, culpam fassi, & deprecati resipuerunt: Quibusdam, prę sertim antesignanis, pœnas luentibus. Tandem authoritate Principis ab imminentibus naufragijs saluâ enatantę. Saluâ, non vbique integrâ: plerumque

non eo minùs præcisâ è paludamento fimbriâ. Nunc porrò diuturnò, & meditato scelere delinquitur, quod non inhęret modò, sed altè insidet. Quorsùm tanta ambages? Pusiones giganteo fastu Iouem ipsum solio detrahere satagerent, Pelion Ossæ imposituri.

Næ opus Æsculapio, qui ceu regium adolescentem Hyppolitum curru deiectum, rotis & calcibus quadrigarum protritum, membratimque discerptum, proculcatam turpiter Principis Maiestatem, laniatamque & in frusta conscissam iurisdictionem animet, curet, & pristino colori restituat. Flagitia iustitiam, proteruia reuerentiam, vis & iniuria leges pessumdedêre; & velut ob obtentam de innocentiâ victoriam impunè, & palàm ouant; imò triumphant. Pars curationis traditur cognitio ęgritudinis infirmi, & sanitatis velle sanari. Quò ratio imperandi meliùs sibi constet consultum creditur, ne in obscuro lateat ius imperantis; vt hinc constanter iubeat, illinc fideliter mos geratur. Vna tot læthalibus vulneribus medela est parêre. Saluberrimum febricitantis Prothei medicamentum est obtemperationis, etiam cõactæ, pharmacum. Turnus Herdonius Tarquinio moram ex eo purganti, quod inter patrem, & filium disceptator sumptus fuisset, non perperàm respondisse multis videtur, paucis verbis

eiusmodi

eiusmodi cognitionem transigendam ; ni filius patri (subditus Domino) pareat, habiturum infortunium. Xenophon Attica Musa apellatus, octauo de Pædia Cyri libro ait, Principi obedire maximum esse bonum. Nam quod legem pectori cuiusque nostrûm profundissimè à naturâ insculptam inuertit pessimum est ; quod rationis dictamini conuenit optimum. Quàm horrida & feralis ominis foret Mundi facies, si planetæ in centrum descenderent, & tellus sursùm cęlestium globorum aulęa sordidaret ? Subditi obedientiam Domino detrectantes monstra sunt in Politico regimine luto lutulentiora. Procul à more gerendo recedunt subditi, qui pręter æthymologiam nominis, præesse, non subesse tentant, quique Domini vestem in lacinias secantes tunicam sibi consarciunt, vsu propriam facturi. O temeritatem ! eò deuentum, vt quęstionem mouere præsumant, quid in Ciuitate, & pomœrio sit Ciuitatis, quid Principis ? Illam Peripatetici vt contra prima principia, & sensum communem excogitatam, exploderent, interminato quiritatoribus lumbifragio. Ego latiorem premens orbitam operæ duxi precium veritatem Cimmeriis fabularum popularium tenebris obnuptam phœbeâ lampade retegere, & nudam remoto scenico apparatu,

cunctis suspiciendam exhibere. Exiguum opus, operosum tamen. Ad illius fortè similitudinem, qui totam Homeri Iliadem in ilio & intestino exarauit. Plus profuit Magno Cyro ius suum in Medos, & Persas ab Harpago didicisse, quàm innumeri exercitus numeros, & singulorum nomina militum, vt Themistocles ciuium, memoriâ comprehendisse. Et Mithridati ad salutem, & nouum Ponti regnum legisse quod ei Demetrius Antigoni Regis filius à patre adiuratus non eloqui, hastâ in terræ puluere scripserat, quàm duas & viginti linguas pro subiectarum multitudine nationum calluisse.

Enimuerò, *Princeps Clementißime*, hac lucubratiunculâ meridiano die pellucidiùs ostendo Legiam sub Aquilæ auspiciis, Episcopo totam competere; illius esse Regalia, & Dominium omne; nec fragmentum quidem iurisdictionis Magistratui Ciuico, aut Duabus ac Triginta Tribubus, nisi precariò, & Principum indulto inesse. Leodium vastitate corporis, non magnitudine authoritatis ab alijs Prouinciæ Oppidis secerni. Sorores omnes, ętate, & prolificatione dispares, cæterà pares. Quarum vna natu minima proletariorum feracior, eòque ferocior, proceritate eminet, reliquæ fidelitate commendantur. Ad Principem Vrbis custo-

diam,

diam, & claues, muros, valla, pontes, publicas vias, flumina, monetam, arma, merum, mixtum imperium, vitæ, necis ius, tribunalia, telonia, mulctas, remittendi, gratiamque faciendi facultatem, & quęque Dominij insignia pertinere. Consulatum, quo tantopere luxurians insolescit inescatus delirijs vsurpatæ potestatis populus, senis propemodùm sęculis ab vrbe condita obtrusum: Iactantias antiquitatis, vel Romanę originis pro nænijs anilibus habendas. Quâ parte tolerari, & legitimus ab inde fieri cœpit, Principibus deberi, & ex illorum pendere arbitrio. Electionis normam, & Magistratus robur gratiosè ab illis processisse. Verbo vno, Episcopum esse verum & proprium Leodij Dominum, æquè ac totius Prouinciæ, singulorumque Oppidorum. Non apellatione tenùs, nec trunco similem, quem Æsopi ranæ cöaxantes Regem poposcerunt, & dato illuserunt. Neque Pactitium, nexis brachijs, & legibus à populo latis vinctum; qualem effingunt qui modestiùs loqui simulant, & Thaletes populi cluent. Haut secus quàm Poëtæ Prometheum, vulturibus escam, Caucaso illigatum. Quî possit? Cum Princeps in solo suo Vrbem statuerit, & habitaturi in subiectionem venerint, nequaquàm seruili tergo imperium comportantes. Ciuium nullæ in le-

gendo Principe sint partes, nulla penès eos electi probandi, improbandiue copia. Sunto Pacta aliquot per prædecessores, cęteroquin successoribus pares, non superiores, inita: Pactitium illa Principem minimè faciunt. Non eo tantùm argumento, quod Ciues nullis vnquam stetêre pactis; quibus, cum Terentiano Phormione, Pactum non Pactum est, non Pactum Pactum est, quoties eis lubet, & eâdem linguâ vnum aiunt, & negant. Aut quod per seditionem, & vim armatam susque deque rebus turbatis suos ad iniqua fœdera adegêre Principes, qui côacti castorem imitari irrequietis istis venatoribus quandam dependentis iurisdictionis particulam abiecêre. Verùm quod illa ipsissima Pacta clamitant verum per omnia esse Principem. Ni infallibilis Themis fallit, reor id liquidò demonstrasse. Et Scææ portæ superum limen diruisse; celebratissimum compitalibus sermonibus *Pactum de Fexhe*, Principibus sub inaugurationem, vt vulgus contendit iurandum, & euertendæ Principali potestati contortum: Cui, dextrorsùm, non sinistrorsùm captum, stabiliendæ potiùs conduceret. Quin Palladium ex arce Mineruæ sustulisse. *Præscriptionem* dico, quâ tanquam supremo vrbis fato, reliquis expugnatis, nituntur.

Priuilegiis immodicè gloriantur; quæ vel proximè

à Prin-

à Principibus, vel Principum rogatu,& intuitu à Cæsaribus obtinuere. Inde turgidiores, aduersus Cæsares, & Principes promptiùs insolescunt. Quos obnoxiores, quò deuinctiores beneficiis, esse oportebat experientia testatur ingratiores. Metus saltem intra officium retinere deberet, ne frequentatæ notâ ingratitudinis, causam præberent rescissioni. Quod Augustum factitasse legimus, libertates Ciuitatibus ijs abutentibus adimentem. Ante eum, Alexandrum Macedonem in Tyrios mouisse, & animaduertisse, quod olim seruile genus ingenua capita oppressisset. Pleraque, proh dolor! solis improbis, magno proborum mœrore, vsui sunt: vt non tam beneficia videantur, quàm veneficia, nec palmæ innocentium, sed latibula sceleratorum. Xenophon de Politiâ Athenienſium sui temporis scribens, Rempublicam propterea non laudauit, quod meliori conditione malos, quàm bonos esse voluissent.

Non placet quod scurræ laudant, manipulares mussitant:

Labes populi, legirupæ, iniurij, damno, & molestiæ omnibus.

Vt abusu, sic fictione,& dilatatione deërrant, priuilegia quæ non sunt intonantes, quæ sunt suo arbitratu protrahentes. Ab hodiernis flagitijs animum nunc abduco,

vetustos

vetustos errores contueor, qui multorum mentes occuparunt. Plures detexi, & præ aliis insignem impostu-ram, Philippinam vnam spongiâ egentem annum 1208 præferentem, à Philippo Romanorum Rege Ottonis competitore nomen indeptam; quam pro incude habent, vnde libertatum, vulgò francisiarum, phaleras procudunt; aut pro equo Epeï agmina, & legiones immunitatum parturiente. Vice cuius expunctæ Philippinæ multò vtiliùs aliam Philippinam Iustinianæo Codici insertam crebrò perpenderent; quam Philippus Imperator Gordiani Iunioris successor, mille propemodùm annis hoc Philippo vetustior aduersus ingratos sanxit. *Etsi*, inquit, *perfectis donationibus in possessionem inductus libertus quantolibet tempore ea quæ sibi donata sunt pleno iure vt Dominus possederit, tamen si ingratus sit, omnis donatio patronorum voluntate reuocanda est. Nam qui obsequijs suis liberalitatem patronorum prouocauerunt non sunt digni quò eam retineant, cum ceperint obsequia negligere; cum magis in eos collata liberalitas ad obsequium eos inclinare deberet, quàm ad insolentiam erigere.* Si ita duriusculè in libertos, & clientes rerum donatarum Dominos statutum, num meliore loco censendi subditi, collatorum priuilegiorum non Domini,

sed

ſed precariâ tantùm vſurâ potiti?

Alterâ itaque Corniculâ furtiuis nunc exutâ coloribus, exemptionum paratragædiationes velut ſpiritu difflatæ detumeſcent, fusâque Iridis nube in imbrem apparebit Legia eiuſdem cum aliis Oppidanis & Prouincialibus ſortis, Fide & meritis longè pollentioribus. Non ſum neſcius obtrectatorum vicio duraturorum homini duobus Conſulatibus functo calamum ſtringere oppugnandis populi Magiſtratibus. Quibus ſtatim pro veſtibulo, ſiue in *Occaſione Operis*, ſatisfaciam; ſi calumniatoribus quicquam queat eſſe ſatis. Vt Medicus corporis morbos, corpus neutiquam inſectatur; Anarchiam & informe vſurpationum Chaôs perſequor; non Magiſtratum impeto, ſuis finibus, quibus me Conſul continui, concluſum. Dum Plebecula effera illo ſtimulante, hoc probante, diſſimulante alio, alio per formidinem tacente, Principalem, & Imperatoriam Authoritatem duplice perduellionatu, variis priùs ludificatam modis ſubuertit, & quidam præeuntes ad nequitiam Magiſtri, veluti atramentum ceruſsâ candefieri poſſet, offuciâ & pigmento iuris indigniſſimum nefas interpolant, rumpendum fuit, ſpreto exprobratorum latratu, ſilentium. Veritati & virtuti litans publico bono operor, non quærendæ

apud malignos è fumo famæ. Rem *Celsissimæ Tuæ Serenitatis*, *Dux Religiosissime*, in eâ Ecclesiæ Cathedralis, Sacri Romani Imperij, Principatus totius Leodicensis, & ipsiusmet Legiæ, intellecturæ si quando è veterno euigilauerit, in scopum mihi proposui. Annuat Deiparæ filius: Qui & *Eandem cum totâ Augustâ Domo Bauaricâ* perenni incolumitate, & fælicitate beët.

Interèa, *Heros Ter Maxime*, qualemcumque hunc laboris & memoriæ inelaboratum fœtum, quâ es humanissimâ fronte gratanter susci pe, in eo pensans offerentis obsequiosum desiderium, magis quàm oblati ornamentum. Optat, Reobsecratque

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS

Humillimus, Fidelissimus & Obedientissimus
Subditus & Famulus

STEPHANVS RAVSINVS.

INDEX CAPITVM.

OCCASIO OPERIS.

LIBRI PRIMI.

CAPVT PRIMVM.

DE Origine Vrbis Leodiensis: & explicatur locus in Iulio Cæsare de Eburonibus. Folio 10.

CAPVT SECVNDVM.

Continuatio Sermonis de Origine. fol. 26.

CAPVT TERTIVM.

Leodium non fuit ante Diui Huberti tempora. fol. 39.

CAPVT QVARTVM.

Vbi Refelluntur alia quædam antiquitatis argumenta. fol. 52.

CAPVT QVINTVM.

Leodium esse Vrbem Imperialem seu Imperij. fol. 61.

CAPVT SEXTVM.

Leodiensem Ciuitatem esse Episcopi & ei Subiectam. fol. 82.

CAPVT SEPTIMVM.

Aliæ in eandem rem Rationes. fol. 93.

CAPVT OCTAVVM.

Obiectiones Nonnullæ & earundem Refutatio. *Folio* 103.

CAPVT NONVM.

Episcopum Leodiensem esse Principem Ciuitatis, Vrbium, & Prouinciæ Leodiensis. *fol.* 107.

CAPVT DECIMVM.

Discussus error Ioannis Placentij quoad titulum Principis. f. 121.

CAPVT VNDECIMVM.

Expenditur audax Leodiensium Propositio in lite Spirensi super Commendatione Politiæ per Magistratum Ciuicum Intrusæ: & in oppositum ostenditur Episcopi & Principis Regimen esse omnium optimum. *fol.* 130.

CAPVT DVODECIMVM.

Magnitudo Iurium Episcopi & Principis Leodiensis. *fol.* 150.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Explicata vox Homines (vernaculè hommes) In Pacto de Fexhe; & falli Leodienses qui per Homines intelligunt Consules. *fol.* 158.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De Tributis, Vectigalibus & Collectis.
In Specie de Imperialibus, Circularibus, & Prouincialibus. *fol.* 166.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

An Ordinis vnius contradictio possit impedire Vectigalium Impositionem in aliorum Ordinum concordia. *fol.* 180.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.
De Immunitate Tributorum & Vectigalium. *fol.* 191.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.
De Priuilegio Philippi Romanorum Regis, quod Philippinam vulgò nuncupant. *fol.* 199.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.
De Alberto Episcopo huius Priuilegij Authore. *fol.* 207.

CAPVT DECIMVM NONVM.
Factiosos Leodij vt plurimùm à Tributis & Collectis arripere occasionem Seditionum. *fol.* 212.

CAPVT VIGESIMVM.
De Magistratu Ciuico & Consulibus. *fol.* 221.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.
De Formis Electionum Consularium. *fol.* 232.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.
Vtrum Consulatus Leodienſis ad Magistratus Romani Imitationem sit Institutus. *fol.* 241.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.
An igitur Consulatus Leodienſis nulla in re sit Romano Magistratui Similis? *fol.* 253.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.
An Consules Leodienſes habeant armatam familiam. *fol.* 265.

LIBRI SECVNDI.

CAPVT PRIMVM.

VRbi Leodienſi nullam Iuriſdictionem competere. fol.281.

CAPVT SECVNDVM.

Conſulum Authoritatem & Iuriſdictionem ab Vſurpatione Prodiiſſe. fol.292.

CAPVT TERTIVM.

Maiorem multò eſſe Politicam & extraiudicialem Vſurpationem. fol. 306.

CAPVT QVARTVM.

De Vſurpationibus Continuatio. fol. 315.

CAPVT QVINTVM.

De crebris Rebellionibus Leodiēſium aduerſus Principes. fol.320.

CAPVT SEXTVM.

Operæ & Miniſteria ſeu Tribus. fol. 337.

CAPVT SEPTIMVM.

De Tribuum Conditione. fol.346.

CAPVT OCTAVVM.

Quæ ſit Tribuum Poteſtas. fol.354.

CAPVT NONVM.

De Iure Ciuico. fol. 362.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.
De Domibus Ciuium. *folio* 370.

CAPVT VNDECIMVM.
De Foro Ciuium Leodiensium in Criminalibus causis. *fol.* 385.

CAPVT DVODECIMVM.
De Iuratis Quatuordecim in Criminalibus Inquisitionibus. *fol.* 394.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.
De Iure Franciſiarum ſeu Libertatum. *fol.* 401.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.
De Iure Armorum. *fol.* 412.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.
De Custodia Ciuitatis & eiusdem Clauibus. *fol.* 427.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.
De Muris & Vallis. *fol.* 441.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.
De Pontibus & Itineribus. *fol.* 454.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.
De Locis Communibus. *fol.* 467.

CAPVT DECIMVM NONVM.
De Mulctis. *fol.* 475.

CAPVT VIGESIMVM.
De Pondere & Statera. *fol.* 489.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

De Carcere. *fol.* 501.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Ciuitatem Leodiensem non esse caput aliorum Patriæ Oppido-rum. *fol.* 510.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

De Telonio & Moneta. *fol.* 524.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

De Pace de Fexhe. *fol.* 538.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

De Pactis Vigintiduumviralibus. *fol.* 550.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

De Pacto Tungrensi. *fol.* 562.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

De Ordinationibus vulgò Regimentis Principis Ioannis Hyns-berghij. *fol.* 574.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

De Protectore. *fol.* 585.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

De Episcopis & Principibus Leodiensibus ex Augusta Domo Ducum Bauariæ. *fol.* 601.

OCCA-

LECTORI.

PAucis Lector Sensate volui te commonendum. Epitomen rerum Principalium potiùs isthìc dedi, quàm accuratam omnium enumerationem. A diuturno morbo plus non licuit : viam saltem straui impigris æmulatoribus hoc labore accendendis. Quantillulum est ex fide conscripsi, quæ per omnem vitam vitâ charior fuit, & quamdiu suppetet, erit. Hausi autem potissimùm ab ipsismet Fœderibus & Pactis, & Manuscripto Codice Consuetudinario cunctorum penè Leodiensium manibus trito : quorum substantiam scrupulosâ interpretatione, non immutato quidem apice, pro occurrente materiâ Latinè reddidi. Cæsarum etiam Diplomata fuêre adiumento. Mirum quibusdam videbitur, at verum. Sentient Plebicolæ suis sese telis debellari. Argumenta, inquam, sinistrè ab ijs contorta, dextrè in eos retorqueri : & vbi rebantur inuenisse fabam reperturos pro fabulis suis lolium, & pro iuribus Principis triticum. Quæ autem Popularis historiæ, deprompsi vt plurimùm à domesticis Annalibus operâ quondàm Ioannis Chapeauille Protouicarij selectè compilatis. Vt plurimum : quia non pauca à vicinis Chronistis, & peregri-

nis authoribus laudatæ authoritatis. Externa & antiqua nonnunquàm miſcui, eaque è probatiſſimis Scriptoribus; partim tædium legentium inter arida & aſpera mitigaturus; partim exemplis aut ſimilitudinibus thema confirmaturus. Eodèm Sanctiones Imperatoriæ, & Reſponſa Prudentum quandoque allegata conducunt. Alius diceret & ad ornatum prædicta aliquid facere, approbante Horatio

Purpureus latè qui ſplendeat vnus & alter
Aſſuitur pannus

Nuſquàm tamen, niſi rariſſimè, authores aut legum ſitus memoraui, vt planior eſſet diſcurſus via, ne orationis ſeries velut quibuſdam ſulcis, aut hiatibus interrumperetur. Alteram ex Iuſto Lipſio poſſem addere cauſam, Quia nouitij, & Grammatici commatis illa cura videtur, & aut à vano, aut puſillo animo eſſe. Interruptionem orationis deuitaſſe dico: Non eo ſenſu, quaſi contexta ſemper ſint ſub vnum caput quæ ad illud pertinebant. Datâ enim operâ interdùm cohærentia diſiunxi, & alium in locum diſtuli; vt in varietate identitatem, varietatem in identitate proſpiciens.

Nemo porrò modeſtiam deſyderet in ſtilo qui effertur aliquoties, & in improborum caſtigationem acriter erumpit. Nolim vt pro me reſpondeat Senior Comicus in Curculione

Indi-

Indignis si malè dicitur maledictum id esse dico,
Verùm si dignis dicitur, benedictum est meo quidem animo.

Nam alienum à Satyricis scriptis pectus gero : ferre leniter iniurias, neutiquàm inferre edoctus. Cæterùm vt facinorosi à probis viris distinguuntur factis, sic publicè interest, & benè moratorum præcipuè ciuium, censuræ notâ malos dignosci. In quos solos si quid est hìc subiti aculei, defigitur : qui sunt in vrbe, quod sentina & colluuies sordium in naui. Illùc dum quis fortè despuit, nauigantium læditur nullus. Virtutem laudari conuenit, vicia vel vituperari, vel fileri. Vsurpationum origo edi debuit, vt ius Domini ab iniuriâ Subditorum assereretur. Neque origo rectè ostendi poterat, nisi detectis circumstantijs & causis vsurpantium à tumultu & rebellione auspicantium & res nouare molientium. Cum verò hodiernis temporibus seditiosorum creuerit numerus, & audacia scio futuros qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putabunt, & per alienæ æquitatis commendationem crimina sua damnari. Gloria enim, ac virtus Sontes infensos habet, vt vultus ex propinquo diuersa arguens. Illorum paruipendo iudicia : mihi sat est aberrantes in semitam reducere, publico prodesse, & probis, non inflatæ Plebeculæ, furiosisve illius Incentoribus placere.

Anti-

Antimachi nobilis vatis exemplo, qui ab auditoribus inter recitationem poëmatis destitutus, soli Platoni, omnium instar, legere perrexit. Priusquàm ordirer præuidi odiosum vulgo opus me exorsurum, ægrè scilicet laturo spolia aliquot & exuuias detrahi, opiparamque prædam, cui erepta fuit, restitui. Vnde cum primùm animum ad scribendum appuli id mihi negotij credidi solum dari, non cum Poëta in Andria, Populo vt placerent quas feciſſem fabulas (*vaniloqui vtcunque fabulosis oblectentur, serij seria seriò tractent*) *sed vt quæ obliterata apparebant Principis, & Ecclesiæ iura eruerem è ruderibus & ruinis, vtq; detersâ rubigine æquè cum reliquis splendescerent. Tu quisquis Veritati & Iustitiæ faues, veridico, iuridicoque labori faue, & eo fruere.*

OCCASIO
OPERIS.

ÆQVO animo audienda sunt imperitorum conuicia, & ad honesta tendenti contemnendus est iste contemptus: monitum est Romani sapientis. Præuideo statim futuros qui primo aspectu clamitabunt, quod istud scenæ genus, quis pugnæ, aut velitationis habitus? qui nuper delegationis suæ Viennensis ad Aulam Cæsaream pro Leodio susceptæ, quandam speciem quasi perennaturam, luci dedit, vorsis hodie gladiis, & mutatis clypeis aduersus Leodicensia iura digladiaturus in arenam descendit? Itanè Patroclus Achillem, & Ephestion Alexandrum sub vtriusque armis mentitur? aut, quod deterrimum, transfugam desertis ciuium signis, vel causa prodita præuaricatorem agit? An fortè Timagenem historicum imitaturus, qui quos de rebus Octauij Augusti historiarum libros conscripserat, repentè iratus & offensus concremauit, velut busto illo chartaceo testatus falsa esse, quæ largiore calamo exarasset? Quibus mox velim inculcatum illud veridicum. Corrigit præsentem lapsus prioris, ac de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio. Dies diei magister est: labor laborem, vt vnda vndam repercutit. Nisi peracti muneris

rationem redditurus, ſummam delegationis optima fide, & impigra ſedulitate nauatæ, typis mandari tunc permiſiſſem, non haberet de nouo inuidia quod carperet. Cum hominibus lippi oculi ſimillimis negotium mihi intercedere videtur: ſi non eſt, nolis eſſe, neque deſideres: ſi eſt, abſtinere quin attingas, non queas. Superſedeam: ſcriptis anterioribus inſidiantur, & præterita dextra, quam prehendere debebant, anſa, læuam prehenſant. Stilum ſumam, abſtentum oportuiſſe blaterant. Quid cum iſtis agas qui neque ius neque bonum, atque æquum ſciunt, melius, peius, proſit, obſit, nihil vident, niſi quod lubet. Quos ſi veritatis commonefacere poſtules, nihilo plus efficias, quam ſi des operam, vt cum ratione inſanias. Bacchis bacchantibus (vt æui ſui lautities Plautus inquit) ſi quis velit aduerſarier, ex inſanis inſaniores faciet, ſin obſequatur, vna reſoluet plaga. Vociferentur itaque dum rectam inſiſtemus viam, quam erronibus (ſi quando delirandi ſatietas ceperit) ſumus præmonſtraturi, ſeu ſaltem allucinatos, & per prauam induſtriam eos ſcripta noſtra contorſiſſe, præſens, & poſtera ætas perſentiſcat. Non longis logis, nec perplexa ambage, vllius animum ſuſpendam. Anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum viceſimo octauo, Conſulatu apud Eburones functus, in quos Auguſtiſſimus Cæſar plura Mandatorum pœnalium fulmina vibrarat, incepta iam & creſcente executione, cum cæteri Conſulares, arduam ſanè & perlaborioſam Prouinciam detrectarēt, Tribuum precibus & rogatu, priuatam quietem publicis poſthabens commodis, ſuſcepi, iniui, & intra menſes vndecim fœliciter expleui. Quam in operam, nactus in ſupremo Cameræ

Spiren-

Spirensis Prætorio, nouendiali mora, quam continuo annorum aliquot spacio speciales deputati incassum vrserant, inspectionem processuum; allegationum & controuersiarum inibi existentium epitomem compendiosam in excelsissimo Senatu Aulico protuli, adductis pro captu rationibus, quas pro tantis locorum interuallis, in maxima librorum & annalium inopia, interdum memoria suggessit, aut dictauit ingenium. Referendam reuerso gratiam conscia recti mens spondebat apprimè: & ne ipsa quidem ingratitudo humanum sortita pectus abnuisset: lapidibus, opificum instrumentis, famosis carminibus, diurnisque nocturnisque insultibus, & ad extremum numerosa cõadunatorum armatorum cohorte extra intraque proprios lares multoties appetitus. Quodque aërem haurio cælitum est, non mortalium pignus. Non minùs verè quam scitè Themistocles, plerosque Græciæ Proceres comparari platanis potuisse, ad quas sæuiente tempestate viatores confugiunt, sereniore verò cœlo non deserunt tantum, sed ramorum aut frondium armillis caput aut corpus ornant. Magnis, inquies, te solarī potes exemplis. Miltiadem Athenienses gemellis celeberrimum victorijs, quas sorores apellare solebat, trecentis Persarum millibus ad Marathonem cæsis, in carcere mori, & ne insepultus Canibus data præda marinis, abijceretur, Cimona pium filium paternas induere catenas, Themistoclem seruatæ & restauratæ vrbis authorem ad Xerxem confugere, Socratem & Phocionem Cicutam bibere, Solonem & Aristidem non minùs, quam Thesea secundum à Cecrope conditorem, fati residuum in exilio transigere compulerunt. Quum interim Oedipodis ossa

cæde patris, nuptijs matris contaminata inter ipsum Areopagum diuini humanique certaminis venerabile domicilium, honore aræ decorata quasi sacrosancta coluerint. Adeò aliena mala suis interdum bonis apud cæcum & instabile vulgus sunt gratiora. In Lycurgum Lacedæmonij æquè iniurij, quem lapidibus crebris lacessitum, & altero oculo fustibus excusso orbatum, moribus suis eligere exilium secessionis obtentu coëgerunt. Vt in confertissima Romanorum virorum Principum multitudine omittam duo fulmina belli Scipiadas, quorum ille Africanus superior, Linturni vico exiguo inter palustres lacus exul, alter Asiaticus fraterna etiam oneratus inuidia spontaneo exilium præueniens secessu, mulctam, & popularis ignominiæ notam (si notam virtuti plebis improbitas inureret) non euasit. Inferior verò Africanus idemque Numantinus in intimis domus suæ penetralibus Romæ, inultus est extinctus. An eò fit, quod beneficia eò vsque læta sunt, dum videntur exsolui posse, vbi multùm anteuenere, pro gratia odium redditur? Enimuerò ijdem Athenienses Timagoram Legatum quod Persico ritu Darium regem salutasset crudelissimè necarunt. Carthaginienses Amilcarem cognomento Rhodanum virum solertia facundiaque præter cæteros præcellentem, Iustino teste, quem ad Alexandrum Magnum toti orbi imminentem delegarant, in patriam reducem, fœdè interemerunt. Et de ijs id etiam decantatur. Quod cum sæpiùs improsperè aduersus Romanos pugnassent, impetratoque à Lacedæmonijs Xantippo duce, illius auspicijs & ductu Attilium Regulum cum triginta Romanorum militum millibus debellassent, ne victoriæ gloria

penes

penes alienigenam esset, multis tamen palàm affectum muneribus in oceano noctu demerserint. Sed premo vocem, & intempestiuis parco querelis, quæ tum demum gratæ apparebunt, cum seræ erunt. Id huiusce loci & materiæ est. Experior verum illud. Nil probat calumniator, criminatur omnia. Delegationis Compendiolum liuidis Caucaseæ Deæ oculis intuiti in varias versant partes. Admordent omnes, & vbique viperinorum relinquunt vestigia dentium. En censores ingenuos. Alij tanquam præcupidi & studiosi auiti iuris obtrectant quod plus æquo Cæsari & Imperio in Leodienses indulserim, dum Leodium esse Imperij membrum, & Leodienses Cæsaris subditos fortissimis eluctor argumentis. Piaculum & nefas clamant, ausi dictitare insignem irrogari iniuriam, quam Vulcanus solus queat expiare. Et vix abfuit à flammis. Quidam in alteram partem palmam obtinent: & cantharidum è rosis virus elicientium instar, contendunt ademisse me Principi iurisdictionem, & authoritatem Principalem, sola Episcopali & spirituali penès illum agnita. Non quod iniuriam dolerent Principi factam, aut illius Iura & Regalia, quæ remis & velis prosequuntur, integra & illæsa velint, sed vt velum aliquod suis vsurpationibus apponant corio circumtectum alieno. Perplures pro sua libidine contorquere non interpretari scripta, & inde pernicioſissimas efformare conclusiones. Nunc omnimodam ab indictionibus & vectigalibus necessarijs immunitatem præfari; nunc Comitiorum successus ex vnius solius contradictione pendere, parum valente suffragiorum pluralitate: modò alia id genus commenta impudentissima, & Reipublicæ damnosissima comminisci, & vt fucum imperi-

tioribus faciant, frontemque insolentiùs perfricent, in authorem horum dogmatum me accersere.

Fateor rabidos maledicarum linguarum morsus huc vsque spretos, ferrem adhuc, more leonis qui ad pusillorum canum latratus nec iubas quidem concutit: memor illius Sciti

Isthic est thesaurus stultis in lingua situs
Vt quæstui habeant malè loqui de melioribus.

Nec oblitus Horatianum istud,

Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret
Quem nisi mendosum, & mendacem?

At posteaquàm mecum reputo non iam causam meam verti, verùm, Dei, Ecclesiæ, Principis, publici boni, audio monentem Tullium, Iniuriam non repulsare cum possis, iniustitiam esse. Sit qui fontes publicos inficiat, aut alueo quo eos fluere oportet, auertat, qui facienti conniuet, culpam in se admittit. Sicarius sub vmbone meo latet, aut corpus meum interponit quò securiùs incautum innocentem enecet, ne patiar, vetant Leges. Nec sinunt aliena suis prædijs, aut sua alienis insignia imponi. Imò demus clientem, qui patroni Responsa prauè in obliquos trahit sensus & ex iure iniustum componit, etsi Pythagorico adiuratus foret aduocatus silentio, nemo sentiet elinguem esse posse. Certè Imperator rescripsit, Aduocatos iusiurandum subire, quod nullam iniustam causam suscipient & si quam decepti mendacijs suorum clientum suscepissent, eam deserent quàm primum iniustam cognouerint.

Ampliùs,

Ampliùs, Doctori licitum esse consilium suum in melius reformare, passim in Athenæis & Musæis traditur: & hinc euenit vt Bartolus priorem aliquando sententiam mutauerit, & crebriùs illo, non indignus præceptore, Baldus. Pari fundamento Diuus Augustinus omnium scientiarum cumulatissimus aceruus Retractationum libros sine rubore composuit. Iuuat Iustinianum ipsum Legislatorem desuper audire gloriantem: Non erubescimus si quid melius his quæ ipsi prius diximus adinueniamus hoc sancire, & prioribus imponere correctionem, nec ab alijs exspectare corrigi legem. Quanquàm delegati, non autem Aduocati officium hîc exercui, delegantium propositiones in Camerali iudicio exhibitas repetiisse contentus, nihil quoad substantiam addens, aut vltrà ornatum, & suadelam è meo assuens. Noxa caret, qui aliorum verba, aut scripta citrà calumniandi animum refert. Quin expers culpæ non est orator, qui commissa dicere prætermittit, æquè defectu ac excessu delinquens. Interpres rerum ab ipso exponendarum formula, & vinculis obstringitur, quæ si abrumpat, fidem soluit. Exemplum prototypo, copiam exemplari, imaginem corpori congruere conuenit. Fatuus sit qui speculum mendacij arguat, quod larua opposita laruæ effigiem reddit. Non speculi ea fallacia est, sed laruati personatique hominis. Agite tamen. Num quisquam vicio tribuit Apelli, quod depingens Antigonum coclitem, altero illum latere tantùm ostendit, vt amissi oculi deformitas lateret! Num Phidiæ diem diceremus, qui eburneum Olympij Iouis simulacrum inter Græciæ admiranda enumeratum sedentis specie fecit, Vulcanum itidem sedentem repræsentasset, ea scilicet corporis constitutione, quæ

pedis

pedis claudicantis notam dissimularet? Pauci æmulantur Galbam Imperatoris Sergij patrem gibberum antiqui moris virum, qui à Liuia Ocelliana diuite admodum & pulchra maritus appetitus, vicium anteà corporis posita veste detexit, ne quasi ignaram fallere videretur. Cæterùm ingenuè fateor & cœlum testor, si delegationis aut euulgationis tempore innotuisset falsitas, aut crassa inueri-similitudo eorum de quibus pro parte Leodiensium Spiræ tot annis spissigradissimè, & pulmoneis, minùsque quàm testudineis pedibus disceptatur, nunquàm in animum induxissem ea in Senatu Cæsareo reproducere, ijsve velut stabilibus, at reuera fragilissimis fulcris, inniti. Venia facilè credulitati dabitur. Lite Spirensi sum longè ætate inferior: & aduenam, non ciuem me volunt. Ad Consulatum, nec candidatus, nec petens, absque ambitu prouectus, in natas & adultas diu controuersias incidi, quarum tunc non alium quàm ex difficultatibus ipsis succum attrahere potui. Viam qui nescit quâ deueniat ad mare, Eum oportet amnem quærere comitem sibi. Litis Spirensis delibatio in delegationis accinctu, pro amne quæsito & reperto fuit, vnde in errorum oceanum erat pronum prolabi. Maximè quod Spiræ non licuit videre præter allegata vtrimque exhibita; instrumentatis & viuæ vocis probationibus, adhuc occlusis & illinc intra codices octo, hinc intra nouem volumina, sigillata omnia latentibus: inque fundandam litispendentiæ exceptionem, punctorum inibi vertentium notitia & indicatio sufficeret. Subaudio insusurrantem detractorem. Quæ igitur, inquit, Ariadne filum neuit, aut dedit, quo te tortuosis & implicatis labyrinthi mæandris expedires? quæ

Sibilla ramum ostendit, quo per cæcæ noctis tenebras in Elysios veritatis campos, peruenires? Tu filum, tu ramus, maleuole interpretator. Dum enim plus sapere œdipo, qui sphyngi interpres fuit, gesticularis, & tanquam Æsopi asinus è puteo recens egressus, nescis nisi rudere iura, priuilegia, libertates, & omnium omnia iura, priuilegia & libertates radicitùs conuellere, & carriosam tuam carinam ad Scriptionis meæ anchoram detinere, subiit me cupido reuisendi à me scripta, inque adyta sacrorum, quæ existimas, penetrandi. At Deus bone, vereor dum Palladis depositum apud nouem sorores præstantissimum reor donum perscrutari, vt Aglauron, & portentum quoddam indipiscar. Antidotum ergo ex venenorum tuorum mixtione conficiam: efficiamque vt liber iste, quo omnes in authore, & authorem in omnibus vulneras, fiat Pelias hasta omnibus, & authori ipsi. Legisse memini, Plinium Iuniorem dicere, nullum librum adeò esse malum, ex quo non aliquid boni, possit erui. Et Philippum Macedonem assiduis decem oratorum Athenienſium declamationibus in foro prosciſſum & laceratum, ijsdem gratias agere solitum accepimus, quod illis quasi pædagogis ob oculos propositis, ita quotidianæ vitę modum temperaturus esset, vt melior in dies euaderet, & feroces illos linguæ grassatores, sycophantiæ re ipsa cöargueret.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De origine Vrbis Leodienſis: & explicatur locus in Iulio Cæſare De Eburonibus.

INitium meritò ab vrbe erit, cuius gratia omnis contingit diſputatio. Non quod originis eius quæſtio, circa quam pertinace multi altercatione, fructu modico, adhæreſcunt, tanti ſit momenti, vt primum locum vendicet, ac proinde qui irrepſit error primo loco ſit eo nomine refellendus. Neſcio cur natura comparatum videatur, vt plerique omnes, iuuenes eſſe deſideremus, ſenectutem velut in mari ſcopulum auerſantes, & patriam interim noſtram ac vrbem pridem extitiſſe, alioſque diu populos anteceſſiſſe contendamus. Quid enim ad commoditatem, aut vtilitatem itinerantium refert, an hoſpitium ad quod viator diuertet paucis ab annis ſit inædificatum, an Euandrum vel Latinum Reges iactitet? Inter Scythas auaritiæ & ambitionis ignaros, & Ægytios antiqua & in hunc diem indeciſa lis de antiquitate vertitur. Vt ſtemmatum ſplendorem vetuſtate imaginum metimur, ita illi nationum prærogatiuam. Soli Athenienſes, ſi Trogo Pompeio fidem habemus, præterquam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe non aduenæ, neque paſſim

passim collecta populi colluuies originem vrbi dedit, sed in eodem nati solo, quod incolunt. De Germanis tamen simile sentit Tacitus: qui eorum opinionibus accedit qui Germaniæ populos nullis alijs aliarum nationum connubijs infectos propriam & synceram & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Vnde habitus quoque corporum quanquàm in tanto hominum numero idem, omnibus cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora. Ita ille, qui Belgicæ nostræ procurationem aliquando administrauit, & Germaniam suis non alienis oculis lustrauit. Scythæ Parthos, Bactrianosque, fæminæ autem eorum, Amazonum regna condiderunt. A Tyro per Agenorem condita, Coloniæ toto penè orbe diffusæ sunt, Carthago in Africa, in Bæotia Thebæ, Gades ad ocëanum. A Phrygibus Romani, à Germanis Belgæ vt plurimum genus ducunt. Primi Italiæ cultores Ab origenes fuere: à Græcis, Tusci, Veneti, Harpi, Pisæ, Tarquinij, Perusini, Ceres Falisij, Iapysij, Nolani, Abellani, Campani, Brutij, Cannutes descendunt. Gallica deinde iuuentus velut apum examina per Italiam volitans abactis antiquis inquilinis alicubi sedem fixit, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Pergamum, Tridentum, Vicentiam constituit. Ipsi quoque Tusci auitis sedibus vnde eos Galli pepulerant amissis, alpes Duce Rheto occupauere, & nomine Ducis gentem Rhetiorum non pœnitendam protulerunt. Cunctæ etiam alicuius nominis vrbes aut magnificis authoribus tument, aut arbitratu suo fingunt. Vsque eo vt figmentum non improbent, qui historiam profitentur. Dandam, ait Patauinus, hanc veniam antiquitati, vt miscendo humana diuinis, primordia vrbium augustiora

faciat: & si cui populo licere oportet consecrare origines suas & ad Deos referre authores, eam belli gloriam esse populi Romani vt cæteræ nationes æquo animo ferre debeant. Pergama Apollineæ structa canore lyræ, canunt Poëtæ. Et Amphionem sono testudinis arcem Thebanam instauraſſe. Enimuero Romulus (si Rheæ Siluæ matris purgatio admittitur) Martis filius Romam mundi dominam designauit. Ninus Niniuen, Semiramis Babyloniam, Cadmus Græciæ Thebas, Thebas Ægypti Solis vrbem Busiris, Athenas Cecrops (cui vrbi, Athenarum nomen vel Athis Cremaui Regis filia, vel Amphytrion imposuit & Mineruæ dicauit), Bizantium, Pausanias spartanus, Massiliam Phocenses, Tyron Phænices in Agenore, Cyrenem Aristæus Battus, Tarentum Lacedæmonij iique Spurij, Carthaginem Dido, Thurinorum Oppidum Philoctetes, Alexandriam magnus Alexander, Antiochiam Seleucus, Lauinium Æneas, Albam longam Ascanius, Agrippina Imperatrix oppido Vbiorum in quo nata erat, veteranis & Colonia eò deducta, in memoriam etiam aui Agrippæ qui eum populum in fidem acceperat Coloniæ Agrippinæ nomen indidit. A qua gente Eburones promanauerint non tam controuertitur quàm quo tempore, & à quo, vrbs primaria, Leodium nuncupata, inceperit. Ortos equidem à Germanis sicut Belgas plerosque pro constanti pono, vel Iulio Cæsare, & Cornelio Tacito supra exceptionem testibus. Cæsar sic reperiebat (de se ipso loquens) plerosque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consediſſe, Gallosque qui ea loca incolerent expuliſſe, solosque esse qui patrum nostrorum memoria, omni Gallia vexata

Teuto-

Teutones, Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuissent. Et paulò infrà, describens vires, & nomina populorum, qui in Romanos coniurarant, vbi dixit Bellouacos millia armata quinquaginta pollicitos, totidem Neruios, quindecim millia Atrebates, Menapios septem millia, addit, Condrusos, Eburones, Ceresos, Pæmanos, qui vno nomine Germani apellantur ad quadraginta millia arbitratos. Iterùm non obscurè libro sexto. Segni, inquit, Condrusique ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones, Treuirosque, Legatos ad Cæsarem mittunt Oratum, ne se in hostium numero duceret. Cum antea libro quartò Eburones & Condrusos Treuirorum clientes apellasset. Non minùs clarè Tacitus de moribus Germanorum. Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tongri, nunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen non gentis eualuisse paulatim, vt omnes primùm à victore ob metum mox à seipsis inuento nomine Germani vocarentur. Idem tractatu eodem. Treuiri & Neruij circa affectationem Germaniæ originis vltrò ambitiosi sunt, tanquàm per hanc gloriam sanguinis à similitudine & inertia Gallorum separentur. Treuirorum clientes, vt proximè prædixi, Eburones Cæsar agnoscit, sicut sub Neruiorum tunc extitisse imperio Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, & Gordunnos. Rursum historiæ Augustæ libro vigesimo, dum audita per Gallias Germaniasque Vitellij morte, Ciuilem societate Agrippinensium auctum omissa dissimulatione in Romanos irruisse scribit, Claudio Labeone Tungrorum, & Neruiorum tumultuaria manu resistente, freto loco quia

pontem mosæ fluminis anteceperat, subijcit in hæc verba, Pugnabaturque in angustijs ambiguè, donec Germani tranantes terga Labeonis inuasere: Simul Ciuilis intulit se agmini Tungrorum & clara voce: Non ideo, inquit, bellum sumpsimus, vt Batani & Treuiri gentibus imperent. Procul hæc à nobis arrogantia: accipite societatem, transgrediar ad vos seu me ducem, seu militem mauultis. Mouebaturque vulgus condebantque gladios, cum Campanus ac Iuuenalis ex primoribus Tungrorum vniuersam ei gentem dedidere. Labeo antequam circumueniretur profugit. Ibi Tungros vt Germanos compellatos, inque societatem eapropter tentatos palam est: & germana parum fide desciuisse.

Maiores Eburonum Germanos fuisse scimus. De parente, cunis, vagitu, & ætate vrbis non pariter conuenit. Popularem sententiam & Spirensem propositionem sequus existimaui Delegatus, iam de tempore Iulij Cæsaris vrbem adultam & excisam, Inductus argumentis Spiræ in processu allegatis quorum primum & potissimum est eiusdem Iulij locus libro quinto. Ipsissima verba sunto. Diebus circiter quindecim quibus in Hyberna ventum est, initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige, & Catiuulco, qui cum ad fines regni sui Sabino, Cottæque præsto fuissent, frumentumque in Hyberna comportauissent, Induciomari Treuiri nuncijs impulsi suos concitauerunt, subitóque oppressis lignatoribus magna manu ad castra oppugnanda venerunt ——— Mittitur ad eos colloquendi causa C. Carpineius eques Romanus familiaris Q. Titurij, & Q. Iunius ex Hispania quidam qui iam ante missu Cæsaris ad Ambiorigem ventitare

titare consuevuerat. Apud quos Ambiorix in hunc modum loquutus est. Sese pro Cæsaris in se beneficijs plurimum ei confiteri debere, quod eius operâ stipendio liberatus esset, quod Aduaticis finitimis suis pendere consuesset, quodque ei & filius, & fratris filius ab Cæsare remissi essent, quos Aduatici obsidum numero missos apud se in seruitute & catenis tenuissent. Neque id quod fecerat de oppugnatione castrorum aut iudicio aut voluntate sua fecisse, sed coäctu Ciuitatis, suaque esse eiusmodi imperia vt non minus haberet in se iuris multitudo, quam ipse in multitudinem. Ciuitati porrò hanc fuisse belli causam. Quod repentinæ Gallorum coniurationi resistere non potuerit. Id se facilè ex humilitate sua probare posse, quod non adeò sit imperitus rerum, vt suis copiis se superare posse confidat; sed esse Galliæ commune consilium omnibus hybernis Cæsaris oppugnandis, hunc esse dictum diem, ne qua legio alteri legioni subsidio venire posset, habere se nunc rationem hospitij pro beneficijs Cæsaris monere, orare Titurium pro hospitio vt suæ ac militum saluti consulat: Carpineius & Iunius quæ audierant ad Legatos deferunt. Illi repentina re perturbati, etsi ab hoste ea dicebantur, non tamen negligenda existimabant: Maximeque hac re permouebantur, quod Ciuitatem ignobilem atque humilem Eburonum sua sponte populo Romano bellum facere ausam vix erat credendum. Hactenus Cæsar Nam prosequi qualiter Romanos è castris profectos tanquàm ab homine amicissimo Ambiorige persuasos ipse Ambiorix cum suis Eburonibus, atra non eburnea fide, collocatis insidijs bipartitò in siluis oportuno atque occulto loco sit adortus, & cecîderit circumuen-

cumuentos, non est nostri instituti. Præscripta disertis verbis attexui, quòd inde probatum satagant, nuncupatione Ciuitatis, eaque geminata, iam tunc Leodium vrbem fuisse. Quàm debiliter & infirmè paulo post videbimus.

Ioannes Goropius Becanus in Atuaticis multò vetustiora prædicat, & cum eo Hubertus Thomæ Leodius. Leodij nomen (scribit ille) à Leode Oenopis filio ductum videtur, non ob soni tantùm sed ob vitæ etiam ipsius & Ciuitatis conuenientiam. ———

Leodes enim inter procos Penelopes magno crateri (è quo cyathisabat) semper assidebat, vel quo faciliùs & promptiùs sibi hauriret, vel ne veneno vt quidam volunt, vinum inficeretur. Et quamuis hanc poculorum suauitatem sequeretur, solus tamen inter procos fuit, cui sociorum vita proteruiæ, iniuriæ, contumeliæque plena, displiceret. ———

Minimè videtur absurdus eorum sermo, qui dicunt Leodium ab Oenope conditum fuisse. Quod credibile ita contigisse. Vt Oenops ætate grauis, & erroris diuturni pertæsus, hîc sibi habitandi locum delegerit, cui nomen indiderit filij absentis, quò eius saltem recordatione frueretur, cuius præsentia nunquam fruiturus esset. Sic nescio quo præcentore, concinit Becanus.

Quæ quidem nihilò mihi esse videntur seciùs quam insomnia: & Becanum iocosè & per deridiculum magis quam seriò loquutum: Nec magnam profectò deberent ei Leodienses gratiam, qui specie accersendæ ab antiquitate alicuius vmbratilis commendationis, multibibos, & potatores strenuos iam antiquitùs eos faceret, ad Leo-

dem,

dem, rarum & memorabile magni gutturis exemplum, nominis æthymologiam reducendo. Faceſſat, itaque quod poëticè non hiſtoricè ad hanc materiam inſigni audacia ibidem adſtruxit, Quicunque illi Græcorum fuiſſent, qui ad ripam Moſæ oppidum condidiſſent, cui in honorem Oenopis à filio nomen feciſſent, fateri eſſet neceſſe eos ante Germanorum ſiue Cimbrorum aduentum illud erexiſſe. Docendum prius fuiſſet Græcos Oppidum illud ad Ripæ moſam condidiſſe, & illi nomen Leodium fuiſſe: cuius interim nominis apud neminem veterum & proborum authorum ne nebula quidem.

Pontus Hauterus Delfius de veterum ac ſui ſæculi Belgio diſſerens, etſi non ad Troiana vt Becanus tempora reſpiciat, mediam tamen ætatem Eburonibus tribuit, quos Tongris vetuſtiores facit. Quaſi Cornelij Taciti æuo, qui ſub Traiano Imperatore vixit, Tungri antea obſcuri, qui ſub Iulio Cæſare Eburonum fuiſſent clientes, ex clade eorundem, quos Cæſar funditus deleuerat, & ſumma cura ad internecionem conquiſiuerat, ac crebris Treuirorum rebellionibus, caput exerere & attollere inceperint, magnis ſubinde incrementis. Vult inſuper Eburonum fines admodum amplos fuiſſe (quod in medio relinquo, non anguſtos arbitrans, cum inueniam apud Cæſarem Catiuulcum dimidiæ partis Eburonum regem vocitatum): oppida verò humilia & ignobilia, inter quæ tum eminebat maximè oppidum Eburonum. Indicans nimirùm non fuiſſe vrbi nomen Leodium ſed Euroniam. De Tongris quos putat Eburonibus iuniores mera coniectura: de oppidis autem, & illorum potiſſimo Eburonia, extra textum hiſtoriæ, & infra probabilitatem.

Quod libri secundi capite vndecimo subnectit, verisimilius paulò. Vrbe Tungrorum ab Hunnis euersa, ciues superstites ea deserta Leodium concessisse, ibique ædificasse, & inde Leodium creuisse. Quod non aliter exaudiendum, quàm in locum vbi nunc est Leodium debellatos, & profugos Tongrenses immigrasse. Ne interim herbam porrigam fortiores vrgent rationes. Cladem Tungrorum, post decennalem, si fas est, obsidionem, Troiæ instar, cuius sobolem venditant, anteriorem multò esse Leodiensi oppido, & secundùm annales domesticos ita attritos & accisos ab Attila Hunnorum rege quingentis armatorum millibus stipato, vt nullus stragi superfuerit. Non quod velim inficiari, vrbem hanc ab exiguis cepisse initijs, & natam, priusquam adolesceret, arctis vagiisse cunis. Vrbes namque vt cætera quæque ex infimo nascuntur: deinde quas numina & sua virtus iuuant, magnas opes, magnumque nomen sibi interdum faciunt. Quod ipsi vrbium gentiumque reginæ Romæ obtigit, quæ à minimis, imò ex pudendis profecta principiis, propria postmodum magnitudine laborauit. Haud incongruum foret Legiam à Tungrorum ruina sumpsisse accrementum, si historia nobis rei illius indicium traderet. Ita Romuli vrbs in totius propè orbis vrbem est conuersa, dum temporis progressu Tullus Hostilius Albam, Tarquinius Priscus Corniculum, Camillus Veios diruerunt: dum Seruius Tullius Pomærium extendit, successores, nouos vrbi colles iunxerunt, & Romani Latinos tandem iure Ciuitatis donarunt.

Quidnam igitur ad expressa Cæsaris verba Ciuitatem Eburonum bis ingeminantia, si vrbem fuisse negamus?

Cum

Cum Iurisconsulto, Inciuile esse nisi tota lege perspecta responderе. Quia persæpe vna pars legis, aut alterius cuiuscunque orationis, aliam declarat. Consiliarijs litem Spirensem tractantibus euenit quod cupidis & credulis amatoribus, qui crudam aliquam amicæ vocem, præter verum sensum, sanè præter loquentis mentem, non rarò pro captu, & voto suo, amplectuntur. Quasi pueri ad repertam fabam effusè gestiunt; sic illi ad simplex Ciuitatis nomen thesaurum è penu Cæsaris eruisse videntur, creduliores, ideoque faciliores ad errorem, quia vehementer exoptarent. Quem quidem errorem promptiore facilitate & grata æquè credulitate, secuti sunt successores, dum auium congregum more præeuntes inspiciunt, & quò illæ volant non quò volandum sit, aduertunt. Quod si maturè non perfunctoriè tantùm, Cæsarem ætatis suæ eloquentissimum iuxta ac fortissimum, expendissent, nec se, nec sequaces in istos allucinationis casses immisissent. Non Apollinis magis est verum oraculum, quàm Ciuitatis nomine gentem ipsam & nequaquam vrbem oppidumue aliquod in Iulij Commentariis significari. Quandò scribitur Ambiorigem interpretibus dixisse, quod castra Romanorum coäctu Ciuitatis non sua voluntate oppugnasset, & Ciuitati hanc fuisse bellandi causam, quod repentinæ Gallorum coniurationi resistere non potuerit, intelligi coactu gentis suæ Eburonum id feciſſe, & Eburonum gentem Galliæ rebellanti resistere non valuisse. Quod etiam additur, delatis quæ audierant ad Legatos, maximè hac re permotos quod vix erat credendum Ciuitatem ignobilem atque humilem Eburonum sua sponte Populo Romano bellum facere

ausam, non aliò trahi potest, quàm gentem & nationem Eburonum non esse ignobilitatis & humilitatis suę respectu Romanorum, ignaram, vt sola Rómanis bellum auderet indicere: quos sciret orbis dominos, & Cæsarem legionibus omnibus in hyberna dimissis imperitantem, domuisse vniuersam Galliam, Heluetios debellasse, & Ariouisti Germaniæ potentissimi regis infregisse copias. Cæsarem ipsum habeo huius mei responsi dilucidum autorem, & assertorem, qui in ijs ipsissimis commentarijs sub Ciuitatis nomine, nomen gentis duntaxat, comprehendit, & non obscurè sparsim indicat nullam Eburonum vrbem fuisse. Non grauabor distinctiùs & explicatiùs rei huic insistere, quò, discussis tenebris, quas tenebriones aliqui inconsultò, nolim ex composito, circumduxerunt, lucem præluceam. Accipe, vbi totam Heluetiorum gentem nuncupat Ciuitatem. Heluetij Oppida sua numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua priuata ædificia, incendunt, frumentum omne præterquàm quod secum portaturi erant comburunt. Omnis Ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuisa est. —— Capitum Heluetiorum millia erant ducenta sexaginta tria. —

In commemoranda Ciuitatis Neruiorum calamitate ex sexcentis ad tres senatores, ex hominum millibus sexaginta, vix ad quingentos, qui arma ferre possent se reductos esse dixerunt. ——

Sueuorum gens est longè maxima & bellicosissima Germanorum omnium. Ij centum pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa ex suis finibus educunt, Reliqui qui domi remanserunt se atque illos alunt. Hi rursus inuicem anno

post

post in armis sunt, illi domi remanent. –

Ad alteram partem succedunt Vbij, quorum fuit Ciuitas ampla atque florens vt est captus Germanorum, & paulò qui sunt eiusdem generis etiam humaniores, propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant.

Viden' Neruiorum Ciuitatem dici gentem Neruiorum quæ non erat Oppidum sed populus, vt eodem libro paulò altiùs Cæsar dixerat, Neruios quinquaginta millia armatorum promisisse; & proximè, cum Cæsar per Neruiorum fines iter fecisset, discebat ex captiuis, Sabin flumen ab castris suis non amplius millia passuum decem abesse, trans id flumen omnes Neruios consedisse, aduentumque ibi Romanorum exspectare. Viden' eâdem opera, promiscuâ haberi vocabula Gentem & Ciuitatem, dum nunc Ciuitatem Heluetiorum dicit, nunc Sueuorum gentem. Modo rursùm repetito Ciuitatis nomine, tradit Vbiorum Ciuitatem amplam fuisse & florentem. Quidni Vbiorum gentem? Planissimè. Vrbs Vbiorum Agrippina Colonia, quæ Agrippæ Augusti genero, siue Agrippinæ nepti natales suos ascribit.

Redeo ad Cæsarem. Ciuitas Treuirorum longè plurimum totius Galliæ equitatu valet, magnasque habet copias peditum, Rhenumque tangit. In ea Ciuitate duo de Principatu inter se contendebant.

Exoculatum esse oporteat, qui isthîc per Ciuitatem Treuirorum, aliud quam gentem Treuirorum accipiat. Etenim etsi dum scribebat Cæsar, erat vrbs Treuirorum, quam Cismontani ducentis & mille annis Romam præcessisse existimant, non potuit ideo per Cæsarem eo loco

innui. Quod illa vrbs ad Moſellam ſita, Rhenum non attingat, non paucis illinc diſſita paraſangis. Nec ſtipiti & bardo vllus perſuaſerit, dicturum aut cogitaturum Cæſarem, quod vna Treuirorum vrbs totam Galliam robore & flore equitatus præcelleret, & magnis peditum copiis polleret.

Audio ſubiungentem. Cæſar exercitum in hybernis collocat, legioneſque in plures Ciuitates diſtribuit; ex quibus vnam in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit; alteram in Neruios Q. Ciceroni, tertiam in Eſſuos L. Roſcio; quartam in Rhemis cum T. Labieno in confinio Treuirorum hyemare iuſſit. Tres in Belgio collocarat, his M. Craſſum Quæſtorem & L. Minutium Plancum & C. Trebatium legatos præfecit. Vnam legionem quam proximè trans Padum conſcripſerat, & cohortes quinque in Eburones, quarum pars maxima eſt inter Moſam & Rhenum, qui ſub imperio Ambiorigis & Catiuulci erant, miſit. His militibus Q. Titurium Sabinum, & L. Aurunculeium Cottam legatos præeſſe iuſſit. Atque harum tamen legionum hyberna (præter eam quam L. Roſcio in pacatiſſimam, & quietiſſimam partem ducendam dederat) millibus paſſuum centum continebantur.

Lentè & attentè quiſquis legit, expendit tranquillè, Quod legiones Cæſaris ſint in plures diſtributæ Ciuitates. Eæque Ciuitates ſunt Morini, Neruij, Eſſui, Rhemi, Belgium, Eburones. An Belgium (cæteras nunc ſepono) Oppidum & vrbem fuiſſe tunc aliquis dixerit? Apage, nemo vigilans ſomniauerit. Neque magis ſpeciosè vllus Eburones eſſe hîc vrbem figuret: cum Scriptor maxi-

mam

mam illorum partem inter Mosam & Rhenum collocet, & minorem proinde cis Mosam. Qui id vrbi Leodicensi moliatur attribuere, proniùs Dianæ Hecate vestem consarciuerit. Adhæc legiones & cohortes quinque pro hybernis in Eburones missæ, non in vrbe consederunt, sed ad Vatucam hyberna & castra habuerunt Iulio narrante. Cuius verba sunt.

Copiis in tres partes distributis Cæsar (dum scilicet Ambiorigem impigrè prosequitur) impedimenta omnium legionum ad Vatucam contulit. Id castelli nomen est. Hoc fere est in mediis Eburonum finibus vbi Titurius atque Aurunculeius hyemandi causa consederant. Iste erat locus castrorum, vbi Ambiorix tot beneficijs, Pop. Rom. & Cæsari adstrictus, legionem, & cohortes dubio marte aggressus, subdolis verborum datorum artibus incautos duces cum copiis allexit, & postmodum cæcîdit, pugna & victoria simul erubescenda. An autem pro Vatuca, vt exemplaria passim continent, legi debeat Varuca, quemadmodum arduo conatu Becanus & Hubertus Thomæ proponunt, non verruca, nec titiuilicio quidem empsitem. Superuacuis abhorrens disputationibus. Ne inani curiositate librum, quantulus futurus est, exaugeam, quasi Didymum Grammaticum ab inferis reuocaturus: quem ferunt quatuor millia librorum scriptitasse, dum Homeri patriam, veram Ænææ matrem, Achillis certum genitorem inquirit, & problematicè num Anacreon libidinosior an ebriosior, Sappho meretrix an concubina tantum fuerit, aliasque id genus gerras & nugas, indagat.

Metuo vt nauseam multitudine pariam. Adijcit Cæsar.

Quid

Quod cum tribus legionibus ad flumen Aſcalden quod influit in Moſam extremaſq; Arduennæ partes perrexiſſet, quò cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat, Amplius. Cæſar ad finitimas Ciuitates nuncios dimittit, omnes euocat ſpe prædæ ad diripiendos Eburones, vt potiùs in ſiluis Gallorũ vita, quam legionariorum periclitaretur. Iterumque. Cæſar ad vexandos rurſus hoſtes ptofectus magno cõacto numero ex finitimis Ciuitatibus, in omnes partes dimittit: omnes vici, atque omnia ædificia quæ quiſque conſpexerat incendebantur, præda ex omnibus locis agebatur. Finitimæ vtrobique Ciuitates, ſunt, niſi maximè fallor, finitimi populi.

Cornelium Tacitum ne taceam res per ſe hortatur. Cum in tractatu de Germanorum moribus (ſi modò ipſius eſt, ſic reor, non Suetonij Tranquilli opus) ſæpiuſculè ad præſens inſtitutum accomodatè loquatur. De illorum matrimonio in hunc modum. Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert. Interſunt parentes, & propinqui, & munera probant. Munera non ad delitias muliebres quæſita, nec quibus noua nupta comatur, ſed boues, & frænatum equum, & ſcutum cum framea gladioque — Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa — Publicatæ pudicitiæ nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum inuenerit. Nemo illîc vicia ridet, nec corrumpere, & corrumpi ſæculum vocatur. — Melius quidem adhuc eæ Ciuitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe & voto vxoris ſemel tranſigitur. Sic vnum accipiunt maritum, quomodò vnum corpus, vnamque vitam, ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tanquam

quam maritum sed tanquam matrimonium ament.

O auream Germaniam, & aureum verè seculum vbi aurei isti mores! Ad materiam hanc facit: quod probatissimus scriptor, instar Cæsaris, gentem & Ciuitatem confundat, & vt vniuocas vsurpet & manifestìm per Ciuitates populos intelligat non vrbes, dum in quibusdam Ciuitatibus lege cautum, inquit, solas nubere virgines. Itaque sublatus est offensionis in Ciuitatis voce lapis, in quem imprudenter & inexploratè aliorum fidem sequuti antehac Viennæ incurrimus. Fatendum est præterea ex Cæsare & Tacito colligi haud obscurè nullam tunc temporis in Eburonibus vrbem visam. En tibi Tacitus. Nullas Germanorum populis vrbes habitari (Heluetios inter Germanos non recenset) satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti, ac diuersi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificijs. Suam quisque domum spacio circundat, siue aduersus casus, ignis remedium, siue inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem, aut tegularum vsus: materia ad omnia vtuntur informi, & citra speciem aut delectationem. Quod generaliter scribit Tacitus nullas Germanorum populis habitari vrbes, non inuenio quî excludantur, Germani populi, qui Germanorum apellationem cunctis Germaniæ populis acquisierunt. Cæsar non posset mea sententia luculentius. Magno cõacto numero ex finitimis Ciuitatibus, in omnes (Eburonum) partes dimittit, omnes vici, atque omnia ædificia quæ quisque prospexerat, incendebantur. Vici omnes, ædificia omnia flammis absumpta. Non perciisset implacabili exæstuans,

ira Cæsar oppido & vrbi, nec omisisset commemorare vindictam, si quoddam extitisset oppidum. Eòdem tendit quod præinseruerat, dum vndequaque in fugitiuum irruit Ambiorigem. Erat manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quod se armis defenderet; sed in omnes partes dispersa multitudo, vbi cuique aut vallis abdita, aut locus siluestris, aut palus impedita, spem præsidij, aut salutis offerebat, consederat. Ambiorix autem, latebris, aut siluis aut saltibus se insequentium potestate eripiebat, & noctu occultatus alias regiones, partesque petebat non maiore equitum numero, quam quatuor, quibus solis vitam suam committere audebat. Quis dubitet si præsidium, si oppidum, munitusve locus fuisset, quin multitudo, & Ambiorix maximè, sese illuc recepisset, aduersus inuadentium & cursitantium insultus?

CAPVT SECVNDVM.

Continuatio Sermonis de origine.

OCcurrit in memoriam Pomponius Iurisconsultus. Vrbs ab vrbo apellata est: vrbare est aratro definire. Et Varus ait Vrbum apellari curuaturam aratri quod in vrbe condenda adhiberi solet. Oppidum ab ope dicitur, quod eius rei causa mænia sunt constituta. Sunt tamen qui oppidum dictum existiment, quod eò priuati opes suas conferant, sed quod Pomponius tradit verius est Alciato approbante. Neque vrbs & oppidum plus quàm æthymologia verbi discernuntur. Licet Laurentius

tius Valla ex quo per antonomasiam Roma cœpta est Vrbs vocari, cæteras vrbes frequentius oppida tantùm vocari arbitretur. Et Cæsar cuius toties meminisse debemus, Oppidum à Britannis vocari dicat, cum siluas impeditas vallo atque fossa munierunt quò incursionis hostium vitandæ causa conuenire consueuerunt. Ciuitas ab vrbe & oppido multum differt. Vt post Alphenum Marcellus ait, Vrbs est quæ muro cingitur, Quam cum locis manuque sepsissent, eiusdem coniunctionem oppidum, vel vrbem apellarunt delubris distinctam, spaciisq; communibus. Populus autem, qui est talis cætus multitudinis, Ciuitas est; vt ex Marco Tullio Gregorius Tholosanus refert. Solebant enim antiqui (Romanos intelligo) iunctis bobus tauro & vacca Hetrusco ritu in condendis vrbibus, aratro sulcum facere, intra quem, oppidum muniebant, ædificabantque: id religionis causa, & auspicatò fiebat, quò eius loci penates & genios magis propitios haberent. Vnde intra eum circuitum non licebat sepulcra construere, quod huiusmodi feralibus contaminari sanctum municipiorum ius, polluique vrbis genius videbatur. Collectio quidem hominum intra vrbem eandem sub ijsdem legibus Ciuitas specialiùs vocatur: generaliùs autem multitudo intra eiusdem Prouinciæ & ditionis territorium communibus adstricta Legibus, sub eodem capite viuens. Qualiter in Cæsare & Tacito vsurpari notius euadit, quam operæpretium sit repetere.

Premamus quam sumus ingressi viam. Quando Leodium non fuerit, promptius est differere, quam quando esse inceperit. Iulij tempestate nulla adhuc eius iacta fundamenta, liquidiusculum est. Becanus quem supra

allegauimus, existimat Leodium eo ipso conditum loco quo Ambiorix millibus passuum circiter duobus à Vatuca Romanorum aduentum præstolatus, furcarum Caudinarum memoriam ijs refricauit. Vtpote cum maior pars agminis in magnam conuallem descendisset ex vtraque eius vallis parte subitò se ostenderunt, nouissimosque premere, & primos prohibere ascensu, atque iniquissimo Romanis loco prælium committere ceperunt & tandem non sine longa & acri pugna specie amicitiæ deceptos, & in insidijs deprehensos oppressserunt, perfidia haud inulta. Cæsaris (inquit Becanus) verbis, iter Romanorum à Vatuca (ipse Varucam mutata littera surrogat) ad eam vallem, in qua est Leodium, sic est depictum, vt vix apertiùs & locis conuenientius explicari possit. Sunt enim à Vatuca ad vallis ipsius profunda supercilia, duo passuum millia, quo loco Arduennæ siluæ hac regionis parte fuit exordium, per quam secundum Mosæ ripas ad Labienum via fuit rectissima. Iam & nomen vrbis multò post in hac valle conditæ satis declarat huius nostræ sententiæ veritatem. Galli enim huius incolæ hanc sermone suo Romano, vt vocant, LIEGE nominant, quasi Legionem dicerent. Ita Becanus. Quod dicit, multò post vrbem eo loci exædificatam non inuitus subscribo. Nam aliquot interceſſere sæcula pugnam illam inter, & vrbis extructionem. Et Legia Leodium diu anteceſſit. Ænigmata ne me profari censeas, cum Legia & Leodium hodie vnum sint, addo. Memorabilis ab hac funesta pugna conuallis effecta, quam morte sua Legati duo viri Principes, cum tot fortissimis militibus nobilitarant, effecit vt annorum decursu, siluestrem paulatim formam exueret,

& in

& in vilia primò tuguria, rusticasque casas, in vicum deinde, & postremò in vrbem coäleſceret, vt de vrbe sua cecinit Propertius

Hoc quodcunque vides hospes, quàm maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam, collis & herba fuit.

Paucis immutatis Leodius non falsò agnouerit.

Hoc quodcumque vides, quàm maxima Legia fulget
Tempore Cæsareo, monsque, nemusque fuit.

Statim ab illata clade reor parentatum qualitercunque occisis, & Legatis, Aquilifero & quibusdam alicuius notæ ductoribus constituta sepulcra, vel ad Romanum ritum militarem, cuius Ambiorix rudis esse non poterat, cui cum Titurio tessera hospitalis erat, vel Germanico & auito more. Quorum alterum præ altero neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. Si victores patrio more exegerunt, monumentum ex cespite fuit, Tacito præceptore. Funerum (Germanos innuit) nulla ambitio: Id solum obseruatur, vt corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Sepulchrum cespes erigit; monumentorum arduum & peroperosum honorem, & grauem defunctis aspernantur. Quid si per victores non ea cura curata? Et præceps ad consiliorum, conatuumque executionem Ambiorix Libitinæ minùs quam Bellonæ apparenter tunc meminerat, & nescio an non ex Cæsare nimiam illius approperationem à curandis hostium iustis abstractam, facilè sit coniectare. Hac victoria (Cæsarem audi) elatus Ambiorix statim cum equitatu

in Aduaticos (Brabantos, meo & plurium scriptorum sensu) qui erant eius regno finitimi, proficiscitur. Re demonstrata, Aduaticisque concitatis postero die in Neruios peruenit. Incuriam eo casu, seu negligentiam, aut contemptum hostium, suppleuerit postea Cæsar, deletis internecione Eburonibus. Quippe militum suorũ amantissimus, quos viuos immodicis præmijs, fato functos inusitatis afficeret honoribus: & qui ad istius cædis nuncium pro immenso luctu, barbam, & crines promiserit, eiurato quod prius non poneret, quàm vindicasset. Ad quem modum ex interuallo Germanicus sub Tiberij principatus initia, Imperij quod à suis vltro deferebatur contemptor, in Arminium mouens haut procul Teutoburgiensi saltu in quo Vari & legionum eius reliquiæ iacebant insepultæ, sextum post tantæ cladis annum, primum extruendo tumulo cespitem posuit, gratissimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius; Dum integer qui aderat exercitus trium illarum legionum ossa nullo noscente, alienas reliquias, an suorum humo tegeret, omnes vt coniunctos, vt consanguineos, aucta in hostem ira, mæsti simul & infensi, condebant. Illîc siue Ambiorigis in hostem eundemque hospitem qualicunque commiseratione, siue Cæsaris egregia pietate, aut veros aut inanes tumulos potioribus Ducibus positos, ex titulis, qui in hunc remanent diem constat. Aurunculeæ platea & porta (Aurotas corrupto idiomate indigitant) ab Aurunculeio Cotta legato nomen retinent. Sabinæ superior & inferior viæ, à Q. Titurio Sabino legatorum altero, qui contra collegæ sententiam castra relinquenda, & hosti fidendum, tenaciter obtinuit, nuncupationem

tionem accepere. Et sunt qui à L. Petrosidio Aquilifero, qui pro castris ad quæ à pugna inuictus retrocesserat, fortissimè dimicans occubuit, Petrosi, aut Petrosidij collem deriuent. Ab his tumulis, quia succisis partim arboribus amæniſſimus ad fertilem Mosæ fluminis ripam locus, & lucus apparuit, tuguriola agrestia erigi cæpta, quæ sæculis succedentibus, in molem præsentem excreuere. De Legia, quam tam à Legione cæsa, quàm à Legia riuulo qui ex Antiarum vicino vico, in conuallem vbi est vrbs defluit, non ineptè deriuemus, mentionem reperio multoties factam, priusquam instituendæ vrbis cogitatio quenquam subiret. Gentilitij annales rem celebrem de Legia in Beati Monulphi vita denarrant, qui S. Domitiano in Antistatu Tungrensi successit vel vt alij volunt primus fuit Tungrensium Episcopus. Nam Elegiam castellum vbi Diuus Maternus Treuiros à Principe Apostolorum mortuus & post dies 40. resuscitatus traditur, procul à Legia Eburonum, in Gallia scilicet propè Argentoratum colloco; & mecum Ægidius à Leodio vallis aureæ religiosus qui ad gesta D. Materni aliquid conscripsit. De Monulpho sic ille, B. Monulphus Dionantum visitaturus castrum hæreditariè suum (is Reguli Dionantensis fuit filius) in proficiscendo cominùs conspicatur villam in valle sitam inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus & fluuiolis per prona decurrentibus, valdè delectabilem & irriguam: nam ab Occidentali & Septemtrionali plaga mõtibus & siluis maximis claudebatur, per meridianam verò partem Mosa fluuius reducto & curuato paulùm sinu ambiens inaccessibilem faciebat, sed qua Orientem spectabat adiri facilius poterat, montanis à

Mosa

Mosa aliquantulùm recedentibus, seseque iuxta eius ripam quinque ferè milliaribus vsque Traiectum clementer extendentibus. Distat & à Tungris versus meridiem vix tribus milliaribus. Hunc locum cum B. Monulphus cum suis comitibus intrasset, captus situ & amænitate eius substitit, vocabulum loci quæsiuit, Legiam nominatam audiuit; moxque prophetiæ tactus spiritu, Eia, inquit, adstantibus, locus quem Dominus ad salutem multorum suorum fidelium Elegit, & quem per merita cuiusdam serui sui postmodum magnificè illustratum summis Ciuitatibus æquabit, Statimque descendit, locum orationis designauit, constructam ecclesiam in honorem Sanctorum Cosmæ & Damiani Domino consecrauit. Traditione acceptum quod B. Monulphus ex alto Legiam despiciens, rutilantem crucem animaduerterit in loco futuri Martyrij glorioßissimi Pontificis Lamberti, quæ è terra ad cæli cacumen protendebatur. Antiquior Monulpho sanctus Seruatius vltimus qui Tongris resederit Episcopus, dicitur ecclesiolam In honorem Diui Petri in initio montis publici (nunc est insignis Collegiata Ecclesia eiusdem nominis) visitasse, & in loco super Legiam orationem fudisse, Angeloque reuelante didicisse eodem loco in sui ipsius honorem (est modo parochialis S. Seruatij Ecclesia) templum aliquando construendum. Quodque ex tempore iuxta scipionem Limpidus fons scaturiuerit, qui etiamnum hodie perdurat.

Molanus de Menelogio Belgij optimè meritus, tractans tempora Leodio priora, non semel Legiam inculcat, in Indiculo. Dum inquit, Cum sicariorum manus sanctum Theodardum Tongrensem aut Traiectensem Præsulem de-

de iniurijs Ecclesiæ suæ irrogatis expostulaturum in Alsatiam vsque insequuti, eius caput in frustra secantes, corpus membratim dilaniassent, Eius corpus postmodum suo quasi iure postulauit discipulus & successor Martyr Lambertus, tandemque obtinuit & in Legia Villa publica quæ nunc est Leodium tumulauit circa annum Christianum 658. In Diuo Lamberto vrbis patrono non dissimile narrat idem Molanus. Impius Dodo in Villa Legia orantem sanctum Lambertum, & per modum crucis expansum ante altare Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani per satellites suos lancea perforauit. Sepultus est beatissimus Martyr apud Traiectum in Ecclesia sancti Petri, vnde post duodecim annos translatus est cum sede Cathedrali à beato Huberto ad Villam Legiam, tunc quidem ignobilem Lotharingiæ Vicum, sed martyrio & miraculis S. Lamberti nobilitatum.

Ne Lectorem liberalium artium studiosum curiosumue dimittam, pauculum verborum de Villa interfabor in gratiam priscæ originis cuius hodie plerosque fastuosos & ansatos forsitan puderet. Villa à vehendo quasi vehilla dicitur, quod in eam ruri fructus conuehantur ex agris. Sicut enim domus propriè in vrbe est, ita villa ruri. Vel si malis, villa à vallo, id est ab aggere terræ, quod pro limite constitui solet. Villa apud Iurisconsultos in vrbanam & rusticam diuiditur. Rustica est ea pars villæ quam colonus inhabitat. Vrbana est ea pars quam Dominus sibi recepit: quæ quia elegantius ædificari solet, & est quasi vrbani nitoris, vrbana apellatur Columella assentiente. Cur Legia nunc Villa absolutè, nunc Publica adiecto epitheto vocata penes aliquos reperiatur non as-

sequor. Nisi à Publi?o monte iuxta quem pedetentim dilatata & extensa fuit, vel à publica & famigerata clade Romanarũ Legionum. Non sum nescius apud Romanos fuisse Publicam extra & iuxta vrbem ad quam iussu Senatus peregrini nonnunquam Legati, quibus in vrbem non erat accessus, diuertebant. Vt in Liuio quandoque pluribus locis adnotaui, & peculiariter decade tertia libro decimo in hæc verba, Q. Fuluius Gillo legatus Scipionis Carthaginenses Romam adduxit, quibus vetitis ingredi vrbem hospitium in Villa publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est. Id videor assequi, vsque ad hanc horam Prætorem & Subprætores Leodienses nuncupari Villicos à Villa, quæ olim fuit, at nunc est Oppidum ampliſſimum. Villicos in iure nostro administratores Villarum dicimus. Non malo posteris documento, vt quasi in patulo speculo originem suam, Villam nimirum sordidulam contemplarentur. Qualiter factitasse memorant Regem Syracusarum Agatoclem figuli filium & fictilibus calicibus & vasis bibere & edere solitum, in generis sui recordationem. Vbi nunc sunt qui omnia manibus pedibusque obnixè faciunt vt in Ambiorigem, aut quod vetustius est in vnum procorum Penelopes, nominis sui æthymologiam conferunt, & Cæsare longè antiquiorem vrbem deprædicant? Desperabunt posthac, quantùm suspicor, peruincere quod tam impotenter expetunt. Mille & amplius ab Oppido passibus Vicus ostẽditur Arduennam versus, cui nomen Embourg. Qui ab Ambiorige nomen duci contendet, non me habebit aduersantem. Non quod ibi vrbem à suo aut alieno nomine Ambiorix statuerit, aut antiquum & fabulosum Leodium eo

vsque

vsque fuerit porrectum, prout cum errantibus dëerraui aliquando; sed quod Ambiorigis regia pro captu & habitu priscæ gentis & æui eo potuerit esse loco ex Cæsaris verbis coniecto qui Basilium cum equitatu ab Ambiorigem insequendum præmissum, domi propè eum oppressisse innuit, & magnæ fuisse fortunæ omni militari instrumento, quod circum se habebat erepto rhedis equisque comprehensis ipsum effugere mortem. Sed hoc quoque factum est, inquit, quod ædificio circumdato silua vt sunt fere domicilia Gallorum, qui vitandi æstus causa plerumque siluarum ac fluuiorum petunt propinquitates (Viculo D'embourg totum conuenit) comites familiaresque eius angusto loco equitum nostrorum vim paulisper sustinuisse: illis pugnantibus illum in equum quidam è suis intulit, fugientem siluæ texerunt.

Becanus curiosiore quàm certiore indagine ortum & causam nominis Eburonum inquisiuit & totidem penè verbis edidit. Tungri primi pulsis Gallis sedes has circa Rhenum occuparunt. Post eos multi alij & inter eos Neruij. Alia deinde manus Rhenum transmisit, qui quod proxima quæque occupata essent, hinc à Tungris, illinc à Neruiis, & alijs diuersis, eos inuaserunt, quos putarent minimè strenuos esse. Cum Tungris igitur frequentes concursus, leuiaque certamina commiserunt, quorum quia Tungros iam diuturnæ quieti assuetos tæderet, fœdera inita sunt, quibus pars Tungrici agri horridior nouis daretur colonis. Iuramento igitur adstricti in viciniam Tungrorum sunt admissi, atque ea de causa Eburen nominati. qua voce vicini iureiurando deuincti notantur. Sed ij tandem Tungros Imperio exuerunt, atque in

tantam detruſerant ſeruitutem, & abiectionem, vt tempore Iulij Cæſaris, vix quiſquam eorum, aut rationem habuerit, aut fecerit mentionem.

Philopæmenis quidem, quem Græcorum vltimum dixere, placuit ſemper dignum Sibillynis folijs reſponſum. Eam magni pendendam doctrinam, quæ ad facta tendat, & per quam melior quis fiat, & ſapiat; non quæ ſtultæ loquacitatis ſit tinnitus, & inertis otij inſtrumentum. Nequeo abſtinere tamen quin calculum hîc interponam. Tungros fuiſſe Germanorum primos qui Rhenum tranſgreſſi hos occupauerunt agros, vix ne vix quidem Treuiri aſſentientur, qui ſuam vrbem mille & ducentis annis vrbe Principe Roma antiquiorem triuiali verſu iactant. Nec ſcio quibus argumentis inter Tungros & Eburones ætatis inſtituitur comparatio, vt iuniores Tungris Eburones aduenæ, veteres inquilinos parte agri ſpoliaſſe aut mulctaſſe ferantur: cum externis & domeſticis hiſtorijs inuicem collatis & rectè penſatis, vero proximum appareat eundem fuiſſe Tungrorum & Eburonum populum, qui belligerante Cæſare ſub Eburonum nomine inualuerat, ſcribente autem Tacito Tungrorum denominationem obtineret. Ac profectò Cæſar exactiſſimus rerum quas conſcripſit perſcrutator, & præcipuè originis gentium cum quibus acie decertauit fidelis exarator, qui tam accuratè cætera tradidit, non erat omiſſurus hanc tardiorem Eburonum cis Rhenum immigrationem, & crebras cum Tungris antiquis colonis pugnatas pugnas, pugnarumque fortunam.

Becanus facile mihi perſuaſerit poſt expugnatos per Cæſarem, & occiſione occiſos Eburones, profundo ſilen-

tio

tio demersum Eburonum nomen: eò maximè, si quas reliquias casus secretioribus in latebris reseruarat, quod ita Eburones, à quibus defectio inceperat, Romanis essent exosi, vt ad vnam vocis syllabam, pauciorum eiusmodi residuorum certissima immineret exstirpatio. In admirationem rapior quod Cæsar, qui à clementia & lenitate incomparabiliter apud omnes audiuit, tam immani ardore, ne furore dicam, in Eburones exarserit, vt Cæsarem videretur oblitus. Illis & Neruiis sub potestatem suam redactis, cum matureſcere frumenta inciperent ad bellum Ambiorigis profectus, per Arduennam siluam, quæ est totius Galliæ maxima, atque ab ripis Rheni finibusque Treuirorum ad Neruios pertinet, millibusque amplius quingentis in longitudinem patet (Cæsaris verba sunt) L. Minucium Basilium cum omni equitatu præmiserat, ipse cum tribus Legionibus in extremas Arduennæ partes, Ambiorigem, venatoris instar indagans tetendit, præda ex omnibus locis acta, Vicis & ædificiis cunctis incendio consumptis. Neque tunc extincta bellicosa gens. Multi ex suis finibus egressi, se suaque omnia alieniſſimis crediderant, quidam occultis vallibus, aut aquosis paludibus, aut spelæis iugisve silueſtribus abditi, ad tempus manus hostiles euitarunt. Nam pauco interiecto tempore tota Gallia iterùm coactis equitum octo millibus, & peditum circiter ducentis quadraginta millibus, Commio Atrebati, Viridomano Heduo, & Vergasilauno Auerno summa imperñ tradita, inuenio Eburones in huius belli confectionem aduersus Romanos terna militum millia adhuc submiſtrasse, cum Hedui millia triginta quinque, Atrebates quatuor,

Rauraci & Boij triginta, Bellocassi, Lexouij & Aulerci terna etiam millia suppeditarent. Valdè tunc Eburonum vires imminutæ, qui terna tantum millia suppetiis mittebant, cum ante quadraginta millia poterant. Compressa postmodùm multo sanguine rebellantium multitudine, nondùm tanto cruore exsatiata Cæsaris ira, denuò in Eburones crudeliter erupit. Hercium, qui Cæsaris commentarios suppleuit, in testem do. Cæsar ad deuastandos depopulandosq; fines Ambiorigis proficiscitur, quem perterritum atque fugientem cum redigi posse in suam potestatem desperasset, proximum esse suæ dignitatis ducebat, adeo fines eius vastare ciuibus, ædificijs, pecore, vt odio suorum Ambiorix, si quos fortuna fecisset reliquos, nullum reditum propter tantas calamitates haberet in Ciuitatem. Cum in omnes partes finium Ambiorigis aut Legiones aut auxilia dimisisset, atque omnia cædibus, incendijs, rapinis, vastasset, magno numero hostium interfecto, aut capto, Labienum cum duabus Legionibus in Treuiros mittit.

Tametsi deriuationum nominum occasionibus incumbere, operam sit ludere, & parui ad mores referat ea quæstio, cum sæpius casu quàm ratione impositio nominum euenerit, vt Alba à candida cum albente fætu sue, Tyberis à Tyberino Rege ibi merso, Praga Boëmiæ caput, à limine vernacula Boëmorum lingua denominentur: Vbi à ratione interim nomenclatura est oppidorum, Ttudonienſis, Hoyensis, & Dionantensis, à sancto Trudone, Hoyo fluuio, & Dione siue Venere; non tamen improbem Eburones à Germano Eburem aptè duci posse, non quod ij vicinis Tungris iureiurando essent obstri-

obstricti, sed potius vicinis Aduaticis, & Treuiris, quorum erant clientes. Cum à Cæsare satis edoceamur Induciomari Treuiri nuncijs impulsum Ambiorigem suos concitasse, & oppressis subitò lignatoribus magna manu ad oppugnanda castra venisse, & Eburones Treuirorum fuisse ea ætate clientes. Necnon aut eosdem Eburones fuisse itidem Aluaticorum clientes, vt Becanus disertim exprimit, sed non ita clarè Cæsar aperit, vel cum Aduaticis societate colligatos, quod Cæsar luce luculentiùs profert. Eò factum, vt Legione & cohortibus Quiritum cæsis, abiecta mora in Aduaticos profectus sit, quibus concitatis, postero die in Neruios peruenerit. Seu clientela vtrimque, seu altrorsùm societas duntaxat, illìc clientum iureiurando sacrata fides, istíc iuratum sociorum fœdus processerit.

CAPVT TERTIVM.

Leodium non fuit ante Diui Huberti Tempora.

NOn in Diui Huberti decus aut decorem, vrbis Leodicensis fundationem adduco. Cælites animarum ornamentis, non fucis corporum, sepibus mœnium, aut domiciliorum laquearibus oblectantur. Apostolorum Princeps Sanctus Petrus, neque Antiochiam vbi primam sedem habuit, neque Romam, in quam transtulit, muro, fossa, circumdedit, aut ædificijs exornauit; nec minùs ambæ eo gloriatæ sunt, potiore quàm Conditoris titulo. Vrbis Leodicensis gloria erit eum ferre & reuereri fundatorem,

datorem, quo, quàm Oenope, Leode, Ambiorige, aut quocunque Errone, vel ſuſurrone, fælicior multo fuit: ex ignobili illuſtris, ex Villa & Vico vili vrbs, & rudi ſacrorum (nam dum Villa eſſet, quin Chriſtianæ fidei radiis illuminata fuerit, inædificatæ per interuallum duæ eccleſiolæ inducunt me vt credam) ſacrorum eſt velut effecta ſacrarium. Ruſticorum Macedonum numero me nouus Alexander hac in parte poſſet inſerere, qui veris nominibus rem quamcunque citra inuolucrum deſignabant. Credidi delegatus Leodium non debere Diuo Huberto niſi cum Epiſcopatus tranſlatione, augmentum vrbis & ornatum. Dico & ſentio hodie Leodium ſe totum ei debere. Annales omnes tàm peregrini quàm populares vno iſtud ore buccinant, Eccleſiæ Leodicenſis traditio habet, rationum efficacium pondus ſuadet: quibus ſeorſim, nedum vniuerſim, qui pertinaciter refragetur, de Parmenidis aut Nauſiphanis ſchola eum eſſe oporteat, qui ex his quæ videntur, nihil magis eſſe quàm non eſſe docebant, aut Protagora incertiorem de omni re in vtramque partem ex æquo diſputante. Et in hoc de illo concordant ſcriptores quod vrbi à ſe conditæ, parens ipſe & Legiſlator iura & leges fixerit, vænalium rerum pondera & menſuras præſcripſerit, & qui nouo populo ius dicerent iudices (Scabinos quatuordecim) dederit. Eadem traditione pro comperto eſt quod Crucem auream in ſcuto rubro (vulgò Peronam, Latiniùs Pinum rotundam) inſignium loco vrbi ſuæ eſſe voluerit, ad exemplum & memoriam Crucis illius glorioſæ, quam B. Monulphus Angelico miniſterio viderat & præuiderat radiantem ſupra locum vbi euoluendis annis Sanctus Lambertus

bertus purpureo Martyrio, percussorum mucrone, Legiam erat consecraturus. Pro signatorio annulo ordinauit eiusdem Martyris sculptam effigiem cum circumscriptione, SANCTA LEGIA ECCLESIÆ ROMANÆ FILIA. Instituit etiam supremum vrbis Prætorem, quem Villicum vocauit, qua voce & nunc vtuntur; quasi Præfectum Prætorio, eaque dignitate Theodoricum Comitem de Osternia siue Lossensem, Sancti Lamberti Martyris fratrem, primum inuestiuit. Singula enarrare non attinet, quia mei non est instituti; sitientibus sat est fontem peruium ostendi, è quo hauriant. Annales prostant passim, ad eos confugiendum. Ratio quæ vltra scriptores, pro conditore facit, à re ipsa promanat. Nulla indicia, circumstantiæ nullæ, apparent, quod Leodium extiterit ante D. Huberti præsulatum. Legia ad illum vsque, & Diui Lamberti obitum Villa fuit dicta. Nam Vsuardus Caroli Magni contemporaneus qui eiusdem iussu Martyrologium compilauit, Sanctum Lambertum Martyrij Laurea coronatum apud Legiam Villam publicam scribit. Et ipse S. Lambertus ab Ebroino tyranno, qui Theodorici Regis Oeconomus fuerat, expulsus, Faramundo quodam in locum intruso Stabuletum se non Legiam contulit, & post septenne exilium in sedem Episcopalem restitutus, resedisse apud Legiam non comperitur, sed solitudinis & solitariæ orationis causa, modicam domum iuxta oratorium SS. Cosmæ & Damiani extruxisse, vbi Dodonis scelere inter nocturnas preces humum cruentans cœlos recreauit. Episcopatus Tungris, aut Traiecto, (penès alios sit hæc quæstio historica) non fuit Leodium translatus, nisi duodecimo circiter præsulatus

D. Huberti anno, vrbe tunc scilicet ab ipso condita. His denique omnibus, quæ per veteres Annales dediſſe, & inſtituiſſe S. Hubertus traditur, præterita, & præſens ætas, vſa eſt permanenter. Quæ de alio Conditore finxit aut nimia auiditate arripuit quiſquis allegationibus Spirenſibus occaſionem præbuit, imaginem veri non habent, & rimarum plena vndequaque perfluunt. Neque commenta illa nouis abſque figmentis ſuſtineri poſſunt. Vt ſimplex veritatis eſt vultus, ita falſitas quantumcumque colorem à fucis & mendacijs mutuetur, tanquam ſorex proprio tandem indicio perit. Non ignoro Villæ & Vici vocabulum non ſemper vbique & apud omnes eodèm accipi. Nam in antiqua ordinum Germanici Imperij deſcriptione apud Ioachimum Gultenium per quaternarios numeros gradatim diuiſorum: poſteaquam quatuor Duces, quatuor Vicarios, quatuor Marchiones, quatuor Comites Prouinciales, quatuor Caſtrenſes, quatuor Comites ſine adiecto, quatuor Barones, quatuor Equites & ſtrenuos Milites enumerauit (tametſi ſingulorum ordinum numeroſus extet numerus) eandem loquendi formam continuans, ſubijcit quatuor eſſe Vrbes Imperiales, Auguſtam Vindelicorum, Aquiſgranum, Metas, Lubecam; pagos quatuor, Bambergam, Seleſtadium, Vlmam, Hagenoam: quatuor Vicos, Coloniam, Ratisbonam, Salisburgum, Conſtantiam: quatuor Villas, Ambergam, Orlemundam, Lichtenauiam, Ingelhæmiam: quæ nihilominus ſingula ſunt bonæ notæ Oppida. Antiquitas ibi in ſuis epithetis qualem qualem cauſam reſpexerit: at cum Legia quondàm Villa, nunc Oppidum, & ex vili Vico Vrbs effecta traditur, orationis connexus Villam

lam & Vrbem diametro separans, euincit, quod dum Villa erat, Vrbs non fuit. Cæterum vt poëticæ artis præceptor, qui discipulo suo quicquid audendi potestatem facit appositè interim monet

Ne quodcunque volet, poscat sibi fabula credi

quia humanum ingenium adeo veritatem pro vnico & adæquato obiecto habet, vt fabulas pro fabulis porrectas & sic veras fabulas ægrè admittat nisi veritatis remota saltem apparentia delibutas: sic contrariæ opinionis assertores, quò eam speciosam aut plausibilem populo proponant, vestem probabilibus quibusdam consutam argumentis seu veriùs argumentorum depictis integumentis attexunt. Agmen ducit obiectio ab inopia & egestate Nobilissimi Principis Huberti è Ducibus Aquitaniæ & Regibus oriundi: cui non suppetiisse opes in nouam istius magnitudinis vrbem opponitur. In precio precium semper fuit, & vereor vt erit.

Fœcundâ virorum
Paupertas fugitur, totoque accersitur orbe
Quo gens quæque perit.

Meos tamen questus, Satyricis melius querimoniis hoc in loco admiscuerim —— *In Sacro quid facit aurum?*

Si horridus & asper victus Fabriciorum & Curiorum non est ad palatum delicatulorum, quorsùm spacioſa agrorum iugera, seruorum & ministrorum cohortes, Mydæ thesauros, aureos Pici montes, in viris Principibus desiderare, qui vt Deo cunctorum largitori famularentur, ijs omnibus repudium miserunt?

D. Huberto Bertrandus Aquitaniæ Dux pater fuit, mater Hugberna & regio vterque genere, qui Pharamundum regem inter Maiores suos iure recensebant. Materteram habuit S. Odam pientissimam fæminam, Boggis Ducis viduam, quæ materno affectu comes indiuidua nepoti adhærebat. Vberes diuitiæ Hubertum tanto prognatum genere sequebantur, cum Bertrandus genitor, Princeps potentissimus cum Hilderico Rege bis iusta acie conflixerit, & toties illius vires attriuerit, fracto militum robore, & nobilitatis flore. In vxorem duxit paris splendoris virginem Floribanam Dagoberti Comitis Louanienſis filiam, ex qua Floribertum dignum parente natum, & in Episcopatu ab inde successorem sustulit: verùm puerpera emisso in lucem fælici partu dolorum pressuris exspirauit. Plurima isthîc possem scitu digniſſima de vita gestis & meritis Diui in medium proferre, sed cum intra cancellos instituti præsentis stilum cohibere velim, ne longius excurram remitto cupidum Lectorem ad R. D. Ioannem Roberti Andainum Societatis IESV Sacerdotem & S. Theologiæ Doctorem optimis disciplinis, & purioribus Musis instructissimum, qui peculiari eoque docto & accurato libello rem totam peractam dedit. Ex Leodicensis Ecclesiæ Breuiario de opibus id non omitto. Hubertus in Episcopum susceptus statim ea quæ ex temporalibus suis bonis sibi supererant in pios vsus erogauit. Ciuitatem Leodiensem extruxisse, sedem pariter Pontificalem Tungrensem ibi fixisse, ciuibus iura, leges, mensuras, & pondera, quæ etiam modo perseuerant, instituisse, sigillumque publicum hac inscriptione dedisse notatum, SANCTA LEGIA ECCLESIÆ

RO-

ROMANÆ FILIA, constans traditio est. Ita quotannis recitatur 3. Nou. ipso S. Huberti festo. Quò istud, inquies, pertinet? Pontificalibus decoratus insulis, statim fortunas suas in pios erogauit vsus, itaque non eas in vrbis ædificationem impendit, quam etiam non statim ab adeptione dignitatis molitus est, à moribus indubie & spiritualibus primitùs exorsus? Eò conducit, priuatas Conditorum opes, posse conducere, non verò sufficere ad condendarum vrbium conatum & decus. Maioribus geniis opus est. Vt præstantissimos domi & foris duces, familiæ moderatæ & frugi vt plurimum pepererunt, parci Lares Oppidis amplos Penates nonnunquàm intulerunt. Romulus Romam condidit, pastor vberibus lupæ nutritus; Hubertus Leodium non conderet, Regius Princeps, in sinu Diuæ Odæ materteræ suæ educatus? Rheæ Siluiæ filius adijciendæ, nouæ vrbi, multitudinis causa, vetere consilio condentium vrbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam è terra sobolem mentiebantur, locum inter duos Lucos, Asylum aperuit, & ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine liber, an seruus esset, auida nouarum rerum profugit. Hubertus Hugbernæ Regiæ fæminæ filius, iactis nouæ vrbis fundamentis, quæ fraterno nequaquam vt Romani muri sanguine maduerunt (vtinam eodem diu elogio, & nostris præteritisque retro sæculis Legia gloriari potuisset?) non opus habuit tuba classicum dare, vt eo signo promiscuæ gentes tutò & impunè in Asylum confluerent. Fidei & religionis Magnes, sanctitas morum, splendor natalium, designatum Martyri Lamberto permagnificum templum, sacræ eius reliquiæ illúc trans-

ferendæ, miraculorum indefinens fcaturigo, honorificus Epiſcopalis ordinis apex, eſca & illecebra erant vicinis & diſtantibus, prouincialibus & aduenis. Hubertus qui pro Dei amore reſiduum fortunarum largitione non illaudabili profuderat, oppidò multos eo ſæculo facilè reperit imitatores, qui Eccleſiæ & Vrbi ſuis facultatibus non eſſent defuturi. Multa extant monumenta inſignis liberalitatis Regum, Ducum, Comitum & Baronum iam ab initio naſcentis Eccleſiæ Leodienſis: nec Carolus Martellus Saracenorum & infidelium malleus, quo Alpaidis matris peccatum expiaret, fuit benefactorum poſtremus. Inſtauraſſe Vrbem, operoſum erat opus: nec illo inferius. Quod amplam Eccleſiam in honorem immaculatiſſimę Virginis Mariæ Sanctique Lamberti Martyris fundauit: triginta Canonicos (duplicatus ab inde numerus) ad diuinum cultum ibidem inſtituit, quos largis reditibus dotauit, vexillum rubrum, in quo eiuſdem Deiparæ, & tutelaris Lamberti effigiatæ ſunt imagines, contulit. Eccleſiã à Cathedrali parùm diſſitam ſub inuocatione S. Petri Apoſtolorum Principis etiam ædificauit in pede montis Publici quindecim Canonicis in eadem collocatis, cõmuniter conuicturis, qui temporis progreſſu duplicati è Conuentualibus Sæculares ſunt effecti. Dicitur præterea in monte-Cornelij vbi nunc Carthuſiani degunt, Arcem ædificaſſe, & in ea habitaſſe. Necnon Aquilam auream, quæ Traiecti ſupra templum Sancti Seruatij conſtiterat, in S. Lamberti Templum tranſtuliſſe. Nimirùm Vrbem pro Eccleſia condidit, non pro Vrbe Eccleſiam extruxit. Sacros cariſſimi Præceptoris cineres (illum enim cum Oda matertera ſanctiſſimus Præſul

Præsul exhortationibus suis ad mundi contemptum & renuntiationem olim induxerat) conueniente decoraturus tumulo rarissimam Basilicam paucis imparem excitauit, eo intentiore cura quod frequentibus visionibus à Deo admonitum se sentiret, vt in locum vbi vigilantissimus Pastor nocturnorum prædonum telis occubuerat ossa eius transferret. Hinc Legiam, è Villa à se Vrbem factam, *Sanctæ* epitheto, insignire voluit, quod quæ signo purpureæ Crucis à terra in sublime porrectæ pridem demonstrata, Martyris Patroni sanguine irrorata & consecrata, nuper fuisset, tunc eiusdem corporis honestaretur deposito. Obligationis pariter vinculum ea compellatione vt & filiationis Ecclesiæ Romanæ titulo posteris æquè ac exorientibus municipibus inijciens, mores iuxta diuinam legem componendi, & pro Romana orthodoxaque Religione plus quam pro aris & focis depugnandi. Non quod tales fuisse semper Legios contendam, sed, quid eos facere oporteat, ex conditoris voto & instituto significem. Phana certè nuper prophanata, Deiparæ imago bullis suis, & donatiuorum cultu spoliata, abstracti per vim ab aris ad quas confugerāt innoxij, sanctissimi Patroni Lamberti ædes bellicis luce palam concussa tormentis, Rector Societatis Iesv iugulatus, plures Collegę vulneribus confossi aut saucij, Ordo Carmelitarū Discalceatorum edicto proscriptus, cœnobium illorum in vsus ciuicos conuersum, & hæc omnia impune, non sanctos, sed sacerrimos redolent. Scio non omnium esse facinus, queror inultum. Aliam Epitheti rationem qui prioribus cumulauerit ab Ecclesiarum & Ecclesiasticorum multitudine (vnde Sacerdotum Paradisus vulgò audiit)

audiit) non aberrauerit. In iure nostro res sacras dicimus ædes sacras ritè ad ministerium Dei dedicatas, & Vrbis Romæ muros sanctos, sancita in transsultores mortis pœna, quod ad municipiorum muros extendi, Sabinum rectè respondisse Cassius refert. Et Imperatores ipsi Episcopos & Sacerdotes vocant Sanctissimos, quibus eo nomine honorem & reuerentiam exhibent. Et pro Regula iuris inualuit, quicquid in sacratis Deo rebus & Episcopis iniustè agitur, pro sacrilegio reputari. Deinde quod in eximiam laudem cedit, in obuio sit enumerare Leodicenses Episcopos magno numero in album Cælitum relatos. Huberto tamen, etsi prophetiæ dono etiam claruerit, non existimem hanc postremam causam fuisse causæ vt Legiam Sanctam apellaret, sed potiùs priores duas, quod antequam conderetur, sacrata iam esset Lamberti Martyris sanguine, quem Populo nouo Conditor imitandum proponebat. Neque dum Conditorem Vrbis agnosco ea in magnitudine & excellentia Vrbem dedisse profiteor, in qua vel hodie cernitur, vel priore potiùs æuo præcelluit. Quicquid sit eam perfecit: cũ perfeciſſe is dicatur qui ita consummauit, vt iam in vsu esse possit. Ars æmula est naturæ, nil est perfectum quod ab imperfecto non processerit. Quæ per aëris spacium gyros circumagit hyrundo ouis est excluſa: & Ales ipse Iouis armiger, qui fixo aciei obtuitu tempestatem exspectat, pullus ouo itidèm prodiit: & Vrsus rudem massam & informem in catulos lambendo efformat. Rex animantium omnium homo quam lento gradu adolescit.

—— *Fuit illa dies, qua semina tantùm*
Spesque hominum primæ, matrisque habitauimus aluo.

Editus

Editus in lucem iacuit sine viribus infans,
Mox quadrupes, rituque tulit sua membra ferarum,
Paulatimque tremens & nondum poplite firmo
Constitit.

Cecropis, Amphytrionis & Theseos tempore Athenæ fuerunt, sed Pyræeum & Longos muros (quos viginti quinque circiter milliariorum fuisse aliquando legi) successores adiunxerunt. Romam condidit Romulus, non ademit ideò secuturis Regibus materiam gloriæ ex amplificanda & decoranda quærendæ. Tullius Hostilius adæquatis solo publicis priuatisque Albæ tectis, duplicato Romanorum ciuium, adiectione Albanorum, numero Cælium montem Vrbi addidit, & Ancus Martius, dum Politorium, vrbem Latinorum, vi cepisset, omnemque multitudinem Romam traduxisset, Auentino monte nouos hospites inclusit, & paulo post Ianiculum Ponte sublicio tum primum in Tyberi facto Vrbi coniunxit: & tandem in eam Romam emersit quæ inter Vrbium & Regnorum Admiranda Admirandum vnicum fuit. Post accrementum, iure mortalium decreuit, Honorius illam contraxit, post Belisarius, Narses, & Summi denique Pontifices: è quibus Adrianus Primus muros eos, qui nunc extant centenis aureorum millibus extruxit. Romam in comparationem eò lubentius adduco, magnis parua componens, quod Conditor solo programmate Filiæ Ecclesiæ Romanæ Legiam potissimùm nobilitauerit. Plures in Episcopatu successores operibus ingentibus conditam Vrbem auxerunt. Eraclius Ecclesias Diuorum Martini & Pauli constituit, & Monasterij Sancti Laurentij fundamenta iecit. Notgerus, quem non in-

iuria ſecundum Vrbis Parentem & Authorem grata prædicat poſteritas, de quo eſt illud præconium domeſtici Hiſtorici Anſelmi Leodienſis Canonici: Vix aliquid magni aut præclari eſt operis in Ciuitate, quod ipſe non fecerit, aut perfecerit; vt magis feciſſe Ciuitatem quam coluiſſe videatur, Eccleſiam Sancti Ioannis Euangeliſtæ fundauit. Moſam qui extra Ciuitatem fluebat circa clauſtra Sancti Pauli & Sancti Ioannis per medium Ciuitatis defluere fecit, Clauſtrum exterius Eccleſiæ Sancti Martini inciſo colle Publici Montis triplici vallo & muro cum propugnaculis & turribus ſublimibus communiuit, & eandem muri & turrium munitionem, circa ambitum Ciuitatis, in ea longitudine & latitudine quæ hodie eſt, perduxit. Parochialem Eccleſiam Ædi primariæ D. Lamberti adiacentem & Palatium Epiſcopale perfecit: ipſam primariam Ædem à fundamentis reſtaurauit. In ſumma hîc Vrbem muro circumcinxit, & ædificiis cohoneſtauit. Baldricus Notgeri ſucceſſor Eccleſiam & Monaſterium in honorem Sancti Iacobi in Inſula erexit: locum ſitu horridum & incultum, ferarumque gregi duntaxat cognitum vt nihil videretur à deſerto differre, euulſis euacuatiſque arboribus & purgamentis, multo eoque duplici fœnore efficiens fertilem. Reginaldus ſupra dotem Eccleſiæ Bartholomæanæ è ſuo, aſſignatam, ſumptuoſo & difficili opere Moſam lapideo ponte ſtrauit à vico ſuperioris pontis vſque ad vicum piſcatorum: necnon ſecundùm Inſulas alios minores pontes duos, & tertium ſuper Vrtam fluuium, ſaxeos omnes, ſuperduxit. Ne, quod ſuperioris Pontis memini, pariat obſcuritatem, nolo latêre Lectorem quod perantea alius pons fuerat

fuerat extructus etiam lapideus ab Ecclesia Sancti Lamberti vsque ad portam Stagni seu Viuarij, à Superiore Ponte communiter appellatam. Quem quidem pontem vti longè anteriorem, ita ab Ogero Dano Caroli Magni Imperatoris nepote, Apri, Comitis Theodorici filij, in Comitatu, & præfectura simul Leodicensi successore, exædificatum, aiunt manuscripti Codices. Quod scribitur Notgerum circumcinxisse muro Vrbem, nihil inde primario decedit Conditori, qui Vrbem condendo mœnibus certò concluſit. Verùm Notgerus largiter extendit, & pomœria dilatauit. Etiamsi non ignorem Notgero potuisse esse integrum, si prædecessores ea cura non tetigerat, muris Vrbem totam amœnire quandoquidem iteratis cladibus sub Francone Antistite Nortmanni Septemtrionales populi è transmarinis partibus ex Oceano partim in Rheni, partim in Mosæ alueos inuecti, Cisrhenanas & Mosanas regiones, incensis Traiecto vtroque, Tungris, Leodio, Centronibus, Aquisgrano, Stabuleto, Malmundario, Prumis, Colonia, Treuiris, miserrimis modis superiore tempore deuastarant. Quia de monte Publico nobis sæpius incidit sermo, eum nemo melius depinxit, quàm Nicolaus Canonicus Leodiensis antiquus &, non ignobilis scriptor, dum dicit impium Dodonem, perpetrata Sanctissimi Lamberti sacrilega & truculentissima cæde, regressum per vicini Montis ascensum, qui nunc Publicus dicitur, qui ab occidenti plaga longo quidem sed leni tractu & clemente cliuo versus Orientem se extendens, ferè in ipso Septemtrionali latere prædicti Oratorij terminatur. Oratorium SS. Cosmæ & Damiani significat, quod hodie est celeberrima

berrima S. Lamberti Basilica. Et loquendi ipsa phrasis insinuat Montis Publici nomen esse nouitium, & posteriùs, à Sanctissimi Præsulis Martyrio, inditum.

CAPVT QVARTVM.

Vbi Refelluntur alia quædam Antiquitatis argumenta.

NOn difficiliùs è manu Herculis clauam extorseris, quàm ex animo quorundam Leodiensium antiquitatis opinionem eradicaueris. Cum Anthæo luctamur, qui prostratus, attactu telluris fortior resurgit. Alia super alia oggerunt argumenta, velùt è prompta pharetra sagittas. Potiora strictim refellam: nam omnia perstringere, quod vana & inania sint, & operam perdere & nugas maximas sit agere. Sunt autem ista.

Episcopatus iuxta sacros canones non eriguntur nisi in locis insignibus & maioribus Vrbibus, Legiam igitur verisimiliter non fuisse Villam, aut Vicum inaugurato de Episcopatu D. Huberto.

Locum, vbi est Leodium esse amænissimum, & commodissimum ad Vrbis inædificationem: quis proinde persuasum habeat vsque ad tempora D. Huberti dilatam Oppidi fundationem.

Adhæc varijs Diplomatibus Pontificum, & Principum, Eburones magnifieri à vetustate, quod à Diuo Materno Principis Apostolorum discipulo syncerum fidei Christianæ lac imbiberint.

Dehinc in libro de Notitia Imperij Romani multò ante

ante Diuum Hubertum recenseri Leodium pro statione & præsidio Legionum aut cohortium Romanarum.

Denique dignitati & existimationi huiusce Vrbis derogari, si multis non inferior, ponatur æuo & ætate posterior.

Centuriam eiusmodi argumentorum vno quis diffluerit spiritu.

Primum aggredior. Sacris equidem sancitum canonibus Episcopos non in Castellis, Vicis aut minoribus Ciuitatibus debere constitui, sed Præsbyteros per Castella & modicas Ciuitates atque Villas ab Episcopo debere ordinari, singulos tamen per singulos titulos suos: ad honorabilem & maiorem tantum Vrbem, ordinandum Episcopum, ne nomen & authoritas vilescat Episcopi. Ita iam sub primordium Ecclesiæ, Anacletus Papa, & postmodùm Leo ad Episcopos Africæ, & Zacharias ad Bonifacium Episcopum apud Germanos Legatum rescripsit. Et in Concilio Sardicensi sub Iulio Primo Papa celebrato, vndecimo post Constantini Magni obitum anno, resolutum, non esse stabiliendos Episcopos, nisi in his Ciuitatibus, quæ Episcopos habuerint, aut si qua talis, aut tam populosa est Ciuitas, quæ mereatur habere Episcopum. At nec præscriptis Canonibus nec vlla lege Diuina aut humana cautum, non nisi in veteribus & antiquis Oppidis erigendos esse Episcopatus. Constantinopolim alteram Romam, Magnus Helenæ filius condidit, nec quod recens esset condita, eò minùs est in Patriarchatum eleuata. Eodem tempore Locus in Vrbem & Episcopatum vt erigatur nil vetat. Inuoco extrauagantem quintam sub titulo de præbendis ad hanc quæstionem

minimè extrauagantem, vbi Ioannes vigesimus secundus erigit Episcopatum Tholosanum in Metropolim, cui pro Suffraganeis Ecclesiis deputantur quatuor Villæ, scilicet de monte Albano, Sancti Populi, de Riuis, & de Lumberiis, quarum quælibet eapropter in Ciuitatem erigitur. De hac Episcopatus Leodicensis erectione, aut potiùs è Tungrensi aut Traiectensi Oppido in Leodicense Oppidum transslatione, non ero iniurius Adolpho Happartio viro consultissimo, si verba eius hîc transscribam, illius non mea contestatus. Sanctus Hubertus, inquit, authoritate Apostolica per Papam Ioannem sibi commissa Synodum triginta Episcoporum congregauit, quorum ordinatione Tungrensem Ecclesiam transtulit & plurimis dignitatibus & priuilegijs decorauit. Verum Sanctus Hubertus videns filiam sublimatam in matrem, vt Regale Sacerdotium obtineret, Ecclesiam esse Cathedralem, ipsamque Ciuitatem caput esse Episcopij, diuersas Leges & plebiscita populo suo promulgauit. Et quia erat pacis & iustitiæ cupidus, iustam stateram ponderis, mensuram vini & frumenti imposuit, & morosæ plebi certa Priuilegia & libertates concessit. Ipse Monetam publicam, sigillumque S. Lamberti figuratum cuius inscriptio SANCTA LEGIA ECCLESIÆ ROMANÆ FILIA, effinxit. In hunc ille tenorem.

Non quod intelligat Leodium fuisse factum Oppidum Apostolica auctoritate, sed Cathedralem iussu Pontificio sedem effectam, à Cæsare Vrbis decore illustratam, cum nulli Principi superiorem alium recognoscenti, liceat Vrbes auctoritate priuata condere, ad quod supremi Principis necessarius est assensus. In hac specie vsus nihilominus

minus

minus accomodè Ciuitatis nomine, ad Pontificios & recentiores Canones respiciens, quibus pro loquendi consuetudine quasi ad aliarum Vrbium distinctionem, Ciuitates dicuntur eæ Vrbes, quibus datus est Episcopus. Quod non idem est de loquendi proprietate in iure Ciuili, vbi Vrbem & Ciuitatem non distinguimus ab inuicem.

Secundum ab eleganti & amœno fæcundoque situ depromptum argumentum non concludit. Alioquin statim ac Vrbes ædificari incepere, inferri posset, omnes Vrbes oportunis locis assitas, quæ pluribus postea lustris, imò sæculis è gleba, silua, aut rupe in Vrbes excreuerunt, fuisse Niniue cõætaneas. Sequeretur quod Æneas aut Ascanius Romam, non ille Lauinium, hic Albam extruxisse debuissent. Quid ita? Camillus tibi pro me dicet apud Liuium, dum incensa & diruta à Gallis Roma populum Veios migrare paranrem dehortatur. Non sine causa dij hominesque hunc locum condendæ Vrbi delegerunt, saluberrimos colles, flumen oportunum, quò ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quò maritimi commeatus accipiantur, mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionum Italiæ medium; ad incrementum Vrbis natum vnicè locum argumento est ipsa magnitudo tam nouæ Vrbis.

Et quod locus vbi Leodium cernitur ab oportunitate & amænitate commendatur, næ aliud fortè sentiret, qui talem ab oculos mentis, qualis Iuliano æuo fuit, sibi proponeret. Horrentem siluis, tenebrosum opacitate arborum, inuium aditu, præcipitem collium iugis, nec

fluuio-

fluuiorum qua nunc luxuriat maritatione conspicuum. Verè Iustinianus noster, Nihil penè in semetipso manet, sed currit natura semper multas euoluens mutationes, quas neque prouidere facilè est, nec prædicere.

Esto à bustis Legionis & cohortium Romanarum locus iste truncato ex parte nemore & erectis tumulis horridam comam posuerit, & iam vaticinante B. Monulpho riserit Legiæ vallis: quicquid ante D. Hubertum eò circa actum aut fabricatum fuerat, vmbra vel nebula erat, præ corpore. Locum Hubertus Præceptoris reliquijs & cineribus nobilitaturus, purgauit, & concinnè aptauit, vt decens fieret magistri conditorium: pluris multò ossa faciens Martyris, quam Rex Macedo Homeri Iliadem, cui asseruandæ precioſissimam Darij Thecam reseruauit.

Nec sub D. Huberto quidem ea quæ hodie facies & oportunitas loci. Mons publicus vt plurimum erat adhuc incultus & inaccessus: castrum Sancti Michaëlis quod mortuo conditore fuit extructum, vbi nunc Sanctæ Crucis Ecclesiam Collegiatam aspicimus Ogero Dano in habitationem concessum, Siluestre ab adiacentibus in eo monte siluis nuncupatum fuit: sub Notgero idem mons iuxta D. Martini ædem incidi primum occepit, & vallis ipsa aliquibus sui partibus remanebat informis. Si verum est quod Danus ille Castrum Sancti Georgij eò loci vbi est Ecclesia Sanctæ Catharinæ, quo Imperator Leodium veniens diuerteret, constructit, vsque ad portam antiqui pontis porrectum. Prout verum est à Notgero Baldricum Episcopum in Monasterij Sancti Iacobi structuram necesse habuisse, locum futuro

Mona-

Monasterio destinatum, tetrum situ, & solis feris animantibus cognitum, ædificabilem & habitabilem reddere. Mosa etiam qui tranquillo suo allapsu Vrbem venustat, multiplicatisque Mæandris amænam & nitidam facit, non minus sinu, quo varij generis pisces educat, quàm irrigatione riparum fæcundus, mediam Legiam non intersecabat. Quin, non hæsitanter affirmem, Ambiorigis ætate aliquo spatio distasse ab hac conualle in qua cum Romanis conflixit: cum Cæsar diligentissimus Geographus qui tam graphicè locum pugnæ descripsit, fluentis iuxtà Mosæ nusquam meminerit. Quò Chronica Domestica referri possent, testantia quod Notgerus Mosam qui extra Ciuitatem fluebat, circa claustra Diuorum Pauli & Ioannis induxerit, & per Ciuitatis medium defluere procurarit. Minutiores fluuij Vrta & Vezeris qui hodie grato & non inutili connubio in cubile & alueum Mosæ descendunt antiquitus aliò diuertebant.

Vis ex aduerso prævalida tuæ inuerisimilitudinis indicia? Vrbs Tungrorum æuo Diuorum Materni, Marcelli, Seuerini & sequentium vsque ad Diuum Seruatium Saluatoris nostri consanguineum, florentissima & ampliſſima fuit, Carthagini & Numantiæ à scriptoribus æquiparata, in qua duæ & septuaginta congregationes fuisse dicuntur, & totidem delubra quondàm dæmonum perpurgata, in ædes sacras conuersa: quæ cum tribus vix milliaribus Leodio distet, nulli tunc in mentem venerit Leodij ædificandi cogitatio. Excisis per Hunnos Tungris, Episcopi sese Traiectum recepêre, præposituri dubio procul Leodium Traiecto, si Leodium extitisset.

Internis & peregrinis Chronicis constat Pipinum Herstallũ Principem Martelli patrem & Pipini Regis auum, Herstallij, & in Villa Iupilia locis Leodio proximis, vno cis, altero trans Mosam, magna anni parte sedem & aulam tenuisse, citra vel minimam Leodiensis Vrbis memoriam, quam, quisquis minimum aceti habuisset in pectore, haut præteriisset, si Sol Vrbem vidisset.

Quod pro tertia magna machina opponitur ab antiquitate Religionis Christianæ fæliciter à Diuo Materno haustæ non paucis celebrari Leodium Encomiis, casso ictu concidit. In Eburones generaliter quadrat hæc commendatio, & cum Eburonum nomen sit genti commune, Vicorum, Villarum & agrorum cultoribus æquè ac Oppidanis congruit. Congruentiore oratione Dionensibus & Hoyensibus Leodio longè vetustioribus conuenit, quos multo antè S. Lamberti tempora Christianam suscepisse fidem liquet, & Vrbium prærogatiuâ ante excitatum à fundamentis Leodium præualuisse. Quid miri si in Leodicensium laudem adducitur eos à discipulo S. Petri suxisse lac salutis, cum rusticorum & Vrbanorum nullum sit discrimen, & ab Eburonibus genus duxisse credantur, qui S. Maternum prædicantem & conuertentem audiuerunt? Adde, Tungrensis Ecclesiæ & populi Tiaram interiectione temporis Leodium transmigrasse, eandemq; censeri Ecclesiam Episcopalem Tungrensem & Leodiensem, loco & tempore tantùm diuersam. Adeò vt quod propriè & verè de Tungrensi dicendum conueniret, modo ob ingratitudinem in S. Seruatium commissam, &, ob eum reatum, Deo volente, Cathedram transpositam, Leodicensi applicatum

catum postea sit Ecclesiæ & Ciuitati.

Grandio gradum, & ad id quod ex libro de Notitia Imperij Orientis adfertur sub Arcadio & Honorio Imperatoribus, Romanos habuisse præsidium propè Tungros, & Præfectum Lætorum Lagensium inscribi: & Lagenses illîc videri intelligi Leodienses binis literis in binas commutatis ob vocis euphoniam. —— Paucis respondeo. Dissonantiam diuersitatemque esse vocum: & vocum, & rerum separatarum, rationem esse separatam axiomate Iurisconsultorum. Et gratis concesso Leodicenses olim Lagenses apellatos (an Lagenses à Lagena? Ludicrum sit & deridiculum) nulla inde quod Leodium esset, nedum Vrbs esset, firma illatio. Non fallam, nec fallar. Si Romanum præsidium sub Honorio fuit propè Tungros, Præsidij Præfectus non fuit Leodiensium militum Præfectus. Cum quia vox Lætorum non alios quàm Romanos denotat: tum & præcipuè, quia sicut Romani neminem Prouincialem Prouinciæ suæ imponebant, sic inter stationarios & limitaneos Imperij milites, illius Prouinciæ cohortem non erant collocaturi. Vt est res fatebor, posito omni affectu perquisiui quàm diligentissimè, num Leodium vndecunq; ante D. Huberti præsulatū è spelæis aut antris aliquibus eruerem: laterem laui, perquisiui quod nusquam erat. Grimoaldum Pipini Herstalli filium in Conuentu apud Leodium fuisse à Radbodo Phrysiæ Regulo trucidatum persuasus cæteros fefellissem: secus est: Pipinus quidem Radbodum & Phrysiam subiugauit, & Radbodus Grimoaldum temerati matrimonij conuictum aut suspectum ex insidijs peremit; at non in Comitijs Leodij

habitis, nec Leodij, quod non ita post, sub Hubertinis auspicijs conditur. Si author aliquis Leodij euenisse author est, Vergiliano & Poëtico more dixit, sicut Æneam Lauinij posterius conditorem scripsit, in Italiam Lauinaque littora veniisse, antequam Lauiniam, coniugem vidisset, aut præuidisset, à qua Lauinium, postea conditum, nomen accepit. Colophonem huic quæstioni appono: si nihil dignitati Vrbis detractum per antiquitatis detractionem ostendero. Percurre monumenta antiquitatis, antiquissimarum Vrbium vestigia, non extant. Miserum est verbum fuisse, inquit Comicus. Nunc seges est vbi Troia fuit. Quantò fæliciùs est Leodium esse recentius, quam quærere vbi fuerit? Et quantò honorificentius S. Huberto gloriari Conditore, quàm multis S. Hubertum præcessisse sæculis, & inferiorem habuisse parentem? Quamdiu Vrbs steterit vix refert, quibus morata sit moribus refert plurimum. Antiquissimæ erant Athenæ, & Vrbs Græciæ pulcherrima, quique Athenas nominasset, Gratiarum & Lepôrum dixisset emporium, recedens tamen Athenis Aristoteles, quærentibus causam, respondit in pulcherrima Athenarum Vrbe ficum super ficum tabescere. In nouitatis consolationem recentioribus Oppidis videtur hæc Plautus reliquisse.

Si incolæ benè sunt morati pulchrè mœnitum est Oppidum;
Perfidia & peculatus ex Vrbe & auaritia si exulant,
Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio.
Septimum periurium, octaua indiligentia, nona iniuria.
Decimum quod pessimum est aggressu scelus.
Hæc nisi Vrbe aberunt, centuplex murus rebus seruandis parùm est.

Ego

Ego Legiæ, glorioſam inſcriptionem à Conditore vice oraculi donatam auribus frequenter intonandam cenſerem, vt tanto præconio, operibus, dignam ſe præbeat, nec committat (quod abſit) vt ſicut degeneri P. Scipionis Africani filio annulus in quo Africani caput ſculptum erat fuit per propinquos è manu detractus, nobiliſſimus FILIÆ ROMANÆ ECLESIÆ titulus quandoque ei depereat.

CAPVT QVINTVM.

Leodium eſſe Vrbem Imperialem, ſeu Imperij.

CVm Epidico poſſim dicere, Hercle miſerum eſt ingratos eſſe homines id quod facias bene: ego quod benefeci malefeci, quia amor mutauit locum. Leodium eſſe Imperij, Imperioque & Cæſari ſubiectam, tam clarum eſt, quàm Solis radij eſſe, cum ſudum eſt ſolent. Hoc aſſerui, ſcripſi, confirmaui in Viennenſi negotiatione, idem in proceſſu Spirenſi à ſenioribus allegatum, & à maioribus pro Lege tentum. Et neque Spiræ, neque Viennæ quicquam foret negotij, ni Cæſareani Leodienſes eſſent. Laudem & præmium ſpectabam: ex improuiſo mihi accidit quod apud Xenophontem Cyro adoleſcenti, qui duobus condiſcipulis diſparis ſtaturæ datus diſceptator, quorum vni breuior, alteri laxior & promiſſior veſtis erat, quia vtili commutatione breuiorem minori, maiuſculam maiori adiudicat, vapulauit. Rem illorum, è dignitate ſicut è veri-

tate agere credidi: in reuersum surdis primò susurris & obscuris murmuribus, apertis deinde criminationibus inuecti sunt quidam Plebis concitatores, quasi plus iusto tribuissem Imperio. Ausi, ô nefas, venditare apud famelicos fabrorum & similis fæcis ventres, quod Cæsar non sit nisi Protector Ciuitatis, quem deserere, & alio Protectore commutare, liberum sit. Et cur non breui commutetur? Celeritatem partem esse fælicitatis. Adesse ab annis aliquot licitatores & nundinatores opimos, qui missilia per Oenopolia & Cereuisiarias tabernas spargant, candorem nitentis floris extollant, & gemmeum sæculum vice ferrei spondeant. Prolixè & plusquam satis hanc, ibi pertractaui quæstionem, non repeto scripta, addo duntaxat vel explico. Istud prius: quia ex hypothesi Spirensi sunt quædam crudiùs dicta, quæ decoctorium sanæ interpretationis ignem desyderant. Imprimis libera nimis vox propè ad frontispicium edita, quod Leodium sit Ciuilas Imperialis inter liberas immatriculata: vocem liberam prorsùs expungendam iudico, maximè quod pro suo ingenio libertatis vocabulo abutantur. Nam apud doctos ratione non affectu ductos non tantùm fit ab ea voce Periculi. Ioachimus Cluten Iurisconsultus Germanus, Liberas Ciuitates pro temporis & Reipublicæ vsu hodierno trifariam accipi tradit. Primo pro ijs Ciuitatibus quæ non in totum Liberæ, sed in quibusdam ab Imperij & Cæsaris protectione exemptæ sunt, quales tempore Caroli, & Othonis primi, Longobardiæ Ciuitates existimat, recitatu Caroli Sigonij in Othone Magno. Secundò Ciuitates liberas dici, quæ non à Cæsaris vel Imperij,

sed

sed Principum, Ducumue iurisdictione & potestate exemptæ sunt. Tertiam speciem liberarum Ciuitatum esse, quæ secundùm quid Principibus subditæ, secundùm quid liberæ sunt. Nec primi nec secundi generis Leodium esse Vrbs libera potest: neque vllam hodie Imperialem Ciuitatem dici aut inueniri opinor in Germania, quæ primo significatu sit libera: cum eo ipso quod est Imperialis Imperatorem in Principem & Dominum supremum recognoscat. Et in secunda specie, qua solæ simpliciter & absolutè Imperiales dicuntur, oporteat Vrbem proximè & immediatè Imperio & Cæsari subesse. Cuius secundæ speciei Imperiales subdiuiduntur in duo membra. Quia quædam à primæuo suo statu & fuerunt & remanserunt semper subditæ immediatè Imperio, vt in nullius alterius potestatem vnquam fuerint submissæ. Aliæ in sui origine fuerunt subiectæ immediatè alicui Duci, Principi & Domino inferiori, sed ob specialia in sacrum Imperium merita, aut aliundè, per specialem Imperatorum gratiam fuerunt liberatæ & exemptæ à iurisdictione inferiorum Principum quibus suberant, & ab ea seruitute in libertatem velut assertæ, Imperio & Cæsari immediatè duntaxat subiectæ. Ad quem modum vsu crebro euenisse in Pontificiis & Ecclesiasticis personis, Collegiis & Capitulis videmus, quæ cum de iure communi essent immediatè suppositæ iurisdictioni Ordinariorum Episcoporum, reperiuntur tamen postmodum fuisse soluta & exempta à censuris & notionibus suorum Episcoporum, & soli Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subdita. Ad neutram classem referri posse Leodium, res loquitur ipsa.

ipsa. Quippe & quod à sui natiuitate fuerit peculiari suo Principi subiectum, ideòque non immediatè Imperio subditum, nec in horam præsentem vllis Cæsarum vllorum aut Ordinum Imperij Priuilegiis aut Ordinationibus à iurisdictione sui Principis exemptum. Quæ sunt secundæ speciei alterutrius classis aut membri appellantur indistinctè omnes Imperiales, & sessionem eo nomine in Comitiis sortiuntur, in duo latera & subsellia partitæ, quorum vnum Rhenanum dicitur, alterum Sueuicum. Neque tertio modo Leodium Ciuitas libera dicetur: quia non secundùm quid & per diminutiuam particulam subest tantùm Principi, sed plenè & per omnia, Priuilegiis tantummodò saluis. Is namque censetur pleno iure Princeps & Dominus territorij, qui Regalia, merum, mixtumque Imperium & omnimodam iurisdictionem in Ciuitate exercet, qualem esse Episcopum Leodicensem infra demonstrabimus. Tertij generis exempla tradit præcitatus Clutenus, Hamburgum & Brunsuicense Oppidum, quod illud, ex parte Duci Holsatiæ pareat, & reliqua parte iura & immunitates certas à solo Imperio recognoscat, sic vt Duci Holsatiæ quondàm vt Prouincialem Ciuitatem & omnino subiectam sibi appropriare satagenti, Carolus quartus Cæsar obstiterit: hoc verò Ducem Brunsuicensem ratione territorij in Dominum agnoscat, certorum tamen Regalium ratione quibus ab Imperatore donatum fuit, Imperio eatenùs immediatè subiaceat. Non itidem in Leodio exemplificare liceat, quod toto corpore & corporis artubus Principem suum recognoscere iure tenetur. Et si quæ Priuilegia, magno equidem numero,

numero, obtinet, debet illa Principibus suis, quæ vel ipsi tribuerunt vel ad Principum postulata aut contemplationem Imperatores Ciuitati sunt impertiti, nullis propterea Regalibus eam inuestientes. Cæteroquìn quia gloriola libertatis passim paratragædiat, vsque adeo vt triuiali vocabulo, *Frank Liegeois*, *Frankus seu liber Leodius* compita resonent, non impedio, quin diminutiua voce, Secundùm quid Libera quodammodò Ciuitas dici queat non quidem respectu Imperatoris, aut Principis sui, sed comparatiuè ad eas Vrbes, quæ vel non gaudent priuilegiis, vel non tantis. Ea ferè loquendi formula qua vulgus idiotarum inter plures carceribus mancipatos & catenis vinctos, eum putaret liberum, qui carcere quidem clausus & custoditus, manibus & compedibus esset solutus: contra mentem Iurisconsultorum qui non eum intelligunt solutum, qui in publico sine vinculis seruatur, multò minùs eum, qui licet vinculis leuatus sit, manibus tamen tenetur. At aurea ea est catena, & Homeri catenæ non absimilis, qua subditæ Imperij Vrbes Imperio & Cæsari deuotæ sunt & deinctæ. Hinc explicatiuè ad vocem Imperialis, adieci, siue Imperij, quò lapidem offensionis amouerem, ne Imperiali simpliciter nominata captator aliquis detorquendo inferret Imperialem esse, vel absolutè (vt analogon per se positum stat pro famosiore suo significato) vel secundùm quid, tanquam Imperio Romano immediatè qualitercunque subiectam. Scio rem actam me acturum, si Imperij Vrbem esse, seu gradu Principis sui interposito mediatè Cæsarem recognoscere, velim argumentis ostendere, & in prima Peripateticorum

principia incursurum, negantium contra inficiantem principia artifici disputandum: & inter imperitorum ingenia, alia indigere ratione, quæ disciplinam & instructionem possint admittere; alia sensu communi laborare, quibus Lumbifragium & dentilegium multò vtilius adhibeatur, quàm nocitura rationum inculcatio. Sed cum, viris aut doctis, quorum magnus est Leodij numerus, aut doceri patientibus, qui pauciores non sunt, nequaquàm verò ineptissimis & facinorosissimis quibusdam perduellibus, precio, potu, aut impunitatis scelerum hamo in Patriæ perniciem inescatis, operam præsentem impendam, refricandæ magis amborum memoriæ, quam in meridiano æstiuo Sole lucem faciendi causa, hoc in circo exspatiabor.

Prætereo longum antehàc adductarum in libello Delegationis probationum agmen (quas interim relibare & regustare sub finem huiusce capitis, ne æger aliquorum animus inde ægrescat magis, constitui) à Carolo Magno Desyderium Longobardorum Regem Leodium ad Antistitem, exilij loco ablegatum; Lotharium Romanorum Regem cum vxore Regina ab Innocentio Papa secundo isthìc consecratum, & eius nomine arcem Lotharíam ad Mosæ ripam extructam; Henricum Quartum Imperatorem velut in Asylum & Imperij limitem hùc confugisse: Henricum Quintum ibidem tantispèr moratum, Ecclesijs Collegiatis Sanctæ Crucis & Diui Bartholomæi quarundam immunitatum feciſſe gratiam; Sigismundum tribus suis Diplomatibus 1415. 1417. 1435. Leodienses in suos & Sacri Imperij subditos agnoscere; numerosa Priuilegia per plurimos Cæsares

sares interiectis temporibus, & aliquando sæculis concessa, aut confirmata: contributionibus Imperialibus Leodinæ Vrbis nomen adscriptum: diu secundum Cæsareas Caroli Magni Leges in foro practicatum: Maximiliani Primi & Caroli Quinti crebris oraculis hanc ipsam Ciuitatem peculiari voce, Nostram, appellatam: in Concordatis & pactis aut domi aut foris initis incidente Cæsaris mentione eum supremum Dominum suum ab eadem Ciuitate nuncupatum; socialem cum aliquibus Imperialibus Vrbibus olim in puncto commercij correspondentiam; bicipitem Aquilam Imperij Orientis & Occidentis insigne, portis & Basilicæ Ciuitatis ab antiquo radiare appensam; quæ omnia subiectionis Imperialis, loquaces aut mutæ sunt figuræ.

Subnecto non imbecillioris virtutis propositiones. Generales sunt, quod in Ciuitates Germaniæ & Italiæ Imperator habeat, quoad ius superioritatis, intentionem fundatam nisi de contrario doceatur. Cæsarem omnium eorum quæ in Imperio consistunt supremum Dominum seu directum quoad ius superioritatis reputari, quamdiu de exceptione aut exemptione non probatur. Quæ sunt intra eiusdem territorij fines, censeri eiusdem esse iurisdictionis. Qualia sunt extrema talia præsumi media. Atqui Leodium est in Imperio & intra Imperij fines, est igitur de Imperio, nisi ostendatur inde legitimè auulsum aut subtractum. Item Iulius Cæsar Eburones & Ditionem Eburonum iustis armis subegit: prouocatus scilicet; contra ius gentium & legitimi belli Leges Legionibus suis trucidatis aut inuasis: ab inde ergo Prouincia Leodiensis fuit Romanorum.

Et vsque ad Diui Huberti tempora permansisse creditur: quia adhuc hodie Leodiensis Princeps Cæsari homagium præstat; quod medij temporis possessio ea existimetur, quæ fuit extremorum. Termini finesque Imperij Romani sub Augusto fuere: ab Oriente Euphrates, à Meridie Nili Cataractæ & deserta Africæ & mons Atlas: ab Occidente Oceanus, à Septemtrione, Danubius & Rhenus. Quantula pars terræ, Vrbs & tota Prouincia Leodiensis, & quæ particula est Romani Imperij? Speciales, quia fortiùs & propiùs penetrant adijcio, & ex Codicibus ipsis Leodiensibus comprobo, quos illi Chartis Sibillinis cariores habent. Rege Romanorum inaugurato iustitium est (inquiunt) in Ciuitate & Patria Leodiensi donec Princeps Regalia sua ab eo recognouerit, & solitum homagium præstiterit, vel per eum non steterit, quo minùs. Quoties Rex idem Leodium aduenit, Iudices sub ipsius nomine, auspicijs & authoritate iudicant: & si quenquam Scabinatum per Scabini mortem aut aliter vacare intereà contigerit, ad collationem & prouisionem Regis spectat: post abitum verò Regis, ius & exercitium iurisdictionis ad Episcopum reuertitur. Sede Episcopali vacante Prætoris & Scabinorum officia sunt penes eiusdem Regis dispositionem.

Ita in fragmentis Legum Caroli Magni restantibus in manuscriptis per omnium penè manus vertentibus, disertìm legitur. Scabini norunt & in Archiuiis asseruant quoad Reges Germaniæ. Imprimis simul atque coronatus est Rex Germaniæ, non licet Scabinis iudicare quò vsque Episcopus Leodiensis recognouerit feudum

suum

suum à Rege, aut forma debita recognoscere postulauerit. Nimirùm vadat Aquisgranum ad coronationem Regis, & cum suo vexillo releuium expetat. Si verò contingat Regem non venire Aquisgranum, Scabini Leodienses non poterunt ius dicere donec Episcopus fuerit Francofurti ad Mœnum & illic in Ponte Francofurtensi requisiuerit illius Vrbis Scabinos in præsentia proborum ciuium & equestris ordinis virorum, quorum copiam nactus fuerit, in hunc modum. Domini, Veneram requisiturus Dominum meum Regem pro præstando ei relevio feudi mei iurisdictionis Episcopatus Leodiensis, quem si reperissem præsentem, officio meo essem functus, hinc cum eum non inueni & vt mihi dicitur, moratur in superiore Germania, quò sine vitæ discrimine non est mihi tutum proficisci, præmissorum vos reddo conscios, & huiusce rei testimonium cupio. Quo peracto, & obtentis Francofurtensis Ciuitatis testimonialibus publico sigillo roboratis, eodem Leodium reuerso ius sub eius nomine erit dicendum. Verum quandocunque innotuerit Regem rediisse cis Mænum confestim à iudicando supersedebitur, quamdiu Episcopus Regalia sua Francofurti præscripto modo non obtinuerit. Quod si Rex Germaniæ veniat Leodium, diuertet ad Palatium, & imposterùm sub eius nomine iudicabitur, isque Prætorem constituet, & vacantes Scabinatus conferet, quamdiu Leodij manserit, & census Episcopo ratione Iustitiæ competens tamdiu Regi pendetur, Rege autem egresso, Episcopo sua vt antea iura erunt integra. Pariter sede Episcopali vacante Rex Germanorum instituit Prætorem,

& Scabinos, si eueniat interim munerum illorum vacatio. ——

Idem ijsdem penè verbis Codex manuscriptus, quem Patronum aut Speculatorem Temporalitatis vocitant, continet, ad quem remitto. Apud quem & sequentia inuenies. Regalia Imperialia videlicet Episcopi, & cui primitiua obedientia debeatur. Sciendum est imprimis quod tota patria Episcopatus Leodiensis, sit Imperij & ab eo dependeat, à quo principaliter mouetur in feudum & Homagium, & totaliter sita est intra metas & limites prædicti Imperij. Constat etiam quod Imperatorem aut Regem Romanorum recognoscamus in nostrum supremum & primitiuum Dominum quoad temporalia, testificantes ei veram obedientiam tam in sua quam Episcopi nostri Creatione.

Vt res manifestaria est, sic non poterat luculentioribus verbis designari Leodienses omnes esse purè putè subditos, & vasallos Imperij. Hæc cæremonialia refero, non tam affirmaturus aut pro tanto momento habiturus, vt qui nusquàm quàm in popularibus illis libris viderim, quàm suo illos telo repulsurus. Cum enim ita à maioribus acceperint, & in libris domesticis annotatum reperiant, quàm effrontis audaciæ fuerit, Cæsaris & Sacri Imperij authoritatem supremam velle in dubium reuocare? Suspicor autem ideo ex præscripto, dum Cæsares in remotis agerent, protestationem coram Francofurtensibus Scabinis fieri potuisse, quia non ita de facili Imperatores inuestiebant Principes Imperij de Regalibus, nisi ipsimet præsentes ad fidem seu homagium admitti petiissent vt de Cæsare Rudolpho primo

legi-

legimus qui ab Ottocaro Boëmiæ Rege ad genua accidente fidei iusiurandum recepit, & de Philippo Rege Galliarum, qui Eduardum Magnæ Britanniæ Regem ad Ducalis feudi recognitionem etiam geniculantem compulit. Ne itaque per Principum impedimenta, & absentiam Cæsarum, Iustitia interim nimium pateretur dispendium, adhibitæ Francofurti præsentialis diligentiæ semoto omni dolo malo testimonium sufficiebat pro tempore vsque ad aduentum Cæsaris, pro Iurisdictionis exercitio. Verum postea posteriore sæculo minus rigidè actum fuit circa homagiorum præstationes: dum Cæsares illa per Oratores & Commissarios suos præstari non rarò permittunt: quod etiam Ferdinandus Primus anno 1558. Pragæ obseruauit admisso Roberto à Bergis Leodiensi Principe per Andream Mastum Consiliarium suum ad id specialiter deputatum, per cuius personam de Regalibus, mero, mixtoque Imperio fuit insignitus: facto Leodiensibus præcepto quatenus ei vt vero & ordinario suo Domino parerent. Quod velut ex antiquissima Lege Carolina de infeudatione Francofurtensi in Priuilegium Manuscripti concessum ferunt, vt absente trans Mænum Cæsare temporaria Francofurti per Episcopum facta protestatio suspensæ impedimentum iurisdictionis tollat, iuuabit vno non incelebri exemplo ex Annalibus Hocsemij confirmare. Adolphus à Marka Princeps belli non pacis tantùm artibus præcellens, exorta ex discordi electione Regis Germaniæ controuersia cum vni præ altero faueret destitutus spe, sua aliter Regalia obtinendi, atrendens antiquam consuetudinem, qua Rege vltra Mænum fluuium existente

Epis.

Episcopi citra dictum fluuium Regalia possunt à Scabinis Francofurti tantisper impetrare, Adolphus inquam Episcopus duorum Scabinorum dicti Oppidi, quorum vnus Bouina Caro, alter Allium cognominabatur, captauit beneuolentiam, & dissimulato habitu in veste murina seu grisea Francofurtum perrexit, Scabinis se obtulit, & re statim peracta equum conscendit, & concitatissimo cursu exploratorum manibus euasit ad suos pacatè regressus.

Redeo vnde digrediebar, Leodium esse Imperij Vrbem. Posteaquam Erardus à Marka Episcopus & Princeps Leodiensis viuo adhuc Maximiliano Primo Cæsare fœdus cum Inuictissimo Carolo Hispaniarum Rege pepigisset, tres Patriæ totius Leodiensis ordines, eam confœderationem vltima die Nouẽbris 1518. ex abundanti ratificantes suam erga Romanum Imperium subiectionem seriis & ingeminatis contestationibus inculcant. Quòd nouissimi res sit sæculi, & non tam metere in spacioso campo, quàm spicilegium facere proposuerim, omissis intermedijs, rei substantiam ipsissimis verbis dabo. Nos Præpositus, Decanus, Archidiaconi & Capitulum, Nobiles Barones & Vasalli, Consules, Scabini, & Consilium Ciuitatis & cæterorum Oppidorum Patriæ Leodiensis, Ducatus Bullonensis & Comitatus Lossensis, repræsentantes tres Ordines dictorum Patriæ, Ducatus, & Comitatus, vniuersis Salutem. Cum Reuerendissimus in Christo pater Altus & potens Princeps Dominus noster metuendissimus Erardus de la Marke *S. R. E.* Cardinalis &c. Epicopus Leodiensis, *de scitu, approbatione & consensu Sacratissimæ Maiestatis Imperialis*

rialis Domini nostri Supremi, nuper tractauerit, iniuerit & concluserit amicitiam, confœderationem & societatem defensiuam cum Altissimo, Excellentissimo & Potentissimo Principe Carolo eiusdem Dei gratia Catholico Rege Hispaniarum, Duce Brabantiæ & Burgundiæ &c. Flandriæ Comite, ipsiusque Prouincijs & subditis, idemque Metuendissimus noster Dominus & Princeps ad maiorem securitatem & stabilitatem eiusmodi amicitiæ, confœderationis, & Ligæ defensiuæ desyderet quatenus in eandem cum supradicto Domino Rege, illius Prouincijs, & subditis præmemoratis Ligam ingredi & acceptare velimus. Nos pensitantes vtilitatem & commodum inde prouenturum, insuper perpendentes quantum obligemur *Imperatori Domino nostro Supremo* qui per Literas & suos ea in re Delegatos requisiuit vt hanc iniremus confœderationem: tractauimus, conuenimus & pepigimus cum Commissariis & Ablegatis dicti Regis Catholici, quod bona, secura, firma & inuiolabilis inuicem erit amicitia, vicinitas, confœderatio, ac Liga defensiua contra & aduersus quoscunque. Quodque dictus Dominus Rex Catholicus & nos non poterimus receptare, pati, aut fauore prosequi alterutrius nostrûm hostes & maleuolos, nec ijs impertiri iter seu transitum, auxilium & assistentiam per Oppida, Fortalitia, Castra aut alia loca, nec commeatu, instrumentis bellicis, milite, pecunia, vel quacunque alia re iuuare. Verba sunt vt dixi ipsissima, è Gallico idiomate transsumpta.

Subodoror insusurrantem detractorem, & proserpentis bestiæ instar bilinguem, quid tanto molimine accer-

simus? Fateri necesse est Vrbem esse Imperij, at Imperio non esse immediatè subiectam, non euincimus: maximè calente memoria interfertarum aliquot Spiræ, & vicissim, in delegatione, rationum, illúc subreptím tendentium: Quod in matricula Imperij inter liberas accenseatur, Fiscalia, Iurisdictionalia, & inhæsitanter, Regalia iura exerceat, Pomærium ei bannale sit, Magistratus Claues argenteas potestatis insignia assiduè gerat, & purpuream Epomidem quotannis, familia armata prostet ad manum decemuiralis cohors, & coniunctim sub Principis & Magistratus nomine edicta exeant. Elianus testis est, Leoni ægrotanti medicinam esse optimam comesse simiam, præsentaneum quippe morbo remedium. Vix spondeam, quod qui simiorum istorum hominum in omnem se partem versantiũ inclinationes & declinationes qui deglutiuerit, factiosorum caput, tribus anticyris insanabile, curauerit. Vbi de Regalibus Iuribus Principis agemus, vt nix per se ad Solis radium, sic ad rationis lucem, harum nebulæ dissoluentur oppositionum. Cæsim tamen singulas ictibus singulis cædo.

De Matricula aliter est, nusquam inter Imperiales seu liberas Vrbes Leodium apparet: & si Petrus Bertius aut Melchior Haiminofeldius Goldastus, locum Leodio in earum Vrbium Catalogo quasi è Matricula Imperij deprompto fecerunt, toto cælo aberrarunt: & in plerisque Vrbibus eodem in articulo impegerunt. Ad matriculam Imperialem anni 1522. quæ est norma & regula sequentium, & priorum quà aberrauerant, correctoria, respicere eos æquum fuit: neque eorum allucinatio potest nocere veritati.

De

De Regalibus insolenter & falsò iactitat Ciuitas; pauca iurisdictionalia iura obtendit, quæ Principis indulgentia aut conniuentia serò occupauit: qua de re affatim oportuniore loco.

Pomærium bannale, quod leucam bannalem vocant, quamuis iustæ amplitudinis possideat & qui intra eum ambitum degunt pari cum vrbanis Ciuibus immunitate gaudeant, id ne hilum conducit ad Imperialis Vrbis decus aut prærogatiuam. Angustiora aut augustiora Vrbium suburbia, vel annexa aut appendices, splendidiorem aut potentiorem vt reddant Vrbem, nihil circa Dominorum superioritatem interuertunt. A Iuris communis & Legum dispositionibus procedit, quod Suburbani Ciuium apellatione comprehendantur, in fauorabilibus præsertim. Et Vici, Comitatus Ciuitatis, ita sint sub Ciuitate, vt Ciuitatis partes esse intelligantur. Natique in Castris & Villis Ciuitati subiectis & illic habitantes, Ciuitatis eiusdem ciues dicantur. Dum Romulus Reginam Vrbibus dedit circumducto per designatum ambitum aratro, extra muros Pomærium (quasi Postmænium inquit Liuius) reliquit, an vllum tam stipitem inter Quirites repertum putauerimus, qui Romam non fuisse Romuli contenderit, quia Pomærium Roma haberet? Gerræ sunt & næniæ.

De Claue argentea vtrique Consuli peculiari, in qua insculptus ensis cum bilance, & in latere rota, anguis & simia cum huius tenoris charactere, *Iustitia recta amicitia & odio exuginata & nuda, ponderataque liberalitas regnum firmiter seruant*, nihil certi assequor, nec expertissimorum forte è Consularibus vllus assequitur. Nihil inde ad Ma-

gistratus maiestatem aut iurisdictionem elici debere, tamèn mihi certum est. Alciatus antiquitatum Iuris nostri peritissimus scribens antiquatam eam Legem qua Prouinciales soliti erant in Magistratus initio Prætori militari, Glebam, Clauim & follem dare, notat ideo glebam olim datam, vt memor esset Prætor ita res curare vt annonæ ratio salua esset. Clauim verò in signum potestatis, & cuiusdam Dominij in rebus acquisiti. Et hinc in iure nostro inter traditionum quasdam species annumeramus traditionem clauis horrei in conspectu existentis. Traditur & Leo Pontifex claues Sancti Petri, & vexillum Vrbis ad Carolum Magnum misisse, in beneuolentiæ nempe, non in donationis Vrbis Romanæ, testimonium. Sicut Regiæ comitatis humanitatisque fuit, quod dum Carolus Quintus Cæsar sola fide Regis Galliarum Francisci Primi, suaque fortùna nixus, sine copiis & penè sine comitibus per medias Gallias in turbidos tunc Gandenses properaret, eiusdem Francisci iussu, Vrbium ad quas appellebat Magistratus obuiam procedens claues suorum Oppidorum ei porrigeret. Et nostrates Annalistæ, cum Ecclesiæ Leodiensis traditione, habent, Sancto Seruatio Tungrensi Episcopo clauem cælitùs Missam, necnon Sancto Huberto alteram, Angelo internuntio allatam, cum miraculosissima illa Stola, Andaini in Monasterio Reformato Hubertensi vnà cum incorrupto eiusdem Sanctissimi Præsulis corpore asseruata, quæ cum nullo sui decremento iam per nongentos, & quinquaginta propè annos integra permanet, etsi in curationem morsorum à rabidis animalibus ex omnibus Prouinciis & Regnis con-

confluentium fragmentatim secetur, & illorum frontibus quotidiè manu Sacerdotali filatim seu per minuta segmenta inseratur. A nemine collatam Consulibus Clauim hanc argenteam prorsùs existimo. Inuentum est ipsiusmet Magistratus, nec admodùm vetus. Sensim & quasi per subterraneos quosdam cuniculos in aliqua Principis sui Iura inuolauit, dumque interpolatis vsurpationibus formam aliqualis iurisdictionis induxisse visus est, Clauim in quoddam authoramentum adinuenit. In cuius tamen authoritatis fidem? An vt hoc velut Symbolo significarent Consules quantum in conciues possent, in quorum domos haberent aditum, quas nefas sit ab alijs per vim introiri inconsulto Magistratu, qui in fidem consensus aut præcepti consignat Clauim illam Prætori, aut alteri iustitiæ Ministro? Vt Angliæ Regibus olim in prouerbio fuit, quod Galliæ Clauim è succingulo gestarent, dum Caletorum Vrbem in potestate haberent. An potiùs religionis causa (si tantum posteriori sæculo auiti zeli augurari liceat) in memoriam religiosissimi parentis Huberti Clane Angelica donati, quæ etiamnùm hodie in æde Diui Petri dicitur ostendi? Inuenti quidem speciosus fortè fingi potest prætextus, sculpturæ non item. Ægyptios Sacerdotes peruelim mihi in ariolos aut interpretes dari, qui hyeroglificis intima arcana & mysteria præfigurabant. Nam qui gladium, rotam, & simiam adaptaret potestati & iurisdictioni, qua Magistratus Ciuicus possit, gladio in homicidas & eius gradus malefactores, rota in latrones & viarum grassatores, culeo (cui parricida cum simia, vipera, & cane in amnem proijciendus Legibus

gibus Romanis insuebatur) in parricidas animaduerte-
re, iniurius sit veritati. Quandoquidem ius animaduer-
sionis Capitalis competat solis Principis iudicibus. An
potius ab ipsamet inscriptione notarum, & figurarum
explicationem hauriemus? Planè & ad meum gustum.
Inscriptio est, *Iustitia recta, amicitia & odio euaginata & nuda.* Totum ergo hierogliphicum ad iustitiam pertinet.
Iustitia quæ est Statera in bilance æquali, ideoque recta
quæ non corrumpatur adulatoribus, seu fictis amicis
(simia est adulatoris symbolum) nec minis & odio de-
terreatur, id per gladium denotatur, nec vtrauis for-
tunâ, prosperâ, aut aduersâ flectatur (Rota fortunæ
vehiculum est) salus est populorum. Bonitas Dei ope-
rata est mundum, Iustitia modulata est, inquit senten-
tiosus Tertullianus. Et Ecclesiastes, Noli quærere fieri
iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Si cui
suppetat certior explicatio, proferat & doceat, cedemus
vltrò. Vt vt sit, non est cur superstitiosè circa figuras
aut caracteres huiusce Clauis ingenium fatigemus. Mos
Leodiensibus increbuit, vt quiuis pro libitu insignia
annulis signatoriis insculpat, & tesseram, Dictum, vul-
gariter, apellant, quam voluerit, sibi effingat.

Ab Epomide purpurea in neutram partem video fieri
posse illationem: nisi Legem pridem abolitam reducere
velimus in vsum, qua sanciebatur, purpuream vestem
soli Principi conuenire, & cæteris omnibus prohibitam.
Patriciorum interim pueri in veste partem purpuræ
gestabant, & ideo Prætextati dicti, quia vesti prætexta
erat purpura. Epomis hæc Consulum procul est à palu-
damento & trabeata Consulum Romanorum veste.

Patri-

Particula est panni purpurei quam annuè semel in supplicatione Diuorum vnà cum Villico Principis & Centuriæ Sagittariorum Veterum (quæ est Prætoria Principis cohors) Regulo, qui peritiùs sagittando Psittacum è pertica oblonga deiecit, appensam collo gestant, ipsis, Villico, & Regulo à Centuria donatam.

De armata familia quæ ex viris decem ex singulis duabus triginta Tribubus collectis constat, hoc loco monuisse sufficiet: aut inter intestina cum Episcopis suis bella vsurpatam, aut permissione & tolerantia Superiorum quorundam Episcoporum introductam, vt ingruente per improuisum cum vicinis bello (frequentes autem è minimis sæpè initijs excitatæ fuerunt dimicationes, antequam circumiacentes Prouinciæ, velut diuersis fluentes alueis fluuij in vnum tandem ingens flumen aut Oceanum coëunt, in vnam Augustissimam Domum Austriacam cöaluerunt) audacius hoc Comitatu fulti Consules in arma subitaria prosilirent. Et ij Ciues in custodiam Consulum euentualem designati, qui æquo per omnia cum alijs Ciuibus iure tenentur, nec vlli sunt alligati militiæ, tantumdem ad immediatam erga Sacrum Imperium subiectionem faciunt, ac cæteri quicunque Ciues qui, quoties necessitas aut periculi apparentia admonet, pro muris, aut portis ad defensionem excubant. Si ornamenti aliquid ex ea familia ad vsus necessitatis aut vtilitatis publicæ destinata, Consulibus, vel aliunde, accedit, vt Lunæ fulgor Soli debetur, totum à Principe & in Principem est referendum. Quantò quisque præest maioribus, tantò ipse maior, & honestior est, vt Iustinianus noster ait. Æuum fuit, quo

Epis-

Episcopi, togâ, & sago pares fuerunt, & quo haut perperam potuit applicari Imperatorium illud, Alterum alterius auxilio eguit, & tam militaris res Legibus in tuto collocata est, quàm Leges armorum præsidio seruatæ sunt. Extra rem non erit, quod sub Hugone de Petra Ponte Episcopo anno 1200. electo scribitur; quod cum Regalia ab Ottone Rege accepisset, & paulò post ab eo tanquàm excommunicato fidelitatem retraxisset, & in vltorem aduentantem arma comparasset, ad allatum eius rei nuntium Comite Guilielmo qui à longo gladio nuncupabatur irridente, Ferrandus Flandriæ Comes eius frater qui cum ducentis nobilibus Regi suppetiaturus venerat, increpando dixerit, Abstine irrisoriis verbis frater: neque enim Prouinciæ tuæ Pontifices eius sunt potentiæ sicut iste: enimuerò extempore mille habere poteſt è ditione sua nobiles ad prælium præparatos: & nos eidem fœdere coniuncti sumus, & multi quos præsentes video nobiles.

Quod ius edictandi attinet, non possumus ire inficias quin à lustris pluribus in aliquibus casibus edicta quæ Ciues intra muros & Pomærium Ciuitatis commorantes concernunt, coniunctim sub Principis & Magistratus autoritate publicentur: vnde emanauerit, suo fortè loco examinabitur: contentus impræsentiarum ero, nullam inde validam consequentiam ad subiectionem Imperij immediatam educi posse. Nullum Ciuitas Releuium Imperatori vnquam præstitit, nec eam Imperator ad vllum Releuium admisit. Solus Princeps de Regalibus & Iuribus suis à Cæsare inuestitur: qui si aliquid suæ dignitatis aut rigoroſi iuris suæ Ciuitati remisisset,

sisset, non eam à sua potestate & Dominio per hoc exemisset. Angliæ Rex (si credimus Philippo Cominæo) in plerisque à Londinensi Parlamento pendet, nec extra duos casus bellorum Scotiæ & Galliæ, tributum à subditis valebat exigere: Et in Gallia Lutetiæ Senatus supremus, author esse multis decretis debet: neque ideò minùs ambo magni & absoluti Reges. Sed & Romæ abactis iàm Regibus libera existente Republica, annuo Imperio Consulari facto, (non quod diminutum quicquam ex Regia potestate esset, cum omnia iura, omnia insignia Consules primi tenerent) non adeo fractum aut immutatum Imperium, quod Tribuni nonnunquam Rogationibus Consularibus intercedebant: quod quidem ab initio per seditionem irrepsit, & prauo postea vsu inoleuit. Summa huius capitis esto. Leodium subesse Principi & Cæsari per superioritatis subordinationem; & vtrique tanquàm vero suo Domino, illi proximo, huic mediato, fidem debere & obedientiam: & sicut pessimum omnium peccatorum est machinari aliquid contra Imperium, eodem Iustiniano sanciente: ita non inferius, proprij sui Principis abijcere aut aspernari potestatem. Vtinam non applauderet fascinatoribus quibusdam, ad pruritum aurium tinnientibus Libertates, & Priuilegia, luporum more, qui gulam asini demulcent, vt deuorent, & alto corde condidisset illud fatidicum Cottæ ad Metellum.

Libertas populi libertate perit.

Aut saltem Pythagoricum illud: *Dimidium plus Toto.*

CAPVT SEXTVM.

Leodiensem Ciuitatem esse Episcopi & ei subiectam.

EPiscopi est Ciuitas Leodiensis, non quia Episcopus est (alioquin quotquot sunt in Vrbibus instituti Episcopi, Vrbium essent Domini) sed quia spirituali inaugurationi sæcularia auspicia coniunguntur, quorum fit compos sub Cæsareis auspicans Aquilis. Si auiti Laris possessorem interroges, vnde illũ sibi arrogauerit, mutiorem pisce faciet, inquiendo, quod ataui & maiores reliquerunt, aut author genusque familiæ aream comparauerit, & palatium inædificauerit. Sat fuerat digito demonstrasse D. Hubertum Ciuitatis fuisse Conditorem, à quo tot sæculis continuata serie Vrbem, vt iure suam, Episcopi possederunt. Est plusquam gentilitia anchora filiorum & posterorum Seleuci Regis, quam à matris vtero in femore ferebant. Quippe cum ita sit D. Hubertum esse Primum & verum huius Vrbis Conditorem, tam est verum Vrbem fuisse suam, quàm domum esse tuam, quam tu ipse in fundo tuo ædificaueris. Ædificia iuris gentium sunt, & tibi liberum est in tuo fundo ædificare. Et quod inædificatur loco cedit: & si locus communis est, quod inædificatur, commune efficitur. In tantũ vt si in mari quod in nullius bonis est, & fit occupantis, vel in Insula in mari nata, quæ paris est conditionis, struem feceris, rem tuam feceris. Et hinc Venetiæ in mari Adriatico extructæ, natam, non quæsitam

sitam Libertatem prætendunt, quia in mari, non in cuiusquam solo sunt ædificatæ.

Nec Solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues vndas; ad publica munera venit.

Optimus acquirendi dominij modus est, rem ipsam feciſſe. Sic statuarius statuam, sic picturam pictor suam facit: & quantum artes ambæ à Politico Artifice distant, Ciuitatis Dominium, statuis & imaginibus præponderat. Fatemur modo, inquiet nonnullus, D. Hubertum esse Vrbis parentem, quia Vrbi tecta, muros, Ciues & Leges dedit, fundum in quo Vrbs structa est, illius fuisse nemo edocet. Itane quisquis ille est, ignorat, omnes scire debere, quod suum non est, hoc modis omnibus ad alios pertinere? Vas non exquirit è figulo suâ, an alienâ terrâ efformetur. Nec Carthago aliàs ingratissima vicio duxit Didoni, quod locnm, Taurino quantum poterat circumdare tergo, coëmptum, corij sectione extendisset. Explebo tamen curiositatem. Locus vbi Legia, tunc Villa, nunc Vrbs est, ad Pipinum Herstallum potentem Principem, qui in Iupilia & Herstallo vt plurimum commorabatur, pertinebat: & vt erat pietati Religionique addictus, Adulterio nihilominùs per Alpaïdem pollutus, promptissimo lubentissimoque animo cogitanti Huberto translationem sedis Episcopalis, corporisque vnà Sancti Lamberti in hunc locum, eundem ipsi posterisque donauit. Ita iuxta Sigeberti Chonicum, hic Pipinus posteaquam Sanctum Lambertum ab exilio reuocatum in pristinam sedem redintegrarat, non multò post superato Frisonum Duce

aut Rege Radbodo, ei genti Sanctum Willibrordum Euangelij præconem destinauit, in cuius gratiam, locum vbi est Vltraiectum in futuram Episcopalem etiam sedem anno 697. viuente adhuc D. Lamberto est largitus. Lubentissima, inquam, sua sponte. Non ex doni modicitate, cum siluestris montosa & inculta esset facies; ijs enim donatoris largitio non erat circumscripta cancellis: verùm vltra insitam Ecclesiæ venerationem, qui sciret impudicitiâ suâ dedisse sacrilego homicidio occasionem, vt ibidem scelus suum expiaret, vbi alieno scelere & penè suo Sanctus Martyr occubuerat. Promptiorem Pipinum in conferendo quam Hubertum in acceptando arbitror, ni sacer cruore Lambertino locus alexisset. Pipinum Hubertus propinqua cognatione attingebat: & in S. Lamberti Cathedram diuinitus suffectus, sui muneris existimauit, abstinere salutatione & colloquio, & Ecclesiæ interminari interdictionem, donec dimissa pellice, Plectrudem coniugem reciperet. Altiore zelo, & animo, quam Romanus ille Popilius per omnes Historicos collaudatus, qui ad Antiochum Asiæ Regem Legatus, quocum ei ius amicitiæ & hospitij intercedebat, porrigere dexteram ante renuit, quam in Senatus & populi Romani potestate futurum se affirmasset. Nec frustra. Pipinus Plectrudem legitimam coniugem postliminio recepit, dimissa Alpaide, Belisiensi Ecclesiæ primùm, ac postea Orpensi incluſa. Non me latet, inueniri qui opinentur Legiam esse Caroli Martelli Pipini filij munus, in materni pudoris expiationem. Cui non inuitus eam gloriam concesserim, & incomparandi Principis gloria & virtus facillimè induçerent,

cerent, ad credendum, nisi subuererer Principatum Martelli fuisse Vrbe & Cathedra Leodiensi aliquantò posteriorem. Defuncto enim Pipino anno 714. postpositis legitimis nepotibus Carolo ex Alpaide filio hærede instituto, Plectrudis nouerca Carolum duriusculè, imò & in carcere in Vrbe Colonienſi per annum (vt Sigeberti Chronicũ habet) detinuit, qui è custodia non sine diuini numinis ope elapsus anno primum 715. in paternum Principatum successit. Quis autem ille Principatus? Pipinum Herstallum fuisse Brabantiæ Ducem ex probis & nostris Historicis comperio, & simul Namurci Comitem. Et eo nomine fuit secundus Brabantiæ Dux, nepos Pipini primi Ducis ex Begga filia, qui per lineam rectam à Meroueo, Marcomero, & Clodione descendit, vt genealogiam apud Trithemium videre licebit. Et hoc incidenter addam, in originis Germanicæ signum, quod Pipinus è Germano sermone dictus sit, quasi proprij commodi studiosus, sicut Catiuulcus Ambiorigis collega à misero & calamitoso Populo, & Ambiorix, velut multis imperans Opificibus, vt enucleatè Pontus Heuterus singulari ea de re tractatu; vbi filiarum Caroli Magni huius Pipini nepotis nomina probat fuisse Germanica, & vernaculam Caroli Magni linguam Germanicam. Igitur à Pipino, vel Martello fundus iaciendis Ciuitatis fundamentis donatus, neque ea donatio per se sufficiens. Quamuis enim cunctis volentibus permittatur murali ambitu fundos proprios & domicilij sui loca circumuallare, Vrbes tamen & Oppida erigere in Imperio aut Regno absque Cæsaris aut Regis auctoritate nemini conceditur. Cum penès solum Im-

peratorem potestas resideat spiritum & vitam dandi Oppidis & Ciuitatibus, & absque eius assensu condita, nec Ciuitates sint, nec Ciuitatum iuribus fruantur.

Maximilianus Primus Imperator exemplum dedit: cum Albertus Comes Mansfeldiensis Vico propè Islebiam vitam & spiritum, vt vocant, Vrbis tribuere tentaret, inhibitorio & pœnali præcepto impediuit. Axioma Iuris est, ex pluribus causis eandem rem possidere nos posse, sed ex pluribus causis idem non posse esse nostrum. Hinc cum ex fundi donatione, erectione Vrbis, cum supremæ auctoritatis interuentu, Conditor Vrbis, Dominium à primæuo sit adeptus, ex alia causa non potuit iterùm Dominium assequi; sed aliundè potest Dominium cumulatiuè probari. Non pigebit aliquot probationis modos commemorare, vt quibusdam sponte sua cæcis, Solem cernere renuentibus, radios saltem intorqueam. Nam omnes velle ingerere, immensi & inexhausti fuerit operis.

Episcopus Leodiensis in sui inauguratione cogitur exigere & recipere inuestituram ab Imperatore, & absque ea nullum temporalis Iurisdictionis obtinet exercitium. Quotquot in hunc diem fuere Leodienses Episcopi in possessionem Temporalium legitimè immissi, Regaliùm imprimis & Iurium Ciuitatis patriæque Leodiensis inuestituram ab Imperatoribus acceperunt, sciente, patiente, & probante Ciuitate. Regalium & Feudalium rerum Dominium probari inuestituris antiquis & palàm factis, etiam in præiudicium tertij, in confesso est.

Sigismundi Cæsaris constitutio data anno 1417. (de qua,

qua, nec immeritò, cordati cordatè gloriari possunt ob insigne encomium) in hanc ipsam rem confert: cum pro fundamento annullationis compromissi in Arbitros collati rationem adæquatam allegat, quod de Regalibus & Iuribus Imperij non liceat absque authoritate Cæsarea in quenquam compromittere. Scilicet Arbitria & Compromissa sunt redacta ad instar sententiarum & iudiciorum: ac proindè vt nemo præter Imperialem potestatem, potest de Imperialibus Iuribus cognoscere, nec partes coram alio quam Cæsareo iudice desuper litigare, ita de Arbitrijs & Compromissis arbitrandum.

Apertiùs & neruosiùs ex ipsis Pactis & Concordatis, quibus Leodiensium seditio causam vt plurimum præbuit, hoc ipsum resultat. Illíc namque, modo Episcopus, vocatur sine adiecto *Monsieur*, *Dominus*, modo *Le Sire*, apellatione Regibus quasi propria, eminentissimum denotante Dominium, nunc *Nostre Seigneur*, *Nostre Sire*, *Dominus noster*, nunc *Monsieur de Liege*, *Le Sire de Liege*, *Dominus Leodiensis*, Ad recognoscendos singulos nomina constituta sunt: & vnumquodque illud censetur quod nomen illius designat. Dominus, & Subditi correlatiua sunt, quorum vno posito alterum consequenter ponitur. Et in pactis, conuentionibusque serijs, eò magis seriò exaudiendæ & intelligendæ sunt compellationes. Nullæ hîc circumlocutiones. Vrbs quæ Dominum, quæ Dominum suum, quæ Dominum Ciuitatis apellat, non posset voce significatiore Dominium & superioritatem attribuere seu recognoscere. Dominium partis confessione probari nullus addubitauerit. Cum iuxta Iurisconsultos, Confessio partis sit omnium

proba-

probationum fortissima, rem notoriam efficiat, & mille præualeat testibus. Et per vocem *Noster Dominus*, significatur verum incommutabile Dominium superioritatis in Episcopo, & in solidum, absque alterius communione. Ne Ciuitatensis cauilletur, Magistratum posse esse ex parte Dominum. Neque quenquam Dominum suum facilè quispiam apellauerit, quocum Dominij portionem prætenderet. Expetisne testimonium in nostris Romanis? Lege Plinij Iunioris ad Traianum, Præfecti ad Cæsarem literarum volumen, non alio nec excelsiore titulo consalutat, *Dominum* apellat. Cæsar Augustus, Dominus, nec vltra, & timidè adhuc, apellari se permittebat. Notum est in theatro ad recitationem huius dictionis *O Dominum Æquum & bonum*, vniuersos versis in eum oculis consono applausu comprobasse. At aliter, monstrum non homo, Domitianus procuratorum suorum nomine formalem dictans epistolam exordiebatur, Dominus, & Deus noster sic fieri iubet. Cape & illud Vergilianum *Romanos rerum Dominos gentemque togatam*. Et Frontinianum de Roma, Regina & Domina orbis, quæ terrarum Dea gentiumque consistit, cui par nihil, & nihil secundum.

Equidem cætera Patriæ Oppida, quæ in ijsdem Concordatis sigillatim & nominatim comprehenduntur, Episcopumque ibidem coniunctim & inseparata voce Dominum clamant, nunquàm, quod existimem, controuerterunt, quin Episcopus sit verus & legitimus illorum Oppidorum Dominus. Quis ariolus, aut aruspex, ariolabitur nobis, quid causæ sit, quòd soli Leodienses, eodem iure in ijs concordatis, eodémque Domini nomine

nomine vtentes, aduersus confessiones proprias quærirare audeant, num Episcopus sit ipsorum Dominus? An aliquis præstigiator Mercurius solam hanc Ciuitatem dementauit, vt sicut Sosias herum suum Amphytruonem, cum quo in acie fuerat, & è naui ea hora exierat, de repente ignorare visus est, sic subditi suum Episcopum & Principem, quem per tot sæcula recognouerunt, ex improuiso nosse dissimulent?

Non potest ipsis memoria excidere, cum manu ipsis non excidat Codex manuscriptus Concordatorum, quòd queruloſis per Magistros, Iuratos, & Consilium Ciuitatis precibus Engelberto Episcopo porrectis contra Scabinorum abusus, qui principalem labefactabant licentiosioribus vocabulis iurisdictionem, sancitum sit in hanc verborum formam, sanctione sigillis Ciuitatis & reliquorum Oppidorum roborata. Vlterius statuimus, quod cum notum sit Iurisdictionem & Dominium Ciuitatis & totius Patriæ Leodiensis ad nos nostramque Ecclesiam, nequaquàm verò ad Scabinos, vel ad alium quenquam pertinere, ne dicti Scabini sese vocent, aut scribant Dominos Leodienses, neque eam Iurisdictionem esse suam, sed ad nos & Ecclesiam nostram spectare. Nihil hac luce clarius, nihil hoc testimonio manifestius! Rigidi enimuero Censores illo æuo erant Consules, & Iurati Leodienses, qui tam acutum cernebant in mendis Scabinorum, quas sana interpretatio curare, vel sanè excusare poterat! Nam Scabini à Principe creati, & vices illius in iudicando gerentes non adeo amenti aut improbo erant ingenio, vt se ipsos dicerent Dominos, vel Iurisdictionem esse suam, sed ob vicariam

quam in iudicio præstabant operam, suam dependenter à Principe esse Iurisdictionem. Si huc vsque tam austeros & seueros nacti fuissent Censores, Catoniana eiusmodi Censura Manlianos Consulatus dare potuisset. *Sed non videmus Manticæ quod in tergo est.*

Idem conceptis verbis dispositum est in Pacto anni 1386. 8. Octobris (quod Additamentum & Emendationem Legis nouæ vocant) vbi Adolphus Episcopus, assistentibus Capitulo maioris Ecclesiæ, Baronibus, Equitibus, Scutiferis, Magistris, Iuratis, Consilio Ciuitatis, & omnium Oppidorum Patriæ Leodiensis, inter multa salutaria, aduersus pernicioſos excessus nimia quorundam facinosorum temeritate glisscentes, ordinauit in hunc modum. Cum recenti corruptela in præiudicium Iuris nostri territorialis, & Dominicalis præsumant quidam armati in agros excurrere, & bona subditorum nostrorum aut limitaneorum apprehendere & asportare, domosque illorum incendere & demoliri priuata auctoritate, citra recursum ad nos, auctoritatisue nostræ Episcopalis implorationem, etiamsi illorum simus Domini temporales & spirituales simul & per Dei gratiam, Prouincialiumque nostrorum auxilium vires nobis ad corrigendum omnes maleficos suppetant, taliſque consuetudinis introductio euidenter tendat contra Iurisdictionem nostram & Dominium, & in detrimentum Legis municipalis in Prouincia nostra olim & ab antiquo probatæ & vsitatæ, qua cauetur Reos pœnæ capitis & mortis non ideo fortunarum suarum & bonorum amissionis Reos esse debere, nec illis priuari, nisi sponte sua bonis cedant: hinc est quod Statuimus & Ordi-

Ordinamus, non licere deinceps Ciuitati noſtræ, Oppidis, aut illorum aliquibus eo modo procedere, nec facultatem ſic procedendi habere, abſque noſtro permiſſu & aſſenſu. Verum in caſum quo aliquis illorum Ciuium grauetur aut opprimatur per quenquam potentiorem Incolam in Prouincia noſtra aut alibi, deponant apud nos querimoniam ſuam, vt nos tanquam ſupremi Domini prouideamus de remedio oportuno, quod lubentes præſtabimus ſecundum qualitatem exceſſuum.

Quo loco Princeps Adolphus Supremum ſe Dominum dixit non ad excluſionem Imperatoris quem ſupremorum in terris Supremum Dominum ſuum recognoſcebat, & à quo tanquam à primæuo fonte, ipſius defluebat Iuriſdictio, ſed quod Principatus Leodienſis ſit dignitas Regalis, & Epiſcopus hoc ipſo quòd eſt de Principatu per Cæſarem inueſtitus Iura Regalia habeat & exerceat, dependenter tamen à Cæſare.

In pace nuncupata Sanctæ Walburgis (à porta eius nominis, vbi Henricus de Geldria Epiſcopus arcem ædificauerat à Ciuibus poſtea inſidiosè interceptam) quæ in Oppido Hoyenſi die vndecima Octobris 1236. fuit per Arbitros vtrimque electos compoſita, poſt mulctam per Arbitros Ciuibus ob admiſſum attentatum irrogatam, ſpecialiter cautum eſt hoc tenore. Leodienſes tenentur eſſe auxilio Epiſcopo, Capitulo & Eccleſiæ Sancti Lamberti: contra vnumquemque tueri, & defendere Epiſcopum & hæreditatem Sancti Lamberti, vlciſci & vindicare quicquid in contumeliam & ignominiam perpetraretur. Non permittitur Leodiēſibus iuuare, aut receptare nobilem indigenam, aut quenquam

alium hominem, qui Canonicis Sancti Lamberti, aut aliarum Ecclesiarum Canonicis in corpore aut bonis nocere minitaretur, vel amicos illorum offendere: sed tenentur præsto esse Episcopo & Capitulo ad ius ipsorum manutenendum. Species quædam subiectionis, & vassallatus hominum Ligiorum eâ obligationum formâ denotatur, dum mortalium nemo eximitur, in quem pro Episcopi & Ecclesiæ suæ defensione arma sumere teneatur. Neminem exceptum intelligo, præter Cæsarem scilicet, Sacrumque Romanum Imperium. Quia ea exceptio sui natura inest in cunctis subditorum immediatorum iuramentis.

Proferri & in medium potest fœdus Clericale de anno 1286. inter solos Præpositum, Decanum, Archidiaconos & Capitula Maioris & Secundariarum Ecclesiarum ex vna, necnon Magistros, Scabinos, Iuratos, Consilium & vniuersam Communitatem Leodiensem ex parte altera, vbi statim in proëmio paciscentes exponunt (verba sunt) Quod de Consilio Perreuerendi in Christo Patris, Domini nostri, Domini Ioannis de Flandria Episcopi Leodiensis, & Nobilis Principis Ioannis Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ concordauerimus & concordemus. Et inferius inter concordiæ articulos, Nos paciscentes, ita egimus & conuenimus cum permissione & authoritate nostri Domini & Reuerendissimi Patris Ioannis de Flandria, qui ad nostram supplicationem huic legi ad quingentos annos duraturæ assensum suum accomodauit.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Aliæ in eandem rem Rationes.

INstitores diuersorum generum mercem transeuntibus exhibent vt emptorum in diuersum abeuntia ingenia captent. Vlysses vt Achillem inter Regis Lycomedis puellas dissimulatum deprehenderet, speculis, calymistris, & cæteris ornamentis cultum virgineum spectantibus Lanceam admiscuit. Non eâdem auiculæ omnes escâ capiuntur. Et vt Regum ac Principum notæ ex ipso genio exteriori vultuque ac gestuum habitudine appareant, non ideo æquè ab omnibus internoscuntur. Cyrus & Habis ambo in cunis expositi, ille Persarum, iste Hispanorum postea Princeps, disparibus signis agniti. Et Augustus ipse seruum se Alexandrum Herodis filium mentientem, & prudentioribus imponentem, ex callosa, laboribus indurata manu detexit. Eò inducor vt diuersitati palatorum confusæ multitudinis gratificaturus rem eandem alijs apparem condimentis. Ad mercem reuertor, quæ si proba sit, emptorem facilè inuenit.

In Iudicio Pacis (de quo Regali cogemur suo loco amplè dicere) competunt Episcopo in rem domesticam quotannis trinæ Nundinæ, in vsus successiuos vænalium, vini, frumenti, & carnis. Et interposita plurium sęculorũ intercapedine, Engelbertus Episcopus 24. Martij 1350. annuas generales Nundinas in Ciuitate ponè

ripam Mosæ instituit facta venturis vndecunque securitate. Et posterior sesquisæculo Erardus Episcopus Engelberti propinquus alias etiam annuas addidit ante & post festum Translationis Glorioſi Martyris Lamberti peragendas. Ius solemnium Nundinarum, earumque concessio est de Imperij Regalibus. Et quod Claudius Cæsar id ius Nundinale in Prædio suo à Senatu postulauit, in eo maiestatem Senatus agnoscere voluit, penès quem ante perpetuam Iulij Cæsaris dictaturam rerum summa residebat.

In quibusdam Statutis Ciuitatis Leodiensis sub Adolpho de sexta Aprilis (sed de anno discordant manuscripti) in hæc verba disponitur. Adolphus, quandoquidem Lex antiqua Caroli Magni Lex nuncupata, quã Scabini Ciuitatis nostræ Leodiensis seruant, est tam laxa quod Rei & malefactores dictæ nostræ Ciuitatis, iuxta eam Legem non possunt idoneè puniri pro mensura delictorum, Magistri, Iurati, Gubernatores & Vniuersitas dictæ Ciuitatis, de nostro expresso consensu licentia & autoritate conceperunt certa Statuta in annos quindecim duratura manente interim antedicta nostra Lege in suo robore. Et sub finem. Nos Magistri, Iurati, Gubernatores & Vniuersitas, ex quo præscripta Statuta fecerimus & Ordinauerimus vnanimiter, de voluntate, consensu, licentia & authoritate præmemorati Carissimi nostri Principis, rogamus & obsecramus antedictum nostrum Carissimum Dominum Reuerendissimumque vt eiusmodi Statuta approbare & rata habere, desuperque suam authoritatem interponere velit.

Paulinam seu Pauli secundi Summi Pontificis sen-

tentiam

tentiam, non magis refricandam ijs existimo, quam elephanti candidum, aut tauro rubeum pannum, aut noctuam gregibus auium proponendam, in quam gregatim aut agminatim rostro & vnguibus ferantur. Reuerentiùs de Sententia Sanctæ Sedis Apostolicæ, cuius filij sunt & esse debent peculiariter, singulari Sancti Conditoris symbolo? Sed in terminis incompetentiæ hoc in solo puncto manentes non viderentur esse iniurij, nisi quòd proprio facto contrauenirent: cum exceptio nullitatis à iure non improbetur. Et sentirem cum ipsis, ex capite incompetentiæ & ob defectum Iurisdictionis, quòd Pontifex de Regalibus, Iuribus, & temporalibus Imperij non sit competens Iudex, Cæsare per se & suos Iudices parato iustitiam administrare Paulinam impugnari posse, si præsuppositum & hypothesis subsisteret. Cæterùm nullis deterrebor exsibilationibus, quin ex iure suggeram. Literarias probationes, & partium confessiones, ex Iudicis incompetentia vim suam non perdere. Et sententias ex eadem incompetentia, nullitatum vicio irretitas, conualidari posse ex consensu secuto, aut acceptatione præsertim pacticia. Multò magis dispositiua vel etiam enuntiatiua verba acceptationum militare, & retorqueri aduersus acceptantes posse. Cui rei hoc præmitto. Anno 1477. decem & duobus annis à lata per Paulum Secundum Sententia Incolæ Ciuitatis & Leucæ bannalis Leodiensis amplum libellum supplicem porrexerunt Deputatis Metuendissimi Domini Leodiensis, & trium Ordinum Patriæ, vt intercessores essent apud Metuendissimum Dominum suum Principem, sub protestatione quod esse velint

veri

veri & obedientes ſubditi prædicti Metuendiſſimi Domini ſui Principis, nec ſibi quicquam iuris arrogare, bene memores Paulinæ ſententiæ. Qui Deputati die 19. Aprilis eiuſdem anni poſt lectam in Capitulo in ipſorum præſentia ſententiam, conuenerunt Principem in Palatio comitantibus Ciuitatis Deputatis, obnixe & humiliter rogantibus, ob cauſas in libello ſupplice contentas, vtque eo rectiùs publicis Patriæ negotijs ſubueniatur, placeat dicto noſtro Domino conſentire & permittere, quatenus in ſua Ciuitate liceat eligere Magiſtros & Iuratos. Quorum auditis poſtulatis prædictus noſter Dominus graui oratione recenſuit originem & cauſam diſſidiorum & bellorum præteritorum, vt in futurum ab ijs præcauerent, conteſtatus nihil potiùs ducere pace & quiete populi ſui. Expreſsè cæteroquin proteſtans nolle quicquam concedere in præiudicium Sententiæ ſuæ Apoſtolicæ, eaque proteſtatione mediante & non aliter præmemoratus Dominus noſter fecit licentiam, & facultatem ſupplicantibus faciendi, creandi, & eligendi Magiſtros & Iuratos, ſalua ſemper Sententia ſua, quam volebat inuiolabiliter obſeruari & manuteneri per vniuerſos ſubditos præſentis & futuri temporis. Quod quidem Ciuitatenſes acceptarunt magnas agentes gratias, & ſpondentes ſeſe conformiter facturos, futuroſque bonos, veros & fideles ſubditos. Et viciſſim noſter Dominus ſpopondit, ſi ita vt promittebant agerent, quod bonum & ſyncerum experirentur Dominum. Præcepitque dictus noſter Dominus ad rei memoriam perpetuam, proteſtationum huiuſmodi inſtrumentum fieri & aſſeruari. Ecce quàm enixis verbis

Domi-

Dominium temporale pluſquàm quadrigeminatur (ipſis nam verbis reddidi) & Sententia Pontificia in pactum & conuentionem deſcendit. Pacti originem & vinculum eſſe iuris gentium, illiuſque obſeruationem per naturam & æquitatem dictari ſciunt tyrones ipſi. At metuo, vt nimis verè Terentianus Phormio conqueri de ijs poſſit citra vllius ſyllabæ immutationem. — *Scio quo vos pacto ſoleatis perplexarier. Pactum, non pactum eſt, non pactum pactum eſt quod vobis lubet. Nolo, volo, volo, nolo rursùm, cede, cape. Quod dictum indictum eſt, quod modò erat ratum, irritum eſt.* Nam quoties aduerſus hunc Ludouicum Borbonium ſuum Epiſcopum (de quo iſthîc loquimur) rebellarunt, quoties errorem & pœnam deprecati ſunt, largiloqui promiſſores, re vacui & inanes? Nouem aut decem annis per antea Trudonenſi Oppido obſeſſo & capto, cum victricia Epiſcopus arma circumferret, Legatos veniam obſecraturos præmiſerunt, è quorum numero vnus ad ſocienos dixiſſe ſcribitur, Promittamus liberaliter quicquid volet, poſtmodum remiſſo domum exercitu nihil præſtabimus. Nec Romano nec Germano genio, ſed Periandri potius aſtu, qui pueros oſſiculis, Deos periurijs poſſe falli docebat. Neque in acceptatione huius ſententiæ minas aut metum ſuperioris prætexi potuiſſe animaduerto. Rediuerant enim cum Principe in gratiam, deprecatores habebant tres Patriæ ordines, libellum non potrigere liberum erat, vt & aduerſus ſententiam reclamare, ſi alicuius momenti exceptiones habuiſſent. Et iam in pace Oëlenia (à loco ſic dicta) pepigerant opere adimplere quæ in ſententia continentur, datis eam in rem quinquaginta obſidibus, è

corpore Ciuitatis Leodienſis duobus & triginta, è Tungrenſibus ſex, & ex Trudonenſibus & Haſſelenſibus totidem. Circa Paulinam non poteſt vel inuitus calamus tam ſiccè præterire. Iurgentur quantum lubuerit vſque ad Codri iurgia, & plura oggerant mala quam Cliniæ Demetrius. Impoſtura eſt, quod ſententia in Leodienſium contumaciam ſit lata. Definitiua fuit partibus plenè auditis, & probationibus vtrimque editis. Hiſtorias euolue, ſententiam ipſam pondera & excute, ſic eſſe reperies. Suo more turbas cientes cum in Epiſcopi Domini ſui iura ambabus pennis inuolaſſent, & ab attentatis moniti non deſiſterent, Epiſcopus Conſultis Iuriſconſultis Pariſiis, Cameraci & Louanij, qui iuxta iuris diſpoſitionem poterat per ſe vindicare ſuam & Eccleſiæ ſuæ iniuriam comminatione & inflictione cenſurarum & pœnarum Canonicarum & Legalium, ne propriæ videretur cauſæ Iudex, velut nouus Marcellus qui in minoribus ſubſellijs ſepoſito Trabeæ iure aſſidens Syracuſanorum de ſe querimoniam excepit, tanquam priuatus & de ſubditorum numero aliquis, ad Officialem Iudicem ordinarium pro adminiſtranda Iuſtitia recurrit: Dignum facinus, pro quo Imperatorium illud baſilicè eloquar, Digna vox maieſtate Regnantis, Legibus alligatum ſe Principem profiteri. Officialis Iudex aditus in iurium Eccleſiaſticorum & Principalium temeratores & inuaſores excommunicationis fulmen vibrauit: Quo percuſſi telo ad Officialem Colonienſem Metropolitanum eaque in qualitate ſuperiorem apellationis Iudicem prouocarunt, & pro ſuis narratis cenſuram circumduci anno 1462. obtinuerunt. Vnde Epiſcopus

copus ad Summum Pontificem, Officialium respectiuè Suffraganei & Metropolitani supremum Iudicem apellauit. Ne neglectim actum Conuiciator calumnietur, Pius Secundus, Christi tunc Vicarius & S. Petri successor, Legatum suum ad partes destinauit, coràm quo Ciuitatenses per Deputatos suos Aquisgrani comparuerunt, & quæcunque in attentatorum excusationem, ex capite scilicet prætensæ suæ Iurisdictionis habere crediderunt aut præsumpserunt, illíc & Romæ ad nauseam allegarunt, & tandem Pio vita functo, Paulus Secundus resumpta eiusdem causæ cognitione sententiam tulit, quæ ab eius nomine Paulina, odioso victis vocabulo, dicta fuit. Quæ ad rectam lineam examinata, incompetentiæ minùs rectè arguitur. Siquidem Leodienses sunt litem contestati, & in Pontificiam iurisdictionem vltrò consenserunt: quo casu Archidicasterium Spirense aliquando pronuntiauit, sententias Ecclesiasticorum Iudicum in rebus temporalibus latas viribus præstare propter reciprocum collitigantium consensum. Adhæc cum Episcopus à propriis subditis in Iurium suorum possessione turbaretur, turbatæ & reparandæ possessionis interdicto experiri ritè potuit coram Officiali Leodiensi vtraque Iurisdictione Ecclesiastica & temporali fungente, nec ei necesse fuit ad Iudices Feudales & Curiæ Pares diuertere: quandoquidem possessoria etiam rerum Feudalium fori sint ordinarij, maximè in fauorem Priuilegiatarum personarum, de quarum numero est Ecclesia. Non pigebit in Ecclesiasticæ Iurisdictionis Leodiensis gratiam incidenter quamuis extra rem adijcere, quod ex consuetudine

pluſquam immemoriali multis Archidicaſterij Spirenſis præiudiciis approbata, quoties teſtamentorum aut nuptialium tabularum, quæſtiones vertuntur, etiamſi de bonis Feudalibus controuertatur, ad Officialem Leodienſem & ab eo ad Superiores Iudices Eccleſiaſticos cognitionem pertinere.

In merum Epiſcopi in Ciuitatem Imperium conducunt etiam ſequentia. Quod ad exemplum amniſtiæ quam Traſibulus deletis triginta Tyrannis Athenis ſalubriter inſtituit, Et Aratus, ex eadem cauſa, Sycione, Epiſcopi multoties pœnitentibus & veniam flagitantibus ſubditis abolitionem & remiſſionem indulſerint. Sereniſſimus FERDINANDVS modernus Epiſcopus & Princeps paucos cis annos Plateolæ & flagitioſis complicibus eam fuit impertitus. Eo ſucceſſu, non quo fur domo, in qua deprehenſus fuit impunitus dimittitur, nunquam poſtea reuerſurus, ſed quo lupus vulpina nonnunquam fraude ab ouili & ſtabulo ſaluus euadit, greges & armenta breui vaſtaturus. Nulla hîc optimi Principis culpa, qui non niſi exceſſu clementiæ, quæ Regum & Auguſtæ ſuæ Bauaricæ domus propria eſt, peccare potuiſſet. Sed fœnerata nequiſſimorum perfidia, qui vbi ceræ inſtar ad Solem clementiæ liqueſcere debuiſſent, lutei obduruerunt.

Vincuntur molli pectora dura prece. — Molliſsima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur
Quæ lachrymas dedit, hæc noſtri pars optima cenſus,
Naturæ Imperio gemimus.

Anno 1343. prima die Iulij poſtquam Leodienſes ſatietas

tietas cepiſſet ſeditionum & turbarum inuicem, & aduerſus Adolphum Epiſcopum ſuum ſuſcitatarum, ſupplices ei facti generalem delictorum condonationem vulgari plebis inſanientis ſtratagemate flagitarunt, quibus Adolphus nobili & clemente animo conceſſit, ſeriò etiam inhibens, ne Ciuium vllus, Clerici, Domicelli & Villani (factionum ea fuerant nomina) agnomen, aut apellationem cuiquam exprobraret. Et ex interuallo anno 1477. in decimo tertio Libelli ſui prolixi articulo humillimè ſupplicarunt Ludouico Borbonio vt pro firmiore concordia inter ipſos & alios *Domini noſtri* ſubditos ſarcienda, eiuſdem *Domini noſtri* auctoritate, Edictum & præceptum ad tubæ ſonum fieret ſub arbitraria pœna, ne alter alteri præteritæ factionis ſocietatem obiectaret: & vt nemini poſthac fraudi foret, in hanc vel illam partem abiuiſſe. Id genus remiſſionis & gratiæ non procedit niſi à vero Domino & Principe. Scilicet eiuſdem eſt, quamuis pugnare videtur, Supplicibus facilem, ſontibus eſſe trucem. Tyrones tritam norunt iuris regulam, Non poteſt abſoluere, qui non poteſt condemnare.

Priuilegia quæ meritò magni æſtimanda ſunt Cæſarum Maximiliani Primi, & Caroli Quinti hanc ſubiectionem Stentoreo concinunt organo. Maximiliani vnum de anno 1518. 24. Iunij ijs conceſſum ne in prima inſtantia ad tribunalia extraordinaria extrahi valeant, Subditos & Homines Patriæ, & Dominiorum Eccleſiæ Leodienſis vocat. Et Caroli Quinti de 27. Iulij 1521. illius confirmatorium Subditos ſimiliter expreſsim nuncupat. Neque alia in qualitate, quam Subdito-

rum, sunt ijs tributa, nec aliter quam Subditi ijsdem gaudent & fruuntur. Maximiliani parens Fridericus Tertius Imperator Ludouicum Borbonium Episcopum, dum anno 1473. fidem ab eo (homagium dicimus) accipit, verum & ordinarium Leodiensium Dominum profitetur, his ipsissimis verbis, Quocirca mandamus singulis Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Vasallis, cæterisque terrarum Ciuitatum, & locorum Episcopatus Leodiensis subditis nostris & Sacri Imperij fidelibus dilectis quatenus ipsi Ludouico Episcopo Leodiensi veluti vero & ordinario eorum Domino reuerenter pareant; nostris tamen & Sacri Imperij Iuribus, autoritate & superioritate, in præmissis, semper saluis. Vetustiora aues audire? Henricus Romanorum Rex Rescripto suo Wormatiæ 13. Kalend. Februar. 1231. quam dilucidè? verba fideliter accipe. Vniuersis Ciuibus Leodiensibus, cæterisque Burgensibus ad Episcopatum Leodiensem pertinentibus. Notum facimus quod nos Dilectum Principem & Consanguineum nostrum Ioannem Venerabilem Leodiensem Episcopum in omni Iure suo volumus confouere, fidelitati vestræ præcipiendo mandamus dictum *Dominum Vestrum* Leodiensem Episcopum in omni eo Iure & Dominio in quo prædecessores sui fuerunt, esse plenariè permittatis.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Obiectiones nonnullæ & earundem Refutatio.

SEnecæ illud vſurpare queam. Audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quam infeſta ſit veritati. Pythagoras de omni re, in vtramque partem diſputat, & de hac ipſa re an omnis res in vtramque partem diſputabilis ſit. Zenon Eleates omnia negocia de negocio deiecit, ait nihil eſſe. Circa eadem ferè Pirrhonij verſantur, & Megarici & Cretrici & Academici, qui nouam induxerunt ſcientiam nihil ſcire. Inter diſcipulos ſuos priuatím illi, & eo minus ex dogmatibus periculi. Periculoſiùs Critias qui ad eloquentiæ oſtentationem, in laudem iniuſtitiæ palàm orauit, & Catoni ſuperiori occaſionem dedit vt author eſſet quantocyus dimittendum, ne impijs verbis mores Vrbis corrumperet. Qui iniquis Dominium ferunt oculis præter alia fabulantur, in quibuſdam medij etiam æui inſtrumentis Magiſtratum Leodienſem, quandoque coniunctim cum Principe, quandoque ſeorsìm loquendo de Vrbe Leodienſi vti pronomine, *Noſtram*, & ſic ſuam Vrbem ſignificare. Vice verſa Epiſcopum in antiquiſſimis, antiquis, recentibus, & etiam hodiernis pleriſque documentis ſimpliciter ſe ipſum apellare Epiſcopum Leodienſem abſque adiectione Domini aut Principis Leodienſis. Quid de priore obiectione cenſeam, iam patuit dum ſupra recenſui Decretum olim ab Epiſcopo ad Senatus,

natus, Populique preces aduersus Scabinos euulgatum, vt deinceps epitheto Nostræ Ciuitatis abstinerent quod ea esset solius in solidum Episcopi. Qua deinceps fronte eo reprobato & interdicto epitheto vti potuerunt, vel nunc in aliquam illud trahere consequentiam, quod soli Episcopo competere asseuerarunt? Lubet fortè ijs ea committere quæ pridem in alijs vindicarunt: & Licinium Stolonem Plebei Consulatus auctorem imitari, qui rigidis & seueris illis adhuc Romanæ indolis temporibus, cum Lege sanxisset ne quis vltra quingenta agri iugera possideret, ipse mille comparauit, dissimulandique criminis gratia dimidiam partem filio emancipauit. aut C. Marium qui antea Saturninum à quo ergastula in modum vexilli Pileo, libertatis signo, ostentato ad arma capiendum concitata fuerant, ideo oppressérat, postmodùm aduersus L. Sullam ad auxilium seruorum Pileo sublato confugit? Rara tamen est *Nostræ Ciuitatis* apud Senatum Leodiensem vsurpatio, sæpius omisso pronomine, Ciuitas simpliciter dicitur, aliquando eo retento, non nostra Ciuitas, sed nostra Communitas intitulatur: & quoties nostra Ciuitas reperitur, eo vsu & significatu arbitror irrepsisse, sicut omnes in vniuersum, Patriam nostram, Vrbem & Ciuitatem Nostram, ingenuo ore & sermone iactamus in qua nati & educati sumus. Et in Iure nostro scribitur, Nulli Patriæ suæ administrationem esse committendam absque speciali Principis Rescripto. Vbi Imperatores Patriam & Vrbem Nostram aiunt, ex qua oriundi sumus. Neque quicquam suffragari queat, quòd vetere voce populus Consules suos solitus

solitus sit vocare Ciuitatis Magistros, quasi aliquid in eam Dominij obtinerent. Propter curam enim & diligentiam quæ ex hoc munere Consulibus incumbit, dicti fuere Magistri. docente id Iurisconsulto. Quibus (inquit) præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus quibus præsunt debent, hi Magistri apellantur. Quin etiam ipsi Magistratus per deriuationem à Magistris cognominantur, vnde etiam cuiuslibet disciplinæ Præceptores apellamus, à monendo vel monstrando. Altera obiectio petita à propria Episcoporum inscriptione, qui Episcopos sese Leodienses, & Comites Lossenses & Bullonienses Duces vocarunt, non autem Dominos Leodienses, leuior est pluma. Dialecticorum est paræmia. A potiori, aut digniori parte desumi denominationem. Episcopatus tanto dignior est Principatu quanto spiritualia temporalibus præstant. Deinde qui causam expressit, concomitantem effectum hoc ipso includit. Dum sese Antistites inscribunt Episcopos Leodienses, Dominos etiam Leodienses eo ipso innuunt, quia huic Episcopatui, quem initiatione Sacra & Ecclesiastica adipiscuntur, inest concomitatiuè vt vmbra corpori, radius Soli, Maiestas Dominij temporalis olim annexi, & successiuè per Episcopos ab Imperatoribus recogniti. Pari sophismate temporalem Summi Pontificis autoritatem in Vrbe Romana maledicus aliquis arrodet, ex eo quod Papa se Episcopum Seruum Seruorum Dei nominet, & non Vrbis Romæ Dominum. An non statim quasi in initio, Codicis Iustinianæi legitur inserta Summi Pontificis ad Iustinianum Imperatorem Epistola, hac adscriptione,

Ioannes Episcopus Vrbis Romæ, & ipsius Iustiniani ad eundem, Iustinianus Ioanni Episcopo Vrbis Romæ. Etiamsi Imperator illum non Episcopum tantùm, sed vniuersalem, & omnium Ecclesiarum caput, & Supremum Pontificem agnoscat. Romana (inquit) Ecclesia caput est omnium Ecclesiarum. Et alibi. Et Legum originem anterior Roma sortita est, ita Summi Pontificatus apicem apud eum esse nemo est qui dubitet: Vnde & nos necessarium duximus Patriam Legum, fontem Sacerdotij, speciali nostri numinis Lege illustrare. Obtrudunt eiusdem cathegoriæ minutias quasdam, mera inanimenta, quæ cum strepitu vulgus accipit, quod crassi colores plebis oculos feriant acrius. Ea sunt; Populum Leodiensem sibi Constituere Consules, qui à prædecessoribus inthronisantur (thronum dicunt sedem alijs eleuatiorem & eminentiorem) & in Consulatus possessionem inducuntur absque Episcopi aut Officiatorum eius interuentu. Dum instat annua electionis dies, & abituri Magistratu Consules populum sunt allocuturi, aduocatur per nocturnos præcones populus, qui Ciues intempesta sua conuocatione Dominos Ciues apellat, vt proxima die, stata hora ad Palatium conueniant. Quod in iucundo noui Episcopi ad Ciuitatem aduentu, Consules ei vsque ad certum Pontem occurrant, & latus eius tegentes medium deducant, neque porta aduentanti aperiatur, nisi addixerit Priuilegia Ciuitatis sarta tecta conseruare.

Quis crederet exiguas istiusmodi circunstantias aliquando in argumentum producendas? Quam frequenter laberentur legumlatores ipsi, si inaduertentia &

quidam

quidam contemptus modicarum rerum venerit in lapsum aut culpam? Quoties illi ex incude æquitatis procudunt, De minimo non curare Prætorem; Parua non esse in Consideratione, Vulnuscula inferentem, non comprehendi sub Statuto in vulnerantes facto, Magistratum & Officialem non esse pro minimo syndicandos, ob modica recedi à regulis iuris communis. An rectiùs Plato qui cum alea quendam ludentem vidisset & reprehendisset, & lusor tam parua reprehendentem miraretur, respondisse fertur, à paruis audaciam ad maiora crescere, & ab ea consuetudinem facilè nasci. Sapienter Paterculus. Non ibi consistunt exempla vnde ceperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè euagandi sibi viam faciunt, & vbi semel à recto deërratum est, in præceps peruenitur. En in quantum, scintillæ neglectæ exarderent incendium? Consulatus nouitius est, & ab vsurpatione violenta cepit initium, quod in alium locum reijcimus: humanitatis etiam & priuatæ cuiusdam comitatis fuit auspicantes Principatum suum quosdam Episcopos in Vrbis primo ingressu, Magni Pompei exemplo popularitatis gratitudinem affectantes, ad latus suum Consules admittere, & medium inter eos ad portam & Ciuitatem incedere, nunc quod Vrbanitatis & Ciuilitatis tantùm fuit, inciuiles & inurbani necessitatis & obligationis fuisse altercantur. Nolis tibi tales esse hospites, quos si semel amicitiæ iure lautè exceperis, hoc argumento domum tuam, suam esse volent. Pressiùs obiectiunculas opprimamus. Vicorum & Pagorum Ditionis Leodiensis Incolæ quotannis binos sibi Consules, quos Burgi-ma-

gistros vocant, quasi Burgorum seu Villarum Magistros, constituunt, non minùs ac Vrbs Leodiensis & cætera eiusdem Territorij, Oppida. Et Burgi-magistrorum nomen quo velut prælto cothurno Leodienses lasciuiunt, à Burgis seu Pagis acceperunt. Vt nulli illorum Vicorum & eiusdem Prouinciæ Oppidorum venit vnquam in mentem Episcopi sui Dominium eo colore impugnare, quod à Consulibus seu Magistris dirigantur, sic ægrè ferendum, si à Leodio, hi nouitatum motus prodeant. Installari aut inthronisari per immediatos prædecessores, non magis ad imminutionem Dominij Episcopalis fuit, quam quod quotidie simplex notarius prouisos de beneficijs Ecclesiasticis immittit in illorum possessionem per tactum altaris, libri, campanæ, aut loci alicuius assignationem. Quidni honestiore & altiore è loco in contribules, quos Iuratos vocant, prominere eos deceat? Pro Rostris oratores Romani verba faciebant ad populum, & hodierni nostri concionatores è suggestu. Et in sua quisque domo Paterfamilias honoratiùs assidet, quàm cæteri domestici. Principis officiatis nihil circa Consulum licere creationem, audacius quam verius inuentum. Quoties illos, aut Consiliariorum Ciuicorum quenquam vicio creari contingit, ius est Prætoribus ad destitutionem & priuationem agendi, electos & electores, ambitus, sordium & corruptelæ accusandi: vt & in iudicium vocandi, si in Consulatu aut Decurionatu delinquant. Quanquàm, proh dolor, vix hodie quicquam frequentius, ambitu, sordibus, corruptela, quæ longa licentia & impunitate, tanquàm herba irrigua succrescendo, vberrimè mucronem Legum hebetarunt,

betarunt,& ſpem corrigendi ſuſtulerunt. Adeo vt ſi noſtro tempore viueret Tiberius dubius conſultaret, an ſuaſurus eſſet omittere potiùs præualida & adulta vicia, quàm hoc adſequi vt palam fieret, quibus flagitijs puniendis Principes impares eſſent. Eiuſdem eſt vanitatis, quod Præcones in Comitium noctu aduocantes populum,Dominos Ciues inclament.Cum apparitores & Miniſtri ſint Ciuium ſeu Ciuici Magiſtratus ad reuerẽtiam eos Dominos apellant: & ipſimet Conſules in ſuo ad congregatos Ciues alloquio, Dominos itidèm compellant. At crudiùs multò, & pro Subditorum conditione compellandi forent iuxta formam Præconibus per Engelbertum in Conſtitutione Nundinarum 24. Martij 1350. præſcriptam; vti ſcilicet auſpicantibus Nundinis inclament ad Populum,Audite,Audite,Audite. Nec eſt quod in ſermone populari, in quo perſæpè loco nuclei ſunt putamina, theſaurum reperiſſe quis autumet, iuriſprudentia ſapientiæ ſchola hunc vocis abuſum tolerat. Vocabulum, Dominus, ſecundum qualitatem perſonæ intelligi debet. Interdum etiam mariti vxores Dominas ſuas apellant, non ob Dominium directum vel vtile,ſed ob prærogatiuam & præëminentiam quandam in domo, ob quam mariti vxores Dominas ſuas vocant: iſque loquendi vſus ab peritorum conſuetudine profluxit, quando & Poëtæ Latini nonnunquam vxores Dominas apellant. Et Iuſtinianus noſter liberaliùs Theodoram coniugem, Reuerendiſſimam vocauit, quam in Lege ferenda participem feciſſe non erubuit. Ipſe Iulius Cæſar, milites ſuos propè ſibi cõæquans, commilitones vt plurimùm, nonnunquàm

Quirites nominabat, qua sola nominis præfatione armatæ seditionis facem semel extinxit. Cerno quid tacitus secum immurmuret Plebicolarum aliquis: nam Publicolæ vt sint qui his artibus auram & aurem popularem venantur, alio Menenio Agrippa opus mihi fuerit. Quilibet (subsusurrat ille) Ciuis Leodiensis est domi suæ Dominus, & per manus traditum Caroli Magni Priuilegium Vrbi huic concessum, quo Paterfamilias est domi suæ Regulus. Ius commune agnosco, priuatum & peculiare, nisi posthumis sæculis occupatum ignoro. Ex iure adolescens didici, domum suam cuique tutissimum refugium & receptaculum esse: neminem ex ea temerè extrahendum, & aduersus eum qui alienam domum inuito Domino introiret iniuriarum actionem dari. In summa, ædificia esse iuris gentium. Elysiorum tantum camporum est ea fælicitas, & illos incolentium

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
Riparumque domos & prata recentia riuis
Incolimus.

Frustra à Carolo Magno fuisset impetratum quod iure communi est concessum. Et axioma, quemlibet domi suæ esse Regem, est carbonarij cuiusdam galli ad Regem suum, quem solum & ignotum (in venando à comitatu aberrauerat) in tuguriolo excipiens & detrectantem in herili sedili accumbere, cõegit faceto eo dicto, vnumquenque in Lare priuato Regem agere posse.

Quod de occursu Consulum, ad Principem auguratò aduen-

aduentantem allegatur qui latus eius tegant, & medium comitentur, miserrimam puto Principum conditionem hoc nomine, quod dum populo placere per popularitatem nimiam satagunt, subditi quibus non de meliore luto fixit præcordia Titan, humanitate abutuntur. Peregrè aut foris adueniens nouus Princeps in eam Ciuitatem vbi Persico ritu (quo Reges nihil cum populis consociant & capitale fertur Regium attingere thronum) non viuunt Principes, officij gratia occurrentes & pedibus suis aduolutos Consules comiter resalutauit, & vt sudum erat, deserta rheda equum conscendit, binis stipatus Consulibus quò nouis subditis toto corpore appareret, quid inde circa Dominium, præiudicij, aut nocumenti? Abi liuor, vel Augustum verè Augustum carpe, de quo Suetonius, Promiscuis salutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem. Et de Tito amore & delitio generis humani, idem. In desiderijs animum hominum obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret, non oportere inquiens quenquam à sermone Principis tristem discedere. Necnon Dion Cassius de Traiano neutro minore, Amari, & obseruari, quàm timeri malebat. De portæ occlusione, quæ fit aduentanti vnde ea cæremonia originem traxerit, an à ludionibus & histrioniam agentibus vigilibus, an à licentiosore insolentia, num verò serium aliud contineat, non habeo compertum. Nec omnium quæ à maioribus constituta, aut permissa sunt, ratio reddi potest. Hoc affirmem: de

autori-

autoritate & poteſtate Principali nihil inde decedere: cum vbiuis terrarum reciproca ſit Dominorum & ſubditorum obligatio, illorum legitimè imperare, horum morigerè parere. Olim ſolemne fuit Ducibus Carinthiæ (ſi Munſtero Coſmographo credamus) pro inaugurationis præambulo, purpuratorum caterua ſtipante in agrum declinare, & ibi à Ruſtico in lapide marmoreo exiſtente propè quem bos fæta & equus macilentus eſſent, circumfuſa aliorum Ruſticorum multitudine interrogari elata voce an eſſent iuſti Iudices, & Chriſtianæ Religionis obſeruantes, ſubditorumque ſalutem in ſuo regimine præ oculis habituri, nec priùs interrogantem de loco concedere, quàm Ducis inaugurandi nomine Oeconomus affirmaſſet: quo facto Dux in ſedem marmoream aſcendebat, & ſtricto gladio in quatuor Orbis partes rotato, fidem auitam, iuſtitiamque bono publico tueri iuratus promittebat. Putaſne Corydon ille qui Principem ita interpellabat, Principalis authoritatis ſocius erat? Heraclito riſum citiùs moueris, quàm cuiquam id perſuaſeris. Eum ritum Agricolis pridèm permiſſum ferunt, quod omnium in illo populo primi Seminatoribus verbi diuini animos culturæ patientes accomodaſſent.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Episcopum Leodiensem esse Principem Ciuitatis, Vrbium & Prouinciæ Leodiensis.

RVbrica erit amplior textu. Nam si probare susciperem, quod Episcopus sit totius Prouinciæ & cæterorum Oppidorum Princeps, fideles vasalli insignem viderentur accipere iniuriam, quasi generali thematis propositione, coniungerem vacillatione Fidei, quos causa coniungit. De Vrbe Leodio mihi tantùm sermo, etsi rationum identitas alias inuoluet Vrbes. Præiaciendum mihi huic ædificio fundamentum pro primi & principalis argumenti soliditate. Prima & eminentissima est feudorum, Regalium species. Regalia feudistæ vocant summa iura Imperij in signum supremæ præeminentiæ concessa & reseruata Imperatori ad Imperij maiestatem & dignitatem conseruandam. Quæ dum Imperator alteri concedit, in aliquibus Regnis, Prouincijs, aut Territorijs, Regalia feuda dicuntur. Eaque in maiora & minora adhuc Regalia subdiuiduntur. Et potissimùm minora sunt, quæ obuentiones Fiscales, & emolumenta concernunt, soli tamen Imperatori, aut quibus is illa fuerit impertitus, debita. Etsi in Imperatore tanquàm in fonte ea iura sint, obtinuit tamen Regalia, & non Imperatoria dici, quia in Libris Feudorum, vbi specialis est Regalium tractatus, Imperator plerumque & indifferenter Rex vocatur: & de

more iuxta auream Caroli Quarti Bullam, non inauguratur Imperator antequàm creatus sit Rex Romanorum, Regalia igitur dicta quod à Rege, id est, Imperatore tanquàm à primæuo fonte riui profluant. Nimirùm Imperator est fons & Oceanus omnium Iurisdictionum, à quo omnes in Imperio authoritates, & potestates sæculares deriuantur, per inuestituras, indulta & concessiones, mediatè & immediatè: ac vicissim ad quem, vt flumina in mare, Iurisdictiones omnes remëant & reuoluuntur per euocationes, apellationes, nullitatum, & querelarum recursus, commissi vias & aliter. Regalia inter Feuda, compilatores Feudalium Librorum numerant Regna, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus. Ne quis ad Regnorum pronuntiationem stupeat, quasi Feudorum ab Imperio olìm dependentium: sic fuit, & ideo gloriabundè Historicus ait, Instrumenta seruitutis fuisse Reges. Notumq; est, Massanissam Eumenem, Attalum, Deiotarum, Iubam & alios plures fuisse Populi Romani clientes, & vasallos. In eundem Regalium Feudorum Catalogum, veniunt Principatus, Delphinatus, Lantgrauiatus, Vicecomitatus, & Baronatus. Etenim de Germaniæ consuetudine, inter Comites & Barones vix alia est, quam nominis differentia. Potest euenire nonnunquam vt Imperator certa iura de Regalium genere alicui concedat, sed non ideo Regalem dignitatem: & talis diceretur obtinere aliquod ius Regale, non autem Feudum Regale, quod tunc esse dicimus quando ab Imperatore conceditur, cum annexa Regali dignitate aliqua è prænumeratis. Quod Principis nomen attinet, scio nunc generalius, nunc specialius accipi. Modo

etiam

etiam pro Principe ſupremo vt Auguſti & Tiberij temporibus Imperator Princeps ſimpliciter apellabatur, Cæſares verò, Nepotes, aut Pronepotes, quorum erat proximus ſuccedendi in Imperium gradus. Aliter, ſpecialiter nihilominus, à Doctoribus vocabulum Principis intelligitur, dum diſtinctam faciunt dignitatem inter præcipuas Regalium Feudorum ſpecies. Si quis peculiariter Principatus naturam & qualitates indagare exoptauerit, Chaſſaneum in Catalogo gloriæ mundi, & vberiùs Iacobinum de Sancto Gregorio in ſuo de Feudis tractatu, vbi occaſione Principis Pedemontium per hanc materiam diſcurrit, otiosè lectitare poterit. In viam eamus. Epiſcopus Leodienſis à Leodio condito & Epiſcopatu illuc tranſlato, Regalia ab Imperatoribus accepit, Iuriſdictionem temporalem ab ijs recognouit, & releuium ſucceſſiuè præſtitit: adeo vt ante releuij ſubitionem non licuerit nec huc vſque liceat Epiſcopo, illiuſve Iudicibus actus exercere Iuriſdictionales. Non ex capite Iuris Feudalis in genere: quia problematica eſt quæſtio vtrum poſſeſſio rei Feudalis non poſſit abſque inueſtitura apprehendi, non paucis aientibus, modò intra tempus præſtitutum Feudatarius poſtea inueſtiatur: verùm ob feudi Regalis excellentiam. Neque Epiſcopo Regalem competiiſſe dignitatem, & ab eo ſemper recognitam inde figuraueris, quod qui eſt Epiſcopus Leodienſis ſit per annexum Comes Loſſenſis, Marchio Franchimontenſis, & Dux Bullonienſis; quæ omnes dignitates ſunt citra dubium Regales. Nam Franchimontum, alio tunc nomine Foreſta, in manum & poteſtatem Eccleſiæ Leo-

dienſis ſub Stephano, decimo in ordine Epiſcopo primùm deuenit: Et Comitatum Loſſenſem Arnulphus Comes viuente Baldrico etiam Comitis Loſſenſis filio, octauo & decimo Epiſcopo ſpe ſobolis deſtitutus eidem Eccleſiæ addixit: Ducatus verò Bullonienſis eſt vtroque multò recentior. Heros ille inuictiſſimus Godefridus, Bullonij & Lotharingiæ Dux, idemque Marchio Antuerpienſis, terram Sanctam & loca Chriſto Deo calcata ab infidelium tyrannide aſſerturus, eum Ducatum Oberto ſexto ſupra vigeſimum Epiſcopo Marchionis Brandemburgenſis filio vendidit, & profuſo in tam pios vſus patrimonio, cum millibus peditum ſexcentis, & centum equitum millibus ad Hyeroſolymitanam expeditionem fæliciter perrexit, venit, vidit, vicit. Exemplum, ô vtinam, Chriſtianis Principibus imitandum? Succurrit mihi Lucani querimonia.

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.
Heu quantum terræ potuit, pelagique parari,
Hoc quem ciuiles ſuderunt ſanguine dextræ?

Ducatus deinde Bullonienſis, & Comitatus Loſſenſis per ſui cum Epiſcopatu vnionem & incorporationem non exuerunt priſcam naturam, ſed antiquum retinuerunt Statum, & ſeparatis proprijſque vt antea Iuribus ſuis reguntur; neuterque illorum Legi Leodienſi ſubiacet. Quo factum eſt, vt cum in iudicio Pacis recenſentur potiſſima Prætoria & Auditoria Epiſcopi locis diſtincta, duodecim numero, quæ aliter Capellæ duodecim Epiſcopi quondàm dicebantur, nullum illorum intra Ducatum & Comitatum prædictos repoſi-

tum

tum fuisse videamus, quia vtrobique antiqui ritus obtinuerunt, illorumque tribunalia Lossensia & Bullonien-sia sunt, non Leodina. Hinc Regalis dignitas Episcopi alia adhuc esse debet à dignitatibus horum Ducatus & Comitatus, quæ pariter sunt Regales. Ex quo simul consequitur optimo iure Episcopum esse Principem, qui vltra Regalem Patriæ Leodiensis & existentium in ea Vrbium (quarum non paucæ olim titulos etiam Regales habuerunt) dignitatem, tribus insuper illis Regalibus, quibus quarto loco Comitatus Hornanus additur, insignitè præfulget. Enimuerò Episcopus ipso momento quo de Regalibus à Cæsare inuestitur, Regalia omnia maiora, quæ Principibus Imperij conferri possunt, assequitur. Merum Imperium, monetam cudere, Leges locales condere, ad expeditionem Iustitiæ Iudices & Magistratus constituere, securitates concedere, de non offendendo mandata relaxare, armorum ius, & pleraque id genus, in maiorum Regalium numerum singula relata. Maiora sunt quæ ad Supremi Principis authoritatem pertinent, eique sunt specialiter reseruata, nec alicui alteri, nisi ex speciali priuilegio competunt. Quemadmodum & de maioribus Regalibus est, extraordinaria ad fæliciſſimam Regalis numinis expeditionem collatio, quam Episcopus subditis suis in subsidium aduersus Turcas & consimiles expeditiones nemine contradicente solet indicere.

Nec Iuris prudentibus est incognitum quod ad consequendum Regalem aut Principalem dignitatem sufficiat quod Imperator ex certa scientia aliquem consalutet Regem aut Principem. Porrò Diui Cæsares Maxi-

milianus Primus & Carolus Quintus Episcopos Leodienses Diplomatibus suis ex certa scientia suos & Sacri Romani Imperij Principes compellarunt. Ille quidem suo fauorabili rescripto 24. Iunij 1518. sic inquit. Dignum arbitramur & Cæsareæ Maiestati conueniens Principes & subditos Nobis & Sacro Romano Imperio deuotos & bene meritos, glorioſisque & fælicibus illius succeſſibus congaudentes ſpecialis alicuius prærogatiuæ Priuilegio confouere. Volentes itaque Venerabilem Erardum Episcopum Leodienſem Principem noſtrum deuotum dilectum, Ecleſiam & Prouinciam Leodienſem Sacri Romani Imperij propugnaculum atque præſidij turrim ac præcipuum membrum atque eorum in nos prædeceſſoreſque noſtros & Sacrum Imperium bene merita & crebrius impenſa beneficia & in futurum ab eiſdem impendenda Cæſareo fauore atque gratia proſequi ſpeciali.

Et idem in alio ad eundem Episcopum ſub eadem data Diplomate ſic orditur. Venerabili Erardo Episcopo Leodienſi Principi deuoto Nobis dilecto —— Precibus tuis Cæſareo noſtro fauore inclinati te & Ecleſiam Leodienſem, cui Deo autore Paſtor es conſtitutus, ſub noſtram & Sacri Romani Imperij protectionem aſſumentes. —

Hic verò in confirmatione Priuilegiorum 27. Iulij 1521. ita incipit. Carolus Quintus Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator. — Itaque priuilegia Venerabili Erardo Episcopo Leodienſi Principi & Conſiliario noſtro Deuoto, Dilecto, ſuiſque ſucceſſoribus Ecleſiæque & Prouinciæ Leodienſi, ac vniuerſis

sis & singulis illius subditis à quondam Diuæ memoriæ auo & anteceſſore noſtro Maximiliano conceſſa confirmamus — Iterùm in executorialibus per eundem Cæſarem Carolum Quintum 7. Decembris 1529. & 20. Octobris 1530. conceſſis, Erardus Epiſcopus Leodienſis vocatur Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Erardus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Amicus, Princeps, & Conſiliarius noſter. Ad parem modum Diuus Ferdinandus Primus in alio Priuilegio 28. Nou. 1562. Ferdinandus Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator. — Notum facimus quod nobis Venerabilis Robertus Epiſcopus Leodienſis Princeps deuotus nobis dilectus humiliter exponendum curauit. Ipſi conformiter Ciuitatenſes tam in particulari quàm in communi Epiſcopum in actubus publicis non tantùm Dominum ſuum, ſed ſingulariter Principem ſuum agnouerunt. Velut in libello ſuperiùs memorato, quem in anno 1477. in Aprili præſentarunt Epiſcopo, & ſubſequente ordinatione 19. Aprilis eiuſdem anni, vbi vocant Metuendiſſimum ſuum Principem, & nunc Metuendiſſimus illorum Princeps, & aliquandò ſimpliciter, illorum Princeps vocatur. Et in confœderatione trium Patriæ Ordinum ſeu Epiſcopalis confœderationis cum Maieſtate Catholica & eius Prouincijs 1518. initæ approbatione Ciuitas & cuncta Patriæ Oppida prout & Eccleſiaſtici ac equeſtris ordinis viri nominant Erardum Epiſcopum, ſuum Metuendiſſimum Principem & Dominum. Vt & 18. Februarij 1531. in trium Ordinum Comitijs Ægidius de Blocquerye Sigillifer & Canonicus Leodienſis comitatus Conſulibus

Leo-

Leodiensibus, & Oppidorum Deputatis comparuit coram Scabinis Leodiensibus nomine Metuendissimi & Reuerendissimi Domini, Domini Cardinalis nostri Metuendissimi Domini, & Principis, petens ad acta Iustitiæ insinuari & registrari Priuilegia Imperialia fauore & contemplatione nostri Metuendissimi Domini & Principis pro bono communi concessa. In constitutione memorabili Georgij ab Austria circa nemora & siluas cæduas & inciduas lata anno 1551. 15. Decembris hic est titulus, Georgius ab Austria Episcopus Leodiensis Princeps Sacri Imperij, Dux Bullonienſis, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis. Instrumentum inuestituræ Guidonis Episcopi de Leodiensi Principatu ab Adolpho Romanorum Rege 12. Kalend. Iulij 1294. Werflariæ inuestiti non poterat apertioribus verbis concipi. Sunt illa. Cum Venerabilis Guido electus & confirmatus in Episcopum Leodiensis Ecclesiæ *Princeps noster* Dilectus omnimodæ obeditionis insignia præsentarit, — Regalia Feuda, *Principatus* Pontificalis Ecclesiæ Leodiensis quam obtinet de liberalitate Regia & exigente Iustitia concessimus, & eundem Guidonem electum & confirmatum *Sceptro Regio* inuestiuimus præsentialiter de eisdem, administrationem temporalium & Iurisdictionem plenariam Principatus Eiusdem Ecclesiæ ei committentes. Ante quem Rudolphus Primus primo Imperij anno huius formæ iussionem in Episcopum emisit, Cum Venerabilis Henricus Leodiensis Episcopus *Princeps noster Dilectus* Feudum venalium Ciuitatis Leodiensis alienauerit sine nobis, eidem damus tenore præsentium in mandatis, quatenus feudum prenotatum vendi-

venditum quod nullatenus proprio motu sic alienare potuit, Regia sibi authoritate resarciat. Et anteriùs adhuc Guilielmus & Henricus ambo Romanorum Reges, ille anno 1254. Idib. Ianuar. hic 13. Kalend. Februar. 1231. Henricum & Ioannem Episcopos Leodienses vocant dilectos Principes & consanguineos suos. Illis posteriùs alius Carolus 6. Kalend. Decemb. 1346. in Priuilegiorum confirmatione, inquit, Precibus fidelis nostri Principis Engelberti Leodiensis Episcopi inclinati, omnes Libertates, Donationes, dona, Priuilegia à Diuis Imperatoribus & Regibus concessa Episcopo & Ecclesiæ Leodiensi confirmamus.

CAPVT DECIMVM.

Discussus Error Ioannis Placentij quoad titulum Principis.

IOannes Placentius professione Monachus qui tempore Erardi de Marka Episcopi & Principis Leodiensis Ecclesiæque Romanæ Cardinalis, vixit, & lucubratiunculas suas ei dicauit in Epitome vitarum Pontificum Leodiensium in rebus gestis Henrici vigesimi quinti Episcopi, Lotharingiæ Ducis ex matertera Godefridi Bullonensis, filij, qui anno 1075. Theoduuino Bauariæ Ducis filio in Episcopatu successit & anno 1091. decessit, transeunter & perfunctorie hæc verba reliquit. Eâ tempestate nullus erat locus tutus à latrocinijs & strage: Vnde Antistes Concilium Primatum aduocauit, & sanctam cum ijs pacem pepigit: inuentaque condi-

tione Marchiarum, Comitatuum, Dominiorumque se defensorem & Principem scripsit & Satrapas ordinauit. Ex his verbis quidam exploratores, hastas pro carduis (vt olim iuxta Mænia Parisiensia obequitans miles) cernentes, initium & originem Principatus credunt aut fingunt detexisse. An inusitata Stratonis sagacitate Orientem primi Solem sunt commonstraturi in occasus regione? Nodum hunc, si modo nodus est, enodemus. Placentius imprimis non est alicuius classis & autoritatis scriptor, isque Neōtericus, qui compendiosos commentarios ex vberioribus diuersorum manuscriptis aut quibusdam impressis indiscriminatim, nec magno vbique iudicio contraxit. Religiosum Religioso opponamus. Is est Ægidius Aureæ Vallis Monachus natione Leodiensis vir pro æuo suo eloquens, (etsi stili minùs tersi) & Historicus non contemnendus, trecentis propè Placentio antiquior annis, qui latiùs & distinctiùs hanc ipsam rem describit, hoc modo. — Repleta fuerat hæc terra sanguine occisorum, terra absque gubernatore, terra indisciplinata, vnde timendum ne fortè maledicta: scriptum est enim, Maledicta domus indisciplinata. Quia vero disciplinæ fræno caruerant, non modo tot hominum cædes, sed incendia quoque & prædas continuas atque rapinas palàm fecerunt & ex magnis diuitijs multos ad inopiam & vsque ad mendicitatem redegerunt. Denique quocunque veniebant in captionem inimicorum suorum tam crudeli morte torquebantur, vt mors eis melior esset, quam vita. Nam & humaniùs etiam tractarentur à Paganis. Vnde maximo dolore commotus Henricus Episcopus sæpè conuenit & multùm

tùm instítit, vt Principes terræ Legem aliquam ponerent, cuius timore cessarent tot illa homicidia & cætera mala intolerabilia. Hi autem sunt Principes, Comes Namurcensis & frater eius Henricus, Comes Palatinus Marchio Comes Conrardus, Comes Henricus de Lemburgk, Comes Henricus de Lache, Comes Arnoldus de Los, Comes de Louiniaco, Comes Cono de Horn. Horum omnium petitione consilio & voluntate decretum est vt à primo die aduentus Domini vsque ad exactum diem Epiphaniæ, & ab intrante septuagesima vsque ad Octauam Pentecostes infra Episcopatum Leodiensem nemo arma ferat, nisi fortè inde exiens ad alia loca, aut aliundè domum reuertens. Incendia, prædas, assultus, nemo faciat, nemo fuste aut gladio, aut aliquo armorum genere vsque ad collisionem membrorum aut internecionem in quenquam desæuiat. Quod si hoc fecerit, homo liber, hæreditatem perdat, beneficio priuetur & ab Episcopatu pellatur. Seruus autem amittat omne quod habet, & dexteram perdat. Quod si culpati fuerint contra pactionem hanc, Liber, iuret cum duodecim, qui verò Liber non est, iudicio se purget, si tamen signa fuerint manifesta, alioquin cum septem se immunem esse probet: Hæc omnia Venerabilis Henricus Episcopus omnium consensu & collaudante omni populo infra Leodiensem Episcopatum teneri instituit anno 1071. sexto Kalendas Aprilis. Huc vsque Ægidius.

Explicatè in eandem Sententiam magnum Chronicon Belgicum. Cum nimiæ (inquit) fierent strages hominum & incendia multa & prædæ & rapinæ, eoúsque vt idcirco multi ad inopiam deueni-

rent, Henricus Episcopus dolens, consilio Alberti Comitis Namurcensis de consensu omnium Primatum, Baronum, qui Ducatus, Marchias, Comitatus, Feuda Iudicialia tenent in Leodiensi Diœcesi ab Imperio descendentia, Pacem cum prædicto composuit, omnibus pauperibus & diuitibus, nobilibus & ignobilibus in dicto Episcopatu perpetuò profuturam. Vnde per eos ordinatum est, vt in festis & sacro tempore in Leodiensi Episcopatu nemo arma ferat, nemo prædas vel incendia faciat. Quod si fecerit homo Liber hæreditatem perdat & ab Episcopatu pellatur, Seruus autem amittat omne quod habet cum dextera & excommunicetur. Quæ Pax anno Pontificatus Henrici decimi quarti (puto legendum vigesimi quinti) in expeditione Romana per Henricum Regem Quartum & Principes confirmata, & Episcopo Henrico datæ literæ: sed Comes se & suam terram exemit ex hac Pace, & ideo hic Episcopus deinceps Pacificus vocatus est. Ita Chronicon. Ne cuiquam mirum videatur fieri vtrobique mentionem & distinctionem Liberorum & Seruorum cum iam de illo tempore mancipiorum & seruorum Christianorum vsus inter Christianos erat sublatus re ad ius naturæ reducta iuxta quam omnes liberi nascimur. Quia serui illíc erant seruilis conditionis homines siue personæ conditionatæ seruitutis: Quamuis enim in tota ditione Christiana non sint serui corporis, supererant tamen (& aliquibus adhuc in Regnis & Prouincijs supersunt) homines conditionatæ seruitutis, nec poterant alienare bona nec de ijs testari sine consensu Domini, qui eis intestatò succedebat. Magis multò miremur quam stri-

ctum

ctum & rigorosum Dominium per multa sæcula Episcopus habuerit in ipsa etiam Leodiensi Ciuitate, quæ hodie tumidis libertatum buccinationibus passim luxuriat: cum, Placentio ipso testante, vsque ad Beatum Fridericum Episcopum mediatum Henrici successorem, qui anno 1128. fato functus est prędura Manus Mortuæ Lex durauerit, qua vnusquisque vita defunctus pignore redimi debebat, puta aut equo aut boue præstantiore aut supellectile precioſiore ad Domini arbitrium. Sed eam misericordia motus pius Antistes obliterauit. Alij hanc gratiam tribuunt Alberoni Episcopo qui anno 1140. corde compunctus Capitulo consentiente seruile illud & atrox ius plebi remiserit. Tanquàm crudele & inhumanum: quod Domino dextera manus cadaueri mortui hominis Plebei præsecta offerri deberet nisi arbitrario precio redimeretur. Ita vt procaciſſimo & seditioſiſſimo Plebeio in recordationem priscæ sortis possit salutiferè reponi versus Iuuenalis

Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum
Seruus fortè fuit.

Nisi quod antiqua stirps pridèm exaruerit, crebris cædibus, excidijs, & conflagrationibus Vrbis absumpta, quæ postmodùm nouorum inquilinorum incolatu fuerit sensìm refecta. Quod veroſimile videtur. Idem tamen semper populus, quamuis alij homines, & ab alijs orti parentibus. Quicquid sit, in omnes Ciues etiam liberos munificus fuit Princeps, qui grauem & indecoram seruitutis in quibusdam remanentem maculam è medio Populi sustulit. Et ab acceptis eiusmodi bene-

ficijs, Dominium assertoris in dubium vocare; libertatem liberatori obtrectare? æthera resonare oporteret laudibus & præconiis Principum, exemplo Ciuitatum Græciæ, quæ munere T. Quintij Romani Ducis solutæ duro iugo Antiochi Regis, ad recitationem Senatusconsulti in ludis Istmiis, quo pristini sui iuris esse iubebantur, suis applausibus & lætis acclamationibus sic aërem impleuerunt, vt aues præteruolantes decidérent. Quo vultu hæc cerneret aut audiret Adrianus Imperator, qui fortè è palatij feneſtra videns seruum suum cum duobus Senatoribus ambulantem, misit qui colaphum impingeret, adiecto, Noli ambulare cum ijs quorum aliquando potes esse seruus. At placidè ad Placentium, nescio an doctis & eruditis placentem, reuertamur. Henricus eo nomine Primus, Episcopus patrem agens patriæ vt cædes & latrocinia nimis frequentia impediret queis Patria à grassatoribus è confinio confluentibus infestabatur, conuocauit Concilium Primatum. Quos Primates putas? Leodicensis Prouinciæ? Nequaquam ad illos hæc conuocatio tetendit. Primates fuere, finitimi Duces, Marchiones, Comites, Barones, quoad certa quidem Dominia & Feuda vasalli & Feudatarij Episcopi, quorum aliqui subditi, grassatorum in modum excurrebant in Patriam Leodiensem aut è quorum finibus prodibant. Cum illorum Primatum Feudatariorũ Consilio & assensu Legem aduersus prædones & latrones territoriales tulit, interdicto, super alia, armorum vsu sub statutis pœnis. Quod ait conditione inuẽta Marchiarum, Comitatuum, Dominiorumque se defensorem & Principem scripsisse, signi-

ſignificat ſub certis pactis & conditionibus fœdus fuiſſe inuicem pro Patriæ tranquillitate initum: quorum pactorum articulos licet ſcriptores non edant, fuiſſe tamen vtiles inde perſuadeor, quod & Henricus Primus ab Imperatore Henrico Pacem eam confirmatam voluerit, & poſtmodum Henricus Secundus Epiſcopus qui in ſecunda expeditione Italica anno 1164. Fredericum Imperatorem ſecutus, mortem oppetiit iteratam ipſius Frederici approbationem impetrauerit. Scripſiſſe verò ſe defenſorem & Principem illarum Marchiarum & Comitatuum, non quod ſe illarum dignitatum & terrarum Principem inſcripſerit, cum Ducatus, Marchionatus, Comitatus & Baronatus quilibet haberent ſuos veros Dominos in quos Epiſcopus ſęcularem Iuriſdictionem non prætendebat, niſi fortè quatenùs quoad ſpecialia feuda erant ſui vaſalli, nec tanti Principes eam vſurpationem fuiſſent laturi: verùm tanquàm magnum etiam & potentem Principem & tam ſalubris conſilij & remedij primum & principalem authorem addixiſſe partes & munus Defenſoris. Vnde vox Defenſoris immediatè præcedens, vocem Principis ad ſe attrahit, & explicat. Quodque addit Eum ordinaſſe Satrapas: meritò feciſſe interpretor, vt eſſent qui iuſſa & imperia exequerentur. Cum enim ius, hominum cauſa conſtitutum ſit, inanes & vanæ eſſent Leges, niſi darentur earundem moderatores & adminiſtratores. Caue ſuſpiceris, Satrapias eo tempore incepiſſe. Ius legendarum Satrapiarum adhæret Regalibus, & illorum eſt ſpecies non ignobilis. Ab ortu Epiſcopatus, Mareſcallorum, Seneſcallorum, Præpoſitorum, Balliuorum & Caſtellanorum creatio & inſti-

institutio ad Principem, eumque solum pertinet. Quidni? cum sit de Regalibus, vt dixi, & Regalia sint Principis solius. Neque arbitror Henricum Primum Episcopum assumpsisse nouum & differentem à prædecessoribus titulum: quod inde mihi manifestum fieri videtur, quia continua serie Episcopi omnes sese Episcopos Leodienses intitularunt, aliquando adiecta Comitis Lossensis qualitate, ac deinceps post aliquot tamen sæcula, Marchionis Franchimontensis & Ducis Bullonensis cumulatione. Scripsit autem (si modo scripsit) se Defensorem & Principem, quia in illo Pacto & fœdere confœderatis Principibus defensionem & publicum auxilium est pollicitus. Haut me latet nonnullos Iudicij Pacis erectionem ad hunc Henricum Primum Episcopum referre, quasi anno 1071. inita, cum vicinis Principibus feuda quædam inferiora ab Ecclesia Leodiensi recognoscentibus, societate, nobilissimum illud tribunal instituerit, vt suis & vicinorum finibus incendiarios, sicarios, latrunculos & viarum grassatores arceret. Vt tribunal duodecim Parium Henricus erexerit, esse non potest: quandoquidem Carolus Magnus Parium & illustris Consistorij sit author. Sed Henricus illorum Iurisdictionem ad nouos distinctè casus extendisse potuit. Vt Principalis quidam genius & gratia in vultu, sermone, & moribus solet Principibus vt plurimùm adesse, & eos etiam dissimulare conantes demonstrare: sic quædam iura ita irradiant, quæ sui fulgre Cimmerias inter tenebras occultatum Principatum detegerent. E quibus Iudicium Pacis esse videtur, non fallax symbolum Principalis & Regalis dignitatis.

tatis. Illo enim fulgore ad Supremi Principis lucem propinquo gradu acceditur. Romani Imperij quietem in cuius tranquillitate totius orbis salus consistit, nulli magis tueri conuenit quam Cæsari, & nihil æquè ad Principes pertinet quàm studium concordiæ, cum bellorum finis sit pax ipsa, imò & res præliorum benè disponantur, quoties in Pace tractantur, vt inquit Cassiodorus. Equidem Constitutione Pacis Publicæ, & Cameræ Imperialis ordinationibus, qui Pacem publicam armata manu hominibus coactis violant, pœna proscriptionis seu banno Imperiali puniuntur, & ab omnibus impunè offendi possunt. Hocque edictum ad omnes pertinet, cuius Ecclesiastici non sunt immunes: nam ob fractæ Pacis delictum amittunt Regalia & Priuilegia quæ ab Imperio obtinent. Iudicium Pacis Episcopi Leodiensis ad normam Imperialis illius Constitutionis extitit, & tanquam fulmen cuiusdam Iouis tonantis, quod intra vniuersam Diœcesim vibrabatur in sicarios, latrones, & violentos bonorum alienorum inuasores: & eo perculsi fulmine, aqua & igne interdicebantur. Iudex erat Episcopus ipse, residens in solio iuxta Deiparæ virginis ædem, adsistentibus Curiæ suæ Paribus, & Villico, cui præsto aderat Satellitium armatum, in promptam Decretorum executionem. Quisquis vidisset, Principem in Episcopo mox agnouisset, quod id Iudicij genus esset plusquam gladius Thesei, quem Egeus pater ab infantia non visum ex capuli aspectu recognouit. Amplitudinem Iudicij Pacis per totam Diœcesim olim fuisse diffusam, testantur adhuc instrumenta Compromissi & Sententiæ arbitralis Phi-

lippi Galliæ Regis penult. Augusti 1333. in quem Adolphus Episcopus cum Ioanne Rege Boëmiæ & pluribus Comitibus ex vna, & Ioannes Dux Brabantiæ cum suis adhærentibus ex altera parte compromiserant, necnon Literarum aliquot Brabantiæ Oppidorum 13. Octobris 1356. in manuscripto Codice insertarum: Quæ tanquam maceriæ aut rudera indicant quale quantumque fuerit istud Tribunal: cuius rara apparent hodie vestigia.

Tantum æui longinqua valet mutare vetustas —

CAPVT VNDECIMVM.

Expenditur audax Leodiensium Propositio in Lite Spirensi Super Commendatione Politiæ per Magistratum Ciuicum Intrusæ: Et in oppositum ostenditur Episcopi & Principis Regimen esse omnium optimum.

Cum scelus admittunt supereſt constantia, quid fas
Atque nefas demùm incipiunt sentire peractis
Criminibus.

ITa vt plurimum fit. In ardore ipso peccandi, nubes quasi conscientiam obtegit, sub qua peccator frontem & ruborem ponit: at perpetrato semel scelere, redit quidam pudor, & pœnitentia commissi. Secùs prorsùs isthíc: & perpetuo vbique prauorum Politicorum vicio, qui cuncta sacra & prophana pessum habent, vt fimbrias extendant. More Regis illius Lacedæmo-

dæmoniorum, qui de Regni finibus interrogatus, ostenso iaculo quod manu gerebat, quò vsque, inquit, istud peruadit. Parum est iura Principis sensim occupasse, & alienis plumis Corniculam exornasse, abs diuturnitate colorem iuris petunt, & hanc reginiinis normam volunt esse Politiæ rectitudinem. Sic namque in processu Spirensi sub defensionalium articulorum finem, audacter, an impudenter dicam, allegant. Quod ea Politia sit salubris & commendata per plures qui de Rebus publicis bene formatis scripserunt. Principaliùs quod vnus solus faciliùs corrumpi possit quam vniuersitas, & vbi Princeps non est hæreditarius sed electiuus & vsufructuarius, præsertim in locis limitrophis, quemadmodum Ciuitas sita est in confinibus Imperij. Maximè quod Principes soliti sint inferre aliquoties grauamina, vt Ludouicus Borbonius & nonnulli alij, & per Officiatos Principis attententur franchisiæ, & priuilegia populi & Ciuium Leodiensium.

Nullum adeò atrox facinus est, cui non excusatio quæratur. Etiam parricidæ duriorem nouercam, patrem minùs indulgentem incusant. Quamuis, vt Papinianus noster Antonino Caracallæ fratricidæ, qui Getæ cædem purgari ab eo volebat, constanter respondit, faciliùs committatur, quàm purgetur parricidium. Agatocles & Dionisius vterque Siculorum tyranni, aliquam tamen tyrannidi suæ causam prætexuerunt. Et Augustus vsurpatoris Cæsaris hæres, ipseque vsurpator cogitasse dicitur de restituenda Senatui & populo Republica, retinuisse interim, quod priuato non videretur tutum viuere, & Monarchiam cen-

ſeret eſſe meliorem Reipublicæ formam. Examinemus igitur pleniore manu hunc articulum. Dico Principatum eſſe inter omnia Regimina optimum. Naturæ imprimis ſuper omnia conuenit. Deus vniuerſalis & vnicus eſt creaturarum incorporalium & corporalium rector. Sub cuius regimine, vt ſunt diſtincti creaturarum ordines, ſuos adhuc ſubordinatos agnoſcunt ductores, Superiores Angelorum Hierarchiæ inferioribus imperant, & ſingulis ſinguli præſunt duces. Sol rex eſt Planetarum, & medio inter eos loco collocatus. Nouem ſpheræ cæleſtes à decimo cœlo (quod primum mobile vocant) circumaguntur, peculiaribus quamuis, at lentioribus, motibus agitatæ. Elementum ignis tanquàm nobilius, alijs ſupereminet, & inde coruſcationes & fulgurationes in inferiora vibrantur, quaſi quibuſdam igniculis perpurgãda. Leo Rex eſt quadrupedum, Aquila volucrum. Grües alijs terris æſtatem quæſituræ, præuolantem ducem ſequuntur: ad cuius exemplum montem Taurum tranſuolantes vbi Gryphonum, hoſtium infenſiſſimorum fertur eſſe copia, lapillos roſtro gerunt, vt vocem comprimant, Armenta taurus præcedit, aries onium gregem, hircus caprarum. Excelſiſſimus elephas, quando traijciendum eſt flumen, aut quid arduum tentandum, cæteros elephantes antecedit, & ducalibus ideo à Magiſtro inſignibus decoratur, vt audaciùs & animoſiùs (nam huic animali gloriæ quendam inſtinctum natura indidit, adeò vt irrogatum dedecus ſpontanea nonnunquàm morte luat) in pericula feratur. Apes, perfectum Monarchiæ à natura datum humano generi ſymbolum, Regem habent

& in

& in singulis aluearijs singulos, ijsque amplissimum cubile medio ac tutissimo loco assignant. Colunt autem & venerantur basilico verè ritu, & impolluta fide. Virgilius virgineæ huius gentis mores aureo versu expressit.

Præterea Regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant: Rege incolumi mens omnibus vna est,
Amisso rupêre fidem, constructaque mella
Diripuere ipsæ & crates soluêre fauorum.
Ille operum custos, illum admirantur & omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Pigri & ignaui ad formicas, immorigeri & rebelles ad Apes castissimas eunto, à quibus obedientiam & venerationem suorum Principum edocentor. Quin etiam vilissima putria animalia, ranæ, mures, glires ducem expetunt sante Homero vatum Rege. Cæruleæ Neptuni Prouinciæ continuis etsi concussæ fluctibus non sunt huiusce naturalis impetus expertes. Vastissima Cete, & citissimos Delphinas Arionis vectores omitto. Gregatim aut agminatim quod varia pisciũ genera per liquidum discursant æquor, Ducem comitãtur. Quod in mari Mediterraneo statis anni temporibus in præparata retia cõeunt Tunni milleni, fides & securitas facit in Duce, quem fidenter ad carcerem & mortem sequuntur. Sed quorsùm peregrinari cum domi sit quod foris accersimus? Homo totius Mundi compendium, iure Micro-

cosmi nomine honoratus accuratam viuamque nobis exhibet imaginem, ambabus sui partibus anima & corpore. Qua corporeus est, cor in homine in alios artus Regnum obtinet: qua particeps rationis, ceruix reliqua membra regit. Omnium verò facultatum animæ Regina est ratio: Ratio inquam est ille Phœbus & Titan qui planetas & minores animæ stellas irradiat & dirigit. Neque vnquam in vllius anima fælix & compositus est status, nisi ratio dominetur & cęteræ functiones ancillentur. Excusso Reginæ sceptro, tot sunt tyrannides, quot refractariæ passiones. Cum vnicuique ergò nostrûm nascenti quædam huius regiminis semina ingenerentur, minùs mirandum, si concordi penè gentium omnium consensu, simulac Dominia distingui ceperunt, in vnum caput & Principem populus quisque conuênit. Malim Iustini verbis quàm meis doceri. Principio rerum, gentium nationumque Imperium penès Reges erat: quos ad fastigium huius Maiestatis non ambitio popularis sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis Legibus tenebatur, arbitria Principum pro Legibus erant. Fines Imperij tueri magis, quàm proferre mos erat. Primus omnium Ninus Rex Assyriorum veterem & quæsitum auitum gentium morem noua Imperij cupiditate mutauit. Fuere quidem temporibus antiquiores Vexores Rex Ægypti, & Scythiæ Rex Tanais, quorum alter in Parthiam, alter vsque in Ægyptum excessit: sed longinqua non finitima bella gerebant, nec Imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant. Ita Iustinus. A Nino ad Sardanapalum fœminis euiratiorem, Principatus stetit: cuius

inter-

interfector Arbaces illum ad Medos transtulit, donec Cyrus Cambysis mediocris viri ex Astiagis Regis natâ filius, post expositionem serò agnitus, extruso auo Persarum primus regnauit: & tandem Dario Codomano vltimo Persarum debellato ad Macedonas per Alexandrum Magnum Imperium Orbis deuenit: ad Romanos deinde, Perseo Macedonum Rege per Æmilium Paulum, in triumphum & carcerem deducto. In Italia Saturnus, à quo Saturnia sæcula, nescio an vnquam reditura, & interiecto tempore Euander Aborigenum Rex, & Latinus Ænææ socer, à quo Latinorum gens, dicta, regnarunt. Et ibidem florentes fuêre res Hetruscorum Mezentio illorum Rege cum Ænea congredi ausо: ac aliquot ab inde sæculis Porsena, exacto ab Vrbe Tarquinio, Romanos variè attriuit. Siciliæ sceptrum Æolus tenuit. Arabibus Hyerotinus imperauit, qui sexcentorum filiorum auxilio & fiducia accisis finitimorum viribus Arabicum nomen illustrauit. In Iberia Curetum Rex vetustissimus fuit, cui Habis nepos magno fato periculis plurimis infans ereptus, ceruos pernicitate adæquans succeſſit. Et in altera Hispaniæ parte, quæ insulis constat pascuorum vberrimis, Geryon præfuit, triplicis naturæ à Poëtis effictus, quod tres fratres tantæ concordiæ essent vt vno animo gerere viderentur. Neque Germania Regibus caruit, eos è nobilitate legere solita, sicut duces à virtute, de quibus precium operæ sit Tacitum auscultare. Cum ventum in aciem turpe Principi virtute vinci, turpe Comitatui virtutem Principis non adæquare. Iam verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo

ex

ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ eius aſſignare, præcipuum Sacramentum eſt. Principes pro victoria pugnant, Comites pro Principe. Quatuor orbis cardines percurre, Monarchicum vbique regimen inſtitutum comperies. In India quam ante Alexandrum Semiramis ſola penetrauit (ſi modo fabuloſum Liberum excipis) ſumma rerum apud Reges ſingulos fuit. Teſtes tot Reges numeroſiſſimis ſeorsìm exercitibus inſtructi, per vnum deuicti Macedonem, inter quos Porus, Agramnes, Sophis, & Cleophis Regina vltrò dedita. Et Athenæ, Thebæ, & Lacedæmon, quæ poſteriùs ſtatum mutarunt, initio ſub Regibus fuere. Idem de Gallia & Britannia ſentias: nec minus de Belgio, quod peculiares olim ſuos Regulos & Principes vidit. Quàm natura in vnius Principis nutum & adminiſtrationem inclinet demonſtrauere Cappadoces, qui libertate à Romanis donati, munus libertatis abnuentes negauerunt viuere Gentem ſine Rege poſſe: atque ita Rex illis à Senatu Ariobarſanes conſtitutus. Et Mitridates Ponti Rex cauſam cur ſoli Romani Regio eſſent infeſti nomini reddens, hanc ait illos Regibus omnibus Legem odiorum dixiſſe quia ipſi tales Reges habuerint, quorum etiam nominibus erubeſcant: aut paſtores Aborigenum, aut aruſpices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut ſeruos, vernaſque Tuſcorum, aut quod honoratiſſimum nomen inter hos fuit, Superbos. Quibus hoſtilis animi verbis, Monarchiæ cæteroquìn præcellentiam attollit. Etſi verò ſex tantùm Reges Roma tulerit, Imperio ſtatim ad Conſularem annuam poteſtatem transmiſſo, Italia nihilominus per antea à

Regi-

Regibus fuerat gubernata, & reuolutis sæculis ad Principatum est reuersa. Principatus quippe & Monarchia quemadmodum naturæ accomodatior videtur, ita supra alias Politici regiminis species, perdurat. A Iulio Cæsare ad FERDINANDVM Tertium hodie fæliciſſimè regnantem, Romanum perennat Imperium. Ægyptiorum & Sinarum Reges plura annorum millia numerant, & hi quidem citra interpolationem à Vitæo qui primus fuit ad nuperum Bonogum, Reges citra interpolationem ducentos quadraginta tres recensent.
Gallia à Pharamundo primo suo Rege postquam auulsa fuit ab Imperio per tres lineas & stirpes vsque ad Ludouicum decimum tertium sexaginta quatuor Reges computat. In Hispania (quæ non ante iugum accepit quam Cæsar Augustus perdomito orbe victricia illuc arma transtulit Iustino testante) ab anno Christiano 308. vsque ad Rodericum numerantur Reges triginta nouem, & à Pelagio, qui anno Christi 717. regni diadema suscepit, perpetua & non interrupta serie ad Philippum Quartum sunt Reges nouem & quadraginta. Cedò aliquod Optimatum aut populi regimen, aut ex vtrisque mixtim temperatum, cui eam perennitatem attribuas? Nusquàm gentium. Vna Venetorum Respublica æuum millenarium iactat. Sed vna. Diuturnitatis causam exquiris? quam in humanis corporibus Physici & Medici assignant, in corporibus Politicis esse puta. Quod homo homine viuacior, hic sanus, ille valetudinarius, à temperie aut intemperie rerum elementalium quibus quisque nostrûm componitur, prouenit. Consimile in Imperiis & Rebus publicis: pro

harmonica moralium præceptorum compositione, afflante tamen Diuini numinis aura, quæ nisi aspiret solidissima quæque concidunt, vitam habent. Vbi subditos dominantibus illigat vinculum Iustitiæ, & reuerentia iuris: vbi Erigone sordes & inquinationem aspernatur & virtus est in precio, vbi præmia bonos, pœnæ facinorosos manent, vbi intestina & fatalis lues discordia ciuiles humores non corrumpit, ibi plusquàm renascentium Phænicum annos non fallax vates polliceri poteris. At in Aristocratia & Democratia iste concentus reperiri potest inquies? Fateor, nec illas explodimus, sed ambabus potiorem esse Principatum profitemur, in quo faciliore & tutiore negotio mensuratam musicorum Politiæ sonorum proportionem manciscaris. Vt Princeps vnitate etiam ad Deum accedit, venerationem & obseruationem in animis subditorum iam quasi defixam inuenit. Et vt vnus est, fluuij omnes & riuuli ex hoc Neptuno aquam deriuant, ex hoc Sole minora astra lucem. Ne peccet ambitione, obiectum deest, cum infra ipsum cuncti in Principatu consistant. Auaritia vilissimorum ingeniorum illecebra, genium minimè terrestrem Principis non sollicitauerit, cui sua abunde suppetere possunt. Muneribus & corruptelis in iustitiam non est peccaturus, à quo munera & beneficia in alios defluunt: Personarum acceptio procul est ab eo qui nihil debet personis, sed cui debent omnes. Alta semper & se digna cogitat. Vt non malè in hanc rem dixerit Tiberius, Cæteris mortalibus in eo stare consilia quid sibi conducere oporteat, Principum diuersam esse sortem quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Patrem

trem se subiecti intelligit populi, & supremam Principatus Legem subditorum salutem. Cum socios & participes potestatis non admittat, riualibus & competitoribus est destitutus, qui bonos conatus interturbent, & euenta deorsum diuertant. Et in eo cessat dogmaticum istud Iurisconsultorum, habet Dominum qui socium habet. Si per se ius non dicit, iuri dicundo præficit citra ambitus notam, quos ad id munus idoneos iudicauerit, & in quos Cambysis exemplo detractione pellis animaduertere sit paratus, si comperiat deliquisse. Probos ab improbis facile secernit: honores virtuti debitos vicijs non impertitur, non potentiorum minis frangitur, non lactatur spe rerum maiorum, non subdolis adulationibus delinitur, non affinium & propinquorum deprecationibus retinetur aut odiis impellitur, neque epularum apparatu, aut nummorum adnumeratione circumuenitur. Suos sub eo cursus rectiores ideo Iustitia tenet, quia non tot arctatur impedimentis, aut retardatur diuerticulis. Supplicia fontibus sine vindictæ metu irrogantur, honores dignis, citra formidinem indignos offendendi, conferuntur. Ægrè valeat discordia hùc læthiferum suum pomum immittere, quo tranquillitatem publicam conuellat. Conciuium & popularium inter se sunt, Factiones, Monopolia, Societates, fatale regiminis Popularis, & Optimatum malum, quæ vix in Principatum supra omnes eminentem irrumpunt, cum Princeps, vti sublimiore super has tempestates loco constitutus, non veniat in hanc communicationem, integer vtrimque arbiter & moderator.

In oppositum Aristocratia, & Democratia multis vn-

decunque discriminibus sepiuntur. Minus reuerentiæ & obedientiæ in plures, & vicissim plurium, quia in plures partita, minor cura & sollicitudo publici. Rara Procerum inter se concordia: inuidia & æmulatione mutua ægrescunt, amicis & propinquis plus æquo fauent, timidè Iustitiam exercent, plebis auram captantes adulantur magis quam imperant. Et nonnunquam, vbi libidini habenas laxarunt, tenuiores opprimunt, tot tyranni, quot Optimates. Sic Athenis triginta Prætores in triginta tyrannos breui euaserunt, quos Thrasibulus exul ingenti ausu & fortitudine oppressit. Et Decemuiri Consulari potestate Romæ creati annum primum quieti exegerunt, continuato autem Appio Claudio primũ honoris diem denuntiatione insignis terroris insignem fecere, cum subito singuli cum duodenis fascibus prodiere, centum viginti lictoribus forum implentibus, præbita decem Regum specie. Vnde plebis iterum secessio in Auentinum, & non ante crudelitati, iniustitiæ, & libidini grassantium Decemvirorum finis impositus, quam illorum authoritati. Modestiores centum Patres Romulo è viuis sublato, cum summam Imperij decem decurijs factis singulisque in singulas decurias qui summæ rerum præessent, consociarunt: nam etsi decem imperitarent, vnicus cum insignibus Imperij & lictoribus, quinque dierum spacio apparebat, ac eo modo Imperium ad omnes in orbem ibat. Grauior nihilominus ea seruitus visa, & annuo interuallo terminata.

De Populo vetus & verum dictum, Aut crudeliter imperat, aut humiliter seruit. Ad parendum non ad imperan-

perandum nata est plebs: & nullus tam barbarus extitit populus vbi idiotæ & imperiti prudentioribus & sapientibus locum non dederint. E Stõa proinde vero Sapientiæ moralis fonte Sibyllinum hoc manauit, Stultos esse seruos, & solos Sapientes liberos. Plebs æquum ab iniquo, vtile ab inutili, honestum ab inhonesto non distinguit. Amat aut odit, nihil est tertium. Cæco impetu in omnem fertur partem. Nullum profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus, quantos concitata multitudo motus habet. Præmia vicijs, supplicia virtutibus constituit. Ostracismos & exilia probioribus indicit, & Aristidem hoc vno nomine proscribit, quod ab innocentia & integritate nomen Iusti sit sortitus. An non & Ephesiorum Legem audisti? Nemo è uobis excellat, si excelluerit, exul esto. Et eiecto Vrbe Hermodoro viro per omnia egregio, causam adiecisse decreto, quod cæteris virtute anteire voluisset? Phocione sanctiorem non viderunt Athenæ, ne Socratem quidem. Ecce improuiso, blateronum non dico oratorum, aliquis prodit in concionem, & proponit vt velint iubeantque Athenienses Phocionem & amicos morte damnari. Et nulla interposita mora viri & mulieres vno ore & plausu annuunt, & quasi re optimè gesta corollis redimiti festum agitant diem. Nil deinde factionibus & seditionibus populi frequentius. Vt varietas faciei est propria Lunæ, & inconstantia Fortunæ, vtraque est plebi accommoda. Vt equus indomitus lupatum, Legum illa repagulum auersatur, & Magistratum suum Legem animatam, lingua dum manu nequit, consectatur. Romani Scriptoris Iactantia est. Nulla

vnquam Reſpublica nec maior nec ſanctior nec bonis exemplis ditior fuit nec in quam tam ſerę auaritia luxuriaque immigrauerint, nec vbi tantus aut tam diu pauertati ac parſimoniæ honos fuerit. Eo interim tempore quo iuxta Hiſtoricum ſanctior fuiſſe debuit, ibidem inuenies mox Collatinum Lucretiæ maritum collegæ inuidia, & gentilitiæ ſtirpis odio è Conſulatu detruſum in exilium, domeſtica obæratorum miſerorum ergaſtula & vincula, Patrum inter ſe diſcordias, crebras Plebis à Patribus ſeceſſiones, Camillos, Ahalas, Coriolanos, Quintios, Scipiones, Metellos & pleraque clariſſimorum virorum nomina calumniatoribus ingratiſſimis Ciuibus quaſi ſagittatoribus ſcopos fuiſſe, aſſiduis Tribunorum concionibus honeſtiores & probiores laceratos, impeditum, quoties eis lubuit, militum in hoſtes delectum, vi tumultuantis multitudinis extortos Patricijs faſces, militiam & caſtra nefariorum ſeditionibns corrupta, & nonnunquam in vindictam & ignominiam Ducis, legionarios vltro voluiſſe vinci: Æmilios & Catones repulſam paſſos, Varronibus & Vatiniis, & alijs ſordidiſſimis hominibus delatos honores. Quo effectum puto, quod ab exceſſu Auguſti, guſtata Principatus dulcedine, priſtini ſtatus comparatione, non Romani tantùm ſed Prouinciales ipſi iugum liberum pro libertate ſeruili prębabuerint. Cuius rei alter iudicioſus Hiſtoricus rationem paucis & fideliter reddit. Neque Prouinciæ, ait, Illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatus populique Imperio ob certamina potentium & auaritiam Magiſtratuum, inualido legum auxilio, quę vi, ambitu, poſtremò pecunia turbabantur.

babantur. Et altiùs repetens, rem eandem è veteriore principio dicit. Rebus modicis æqualitas facile habebatur, sed vbi subacto orbe & æmulis Vrbibus Regibusque exciſis ſecuras opes concupiſcere vacuum fit, prima inter Patres Plebemque certamina exarſere, modo turbulenti Tribuni, modò Conſules præualidi, & in Vrbe ac foro tentamina Ciuilium bellorum. Mox è plebe infima C. Marius, & nobilium ſæuiſſimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos Cn. Pompeius occultior, non melior. At alias fortè pennas habet noua iſta Leodienſium Politia ab alijs volucribus, vt ſublimius efferatur, & in ſinu Iouis nidificare poſſit! Nam tanquam multum ſalutaris, & per Legumlatores aut Scriptores præcommendata proponitur, & quę ſit minùs expoſita corruptelis: quòd Princeps vnus ſit, & electiuus, & Eccleſiaſticus, & Ciuitas quaſi Imperij limes. Hæc ſigillatim, ſed ſtrictim expendenda. Si vllius Reipublicæ ſalus in Anarchia & confuſione valet conſeruari, ſi Salamandræ inſtar vitam in igne tranſigere, ſi continuus morbus index eſſe poteſt ſanitatis, & pernicies ſalutis, ſalutare enimuero eſt hoc regimen. Apage talem ſalutem? nemo ſanus & prudens velit eſſe tali ſalute ſanior. A forma quis effigiator commendauerit? niſi

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere formas
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Nulla legitima eſt Republicæ forma, vbi ſubditus regen-

regentis munus occupat, exlex est populus, licentia luxuriare, Priuilegium & ius æstimat, Plebiscitis armatis Rogationes, Senatusconsulta & Sanctiones rescindit, aucupum more insidiatur prehendendæ Principis sui authoritati, & quod Principi placuit abrogat, quia placuit, & aduersus superioris potestatem remis & contis obnititur. Quis Legislator aut Scriptor istiusmodi regiminis regulam deprædicet ? nusquam legi. Scio in decem Legum tabulis quas Posthumius, Manlius, & Sulpitius Athenas missi ex Solonis & aliarum Græciæ Ciuitatum institutis & moribus compegêre, & duabus per Decemviros additis, nil simile describi. Si Timon de Republica Libros conscripsisset, forsan eius generis, vbi capitis officium membra vsurpant, Politiam approbasset. Non nego Ephoros Lacedæmone fuisse Iudices è plebe lectos qui Regum Spartanorum immensam prius potentiam quasi aliquo fræno cohiberent aut restringerent, & Spartanam disciplinam non minus ideò vegetam & adstrictam fuisse. Quos omnium primus Theopompus instituisse fertur, & à sagace vxore incassùm redargutus, quod Regiam imminuisset dignitatem. Verùm nil Magistratui Leodiensi, cum Ephoris, nil Leodio cum Sparta commune. Spartæ fiebat quod nusquàm alibi. Auri, argenti, & commerciorum vsus erat sublatus, æqualia cunctorum patrimonia, & mensa communis. Lycurgi Legibus viuebatur: quæ insuper pueros puberes ad adultam ætatem in agris educari, iuuenes non amplius vna veste toto anno vti, virgines indotatas nubere, Reges bella, Magistratum iudicia tractare iubebant: quibus quidem legibus

vt

vt quandam æternitatem daret, adactis iureiurando ciuibus quod ad ſuum vſque reditum parerent, voluntario illas exilio ſanxit. Quod obtruditur, vnum faciliùs poſſe corrumpi, quàm plures, ænigmatiſat, & telum in iacientem retorquetur. Longè enim facilius integritatem, fidem, & conſtantiam in vno quam in pluribus eſt reperire. Et Principum genius quendam diuinæ particulam auræ participat, à ſordibus & corruptelis abhorrens, quibus plebeculæ animæ innutriuntur. Vis hodiernæ Leodienſis Politiæ aliquam imaginem? Eam ad viuum præfigurauit Lambertus Hortenſius Amorfortius in ſuis de Vltraiectina ante integrum ſæculum ſeceſſione Libris: quàm metuo, vt eadem Anarchia parem aliquando cladem & vaſtitatem creet? Ipſiſſima authoris apprimè docti verba produco. Ad annuum imperium ſubuecti, antea priuati rerumque ignari priuſquam iura & publicas Leges didicerint Magiſtratu ſuo defunguntur. Ad hæc dum alius alium obſeruat, magnam Reipublicæ negotiorum partem negligunt. Per ambitionem diuina humanaque omnia miſcentur. Cum habetur Senatus plus temporis, rixando, altercando & diſceptando quàm conſultando abſumitur. Prætereo inimicitias, factiones, inuidiam, quibus tranquillitatem publicam certatim potentiæ auidi perturbant. Ab alijs quibus in Imperium ſuccedunt, quique ipſis poſtea ſufficientur res malè geri taciti apud animos ſuos precantur: adeo aliena fælicitate ægreſcentes priuatæ gloriæ cauſa Reipublicæ ſunt peſtilentes. Adde quod legant ſæpenumero in concilium ad regni euerſionem maximè temerarios quoſque: & colantur imprimis non qui

prudentia sed qui eloquentiæ viribus maximè pollent. Sic ille ad Lugubris suæ historiæ præfationem: in accinctu autem, progressu, & exitu operis propinquiores causas exprimit. Has nempe. Vulgus infestum hominibus Religiosi ordinis dissimulante Senatu in illos debacchari solitum, quod penès eos opes copiæque vniuersæ essent & luxus: penes eos villas, agros, fundos, siluas, aquas, esse viderent, delicijs & voluptatibus diffluere, vilem contra humilemque multitudinem Operarum, rerum familiarium inopia confici: vectigalibus proindè & publicis oneribus eos quam plebem prægrauandos. Clandestina Optimatum aliquorum Plebem cæcam eò instigantium Consilia per motus & turbas ciuiles rei priuatę studentium, perpetua in comitijs trium ordinum circa indictiones & illarum adæquationes dissidia, præfractam popularium suffragiorum peruicaciam, vim Euerardo Suandelbalcho Cõsuli, quo incolumi nemo noua impunè molitus fuisset, præmonstratam, & eius eapropter ex vrbe secessum, secutam ab inde eiusdem & multorum proborum proscriptionem, delusum indignissimis modis Principem, portas Vrbis aduentanti præclusas; expilatas, direptas vel etiam deletas Aulicorum & Fautorum ædes, vicinum tunc Gelrum apertis & hiantibus faucibus pinguem bolum frustrà deuorantem, factiosis animos, arma, & nummos submini strantem, sacra iuxta & prophana eodem cuncta loco habita. Quid ais Lector? an non doctus ille scriptor sui sæculi factiones & corruptelas posteris, in suis popularibus Vltraiectinis exhibens, paucis dumtaxat circumstantijs & nominibus

muta-

mutatis, hodiernos Vrbis Leodienſis motus depinxit? Quod deinde additur admiſcendam huic Principatui Anarchiam eo quod Princeps non eſt hæreditarius ſed electiuus & vſufructuarius, deridiculum eſt. Penès Politicos ſit quæſtio, vter Principatus ſit melior, num hæreditarius qui per ſucceſſionem vi ſanguinis naſcendo acquiritur, an electiuus qui per ſuffragia obtinetur. Vtraque pars ſuos habet aſſertores, & ſua aſſertores argumenta. Ego nihilominùs hæreditarium electiuo prætulerim in ſæcularibus Principibus, nec tamen ideo electiuum damnem. Platoni, Ariſtoteli, & ſanctioribus Græciæ myſtis electiua forma pluris facta, quod propior libertati, in quam Græci erant proniores. Et multa olim regna electione fæliciter ſtetêre, & hodie Poloniæ ſtat. In Eccleſiaſticis verò Principibus ſuperflua ea diſceptatio, cum cælibatus heredum ſpem adimat, & Sacri Canones alienarum hereditatum vota in Eccleſiaſticis dignitatibus abſcindant. Non deterior igitur hîc Principatus quia electiuus, cum ſuapte natura non niſi per electionem obuenire debeat. Sed nec ideo aliquid popularis accumulandum regiminis, imò verò nihil de eo admiſcendum, quia eſt electiuus. Optio eſt è pluribus, adultum ętate, moribus, & ſapientia Principem, ſuffragatio deligentium producit, qui nec alieno pendere debeat ab arbitrio, nec ſuam cum vulgo inſtabili & imprudente autoritatem communicare. Eſto Ciuitas ſit in finibus Imperij ſita, & velut quoddam eius clauſtrum, quid iſtud ad regiminis plebei confert mixturam? quis Legiſlator edixit in limitaneis Prouincijs Democratiam, nedum Anarchiam Principatu præpol-

lere? Quod si vnius dominatio, multitudinis gubernationem toto suo genere antecellit, æquè in extremis partibus ac in visceribus suis prærogatiuâ gaudet. Dico ampliùs. Pro ratione periculi, cautionem adhibendam: & cum limitanea loca vt plurimum interioribus sint insyncériora, vt vicinia contagionem faciliùs influit, in limite Imperij potius longè esse vnius Principis Imperium. Hinc prudentissimi mortalium Romani subacto & in vnius Augusti potestatem redacto orbe, exiguis contenti vrbanis copijs (ad Principis maximè tutelam), triginta vel amplius Legiones alta pace, Prouinciales ideò dictas, in limitibus Imperij alebant aduersus insperatorum hostium conatus aut insultus. Vsque adeò vt Adrianus Imperator (si non Traiani prædecessoris glorię inuidens) restringere metas Imperij voluerit quò eæ tenaciores & inexpugnabiliores essent, sponte Armenia, ac Mesopotamia & Assyria redditis, medium inter Persas & Romanos Euphratem relinquens. Denique quod Ludouici Borbonij & aliquot aliorum Principum memoriam incessere audent quasi Vrbem diuersimodè & plus æquo grauauerint, Ministrique & Officiati Principũ in Franchisias & Priuilegia Ciuium, non sine labefactatione, nonnunquam attentent, quis non videt criminatoris, non Oratoris aut Iurisconsulti esse Epilogum? Equidem vt Borbonium & paucos illos quos sæuitiæ coarguere tentant, non est mihi hoc loco propositum ab omni noxa vendicare, nec Angelos pro hominibus venditare: Cœlum adeat qui vacuos omni crimine quærit.

Nam vicijs nemo sine nascitur, optimus ille est

Qui

Qui minimis vrgetur. Numerosus Horatius inquit.

Sic inhæsitanter asseuerare possum, quos illi nimiæ inculpant seueritatis, prouocatos & indignissimis ludificatos modis, antequàm inobedientiam, aut veriùs feloniam subditorũ vlciscerentur. Quod attingere in librum secundum supersedeo. Ad domesticos illorum annales prouoco, qui quantùmuis culpam à populo amoliri & segregare de industria satagant, non ita eis succedit excusatio, quin subditi cœno & luto delibuti deprehendantur. Quæso an Dionis Regis administrationem iuxta Platonicam penè regulam, dicemus explodendam, quod Dionisius in eadem insula regnauerit? Octauij, Vespasiani, Titi, Traiani, Alexandri Mammææ filij, Antonini Pij, Marci Antonini Philosophi & aliorum permultorũ Principatus auersabimur quod Caligula & Nero eadem sceptra tractauerint? Quomodò sterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita næuum vnum, vel mendam dominantium toleremus. Vicia erunt donec homines, sed neque hæc continua; & meliorum interuentu pensantur. De Ministris & Officiatis Principum vetus querela est è vetere more petita eorum qui manus in aliena inijcere student, odisse oculos qui cauendis furtis aduigilant, & cum Mercurio latrunculorum patrono insidiari Argo, quem Iuno custodem vaccæ præfecerat. Sic Philippus Macedo decem Oratores ab Athenien sibus popoſcit in quos iram effunderet, ea explatione amicitiam populo spondens: & impetrasset ni Demosthenes extemporaneo astu fabulam lupi in concione enarrasset, qui ouibus gratiam pollicitus si canes dederentur, ijs deditis

oues deuorauit. Perperàm dicuntur inuolare in Franchisias & Libertates Ciuium, quibus nullus æquè præiudicat quàm ipsi Ciues perpetuum iactitatis Priuilegiis bellum præuaricationibus & pessumdationibus suis indicentes. Et hæc etiam est vetus sutela: libertatem & speciosa nomina prætexere: nec quisquam alienum seruitium & Dominationem concupiuit, vt non eadem ista vocabula vsurparet. Longior ex composito circa Allegationem illam Spirensem fui, ne ementitæ vtilitatis publicæ fucus, aliquem fouendis vsurpationibus colorem effingat.

CAPVT DVODECIMVM.

Magnitudo Iurium Episcopi & Principis Leodiensis.

INfaustam Pandoram Dij Deæque Poëtarum in hunc ablegaturi orbem quisque suis dotibus & prærogatiuis communiuerunt: & bene agebatur cum Deucalonæa stirpe, si Pixide morborum & ærumnarum conditorio caruisset. Thetis Achillem cum Hectore aliquando congressurum, & Venus Æneam certamine Lauiniam virginem petiturum, ambæ Vulcaniis armis induerunt. Herculem post labores exantlatos Deorum vnusquisque propriis suis muneribus donauit. Mars ensem, Mercurius caduceum, Apollo arcum, Neptunus equos, Vulcanus galeam ac thoracem artis suæ insigne dedit, Pallas ipsa ægidem tribuit & Ceres ad expiandam Centaurorum cædem Mysteria quędam edocuit.

Ecclesia

Ecclesia Leodiensis fælix & speciosissima est Nympha, veraque non fabulosa Pandora, cælestibus vndequaque exornata fauoribus; caretque Calamitosa illa Pixide quæ Promethea & in Prometheo mortale genus fefellit. Episcopus Princeps hanc Lauiniam alio nomine Legiam, Latini Romani Pontificis Filiam desponsans egebat armis plusquam Vulcanijs, quibus hæreses debellaret, & Clerum populumque subiectum ab externa vi defenderet. Certasse inuicem liberalitate & beniuolentia in Ecclesiam Leodiensem Pontifices & Imperatores credideris & laudem plura conferendo appetiuisse. Constat, Ecclesiâ Deiparæ Virginis Mariæ Aquisgrani ad Caroli Magni petitionem per Leonem Quartum Papam magno purpuratorum vtriusque Ordinis Conuentu consecratâ, ventum Leodium, & ad decus splendoremque Cathedralis Ecclesiæ octo Archidiaconatus in ea à Leone institutos, nempe Archidiaconatum Leodiensem Præposituræ annexum, & alios septem, Hannoniæ, Brabantiæ, Campiniæ, Hasbagniæ, Ardennæ, Famennæ & Condrosij. Ab Imperatore autem designatos renuntiatosque Pares duodecim, Duces, Marchiones, & Comites, eiusdem Ecclesiæ ad certa Dominia Feudatarios pro illius & Patriæ tutela & dignitate. Quorum omnium nomina obuium est legere in impressis & manuscriptis simul Codicibus. Hi Pares duodecim (quos aliâ imperitiores significatiuâ non minus voce apellabant Patres, sicut Senatores suos Romulus) nobilissimum Iudicij Pacis tribunal conficiebant, in quo solus Princeps personaliter præsidebat Prætore duodecim apparitoribus armatis stipato suffragia

senten-

sententiam dicentium colligente. Vltra Pares duodenos distinctis sedilibus plures erant adhuc Feudatarij magni nominis, & inter illos quidam Semipares nominati. In quod consistorium nemo iudicandi partes obiturus adlegi poterat nisi ab Ecclesia & Principe Nobilia & notabila feuda recognosceret. Nam oppidò permulta diuersorum graduum feuda iuribus & ritibus Leodiensibus olim regebantur, quæ diu ante nostram memoriam exoleuerunt, ita vt qui hodie supereſt numerus, etsi non exiguus, cum antiquo nequeat conferri. Ibi præter ordinariæ Curiæ Feudalis natutam non solum ciuilia quæ feudales concernerent controuersias pertractabantur sed criminalia quam maximè, puta Latrociniorum publicorum, grassationum vialium, raptuum, & violentiarum quarumcunque. Quisquis duodecim Principes ad lateralia subsellia considentes, caterua inferiorum nobilium inferiora complente vidisset & Episcopum Principem ex sublimiore throno eminentem, in reuerentiam, admirationem & stuporem mox raptus fuisset, nec sanctum Areopagitarum Concilium præoptasset. Recogito & animo videor intueri priscum & sacrosanctum Ægyptiæ gentis tribunal, cui nullus toto orbe iudicum consessus maiestate & integritate præponendus si comparandus erat, ex Regni totius Primariis Nobilibus triginta compositum, supra quos omnes alius Iudicij Princeps (id dignitatis nomen) eminebat, qui aurea catena signum variis ornatum lapidibus à collo suspensum (quod Veritatem apellabant) gestans, bis auditis litigatoribus, habito Iudicum suffragio, Veritatis signo in partem veriorem verso ferebat sententiam. Secundum

cendum Auditorium erat Prætoris & quatuordecim Scabinorum iudicum tunc temporis in ciuilibus æquè ac criminalibus cauſis inappellabilium, quod erat quaſi candelabrum aut luminare maius prælucens diei & nocti. Curiæ & Conſiſtoria facile ad tria millia tam extra quam intra ditionem ab hoc Phœbo lumen mutuò accipere tenebantur ſiue per viam apellationis, ſiue per tramitem Reſcriptionis. Placuerat enim Cæſaribus pleroſque eoſque conſpicuos & celebres extraneos Magiſtratus viuere & ius dicere ad præſcriptum Leodinæ Legis, vnde plurimum ornamenti accedebat Eccleſiæ & Iuſtitiæ. Curiæ verò Iuratæ & baſſæ Iuſtitiæ ſub eodem tribunali erant quaſi innumeræ. Tertio loco ſtatuebatur Dicaſterium Allodiale medio inter Diuæ Mariæ & Sancti Lamberti ædes: coram quo bonorum Allodialium & Liberorum lites agitabantur, vt coram Scabinis Cenſualium, & Feudalium coram Paribus. Hæc tria erant ſola Prætoria ordinaria ſolius Principis, & à ſolo Principe prodeuntia: vt diſertìm à Patrono Temporalitatis omnium trito manibus traditur. Nulla tunc Lucina obſtreticabatur edendo Magiſtrorum & Iuratorum partui. Poſthumus ille ſeditionum popularium nimis frequentium fætus fuit, qui legitimum non valeat nominare parentem. Illuſtris præterea admodum fuit facultas Epiſcopo competens euocandi ad Annulum ſui Palatij quemlibet intra Diœceſim Leodienſem morantem ſeu ſubditus in temporalibus eſſet, ſeu non. Quæ euocatio dabatur pro atrociſſimis quibuſdam & ſpecialiter reſeruatis exceſſibus. In exemplum. Si Feudatarius rupta fide feudum quod à Principe Leodienſi

moueretur, ab alio directo Domino recognoſceret, aut Feudum in allodium commutaret. Si intra Diœceſim Leodienſem Iudex quiſpiam extra & præter Reſcriptionem Iudicum Principis aut Scabinorum tanquam Superiorum quicquam decerneret. Si quis item alterare Leges & Conſuetudines laudabiles præſumpſiſſet, aut aduerſarium ad aliud extraneum tribunal traxiſſet. Vt & ſi quis Homines (id eſt Pares) Domini Leodienſis, aut Scabinos, aut Allodiales, qui ſunt in totum tres Iudices Ciuitatis & Patriæ Leodienſis ratione ſententiarum per eos latarum conturbaſſet, offendiſſet, vel aliò ad forenſe iudicium vocaſſet. Quiſquis id admiſiſſet correctioni ad Annulum Palatij ſuberat. Rei verò pronuntiati aqua & igni interdicebantur hoc ipſo, & quocunque intra Diœceſim diuerterent ceſſandum erat triduo continuo à Diuinis. Adhæc corporis & bonorum proſcriptione damnati. Et hæc quidem iudiciali indagine peragebantur. At Princeps pro ſua maieſtate, & ex alto ſuo, vt nuncupabatur, iudicio & officio nonnulla in atrocioribus quibuſdam caſibus reſeruata habebat, quæ citra aliam iuris formulam iuberet. In incendiarios maximè, homicidas & viarum graſſatores peculiari celeritate animaduertendum eſſe reputans iura ignis, & fugæ ſeu inſecutionis ſeuerè exercebat. Ignem mandans conijci in homicidarum & id genus Reorum domos, quæ tam nefarios homines intra ſua aliquando penetralia detinuiſſent, vt paucorum ſupplicium, metus fieret multorum. Plebecula in cædes & homicidia ferox & velox (heu quæ compita & vici, quæ fora, quæ plateæ, quæ domus & caſæ, vel etiam cæli-

cælitum templa humano non exundarunt, & hodie adhuc calent sanguine?) quam non retineret proximi charitas, aut sui pudor, rerum saltem familiarium damno cohiberetur. Sed rigorem in inanimata & sensus expertia sæuiendi elusit, quæ vt præ alijs sitiens sanguinis, sic tenaciùs deterrenda fuisset pœnis; dum breui per vim extorsit, ne in Vrbanas domos, ruinâ ædificiorum & Vrbis dehonestamento, flamma deflagraret. Fuga & insecutio aduersus eosdem Reos erat, qui ex abditissimis latibulis, pœna capitis in receptatores statuta, & Sacris ipsis Adytis, ad condignum extrahebantur supplicium. In detestationem tantorum scelerum Reipublicæ pernicioſissimorum Prætorem suum Princeps tam ampla communiebat potestate, vt quoscunque fures, homicidas, incendiarios, raptores, & compares maleficos, Ciues æquè ac aduenas, nullo præuio Scabinorum & Iudicum Decreto vbiuis posset capere, & publicis, id est Episcopalibus carceribus mancipare: tormentis seu quæstione veritatem exprimere, morte eos pro ratione delictorum mulctare, irrequisitis, si ita visum ipsi esset, Iudicibus. Ad quandam Præfecti Prętorio, secundi olim ab Imperatore Magistratus, similitudinem, quem Parazonio Cæsar accingens, vitę necisque arbitrium in omnes ei delinquentes concedebat. Quæ iura & iurisdictiones Principi ab æuo competant non sum hic enumeraturus, qui ad insolita & admiranda tantùm calamum applicui. Nam merum ei tributum & debitum in suam Ciuitatem Imperium abundè ex ijs quæ Superioribus expositi capitibus apparet. Ad Iurisconsultos mitto Lectorem sciendi auidum quæ sint

Meri Imperij iura: si hoc vnum dixero. Merum Imperium esse gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos. Cuius sunt tres species. Merum Imperium Magnum, Medium, Paruum. Magnum est, Potestas vitam alicui adimendi naturaliter, vel ciuiliter. Medium, Relegandi ad tempus, fustigandi, & corporaliter, infra tamen ademptionem vitæ, puniendi. Paruum dicitur, quando ad vindictam publicam in Numellis aut ad Columnam criminosus propter minora delicta populo exhibetur. Neque enim Peccata omnia paria sunt, prout nec æquales corporis morbi: ideoque vt non omnes hi ferro & adustione sanantur, sic illa non omnia sunt gladio demetenda.

—— *adsit*
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum, horribili sectêre flagello.

Draconis Legislatorum vnius Leges non immeritò explosit Antiquitas, quas non charta sed sanguine scriptas querebatur, quod nulla delictorum distinctione omnes Reos capite mulctarent. Ad dignitatem Principis conferebat grauitas pœnæ in contumaces & immorigeros. Si quis rem minimam Ecclesiæ attrectasset, illi aut Principi quantumcumque iniurius fuisset, vicini Principis Feudatarij, incolæ & accolæ Barones, præsto erant qui vlciscerentur iniuriam: Si vocati morem non gessissent, Feudis cadebant. Nec dispar subditorum mulcta, quorum est par, vel certè maius obtemperationis vinculum. Iuxta illud Theodosij in suo Codice, Grauior enim pœna constituenda est in hos qui nostri

iuris

iuris sunt, & nostra debent custodire mandata. Suus etiam proprius Ecclesię Leodiensi Defensor, alio nomine Aduocatus, erat iam à Conditore Sancto Huberto stabilitus: omniumque primus fuit Landricus Lossensis Comes, Martyris Lamberti frater, & post eum Aper eius filius, & labentibus annis in Arembergicorum Principum familiam hęc Leodiēsis Aduocatia deuenit. Quæ iurisdictionem non tribuit Aduocato, sed curam & defensionem Ecclesiæ, in cuius subsidium est allectus. Si de togatis dixit Aduocatis Imperator, Quod non minus prouideant humano generi quam si prælijs atque certaminibus patriam parentesque saluarent, quantò verius de sagatis defensoribus, qui sub nascentis & adolescentis pręsertim huius Ecclesiæ tēpora sanguinem & opes pro eius defensione liberaliter effuderunt. Hubertū Conditorem Vrbis, alter quasi Conditor Notgerus hac etiam in parte, vt in plurimis est imitatus. Pro incremento deuotionis & zeli fidelium populorum auctis Ecclesiæ bonis, solers prudensque Notgerus prędia Ecclesiastica in tria membra partitus, partem primam sibi & successoribus reseruauit, alteram Monasteriis piisque locis assignauit, & tertiam Militibus, siue Nobilibus, Ecclesiam armis suis protecturis, permisit possidendam. Inde processit multitudo illa, quæ non alibi tanta, Aduocatiarum per Principatum Leodiensem, dum munifici Principes in robur donationum Ecclesiis, Monasteriis, & Collegiis defensore carentibus factarum, viros militares & Nobiles ijs in Aduocatos & Defensores deputarunt, adiecto partis mulctarum, & sæpè aliarum rerum euolumento. Inde etiam crebriores

querelæ, & aliquando lites inter Capitula, Collegiaûe & Aduocatos priſcos, illis Aduocatiæ Cancellis hos continere volentibus, his Dominicalia iura ex longo vſu arrogantibus.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

Explicata vox Homines (vernaculè Hommes) in Pacto de de Fexhe, & falli Leodienſes qui per Homines intelligunt Conſules.

CEdo lucernam Diogenis: Homines media luce mihi inueſtigandi. Face non lucerna tantùm erronibus iſtis opus, qui virgulta pro hominibus, vt tempore Cominæi, incerto adhuc die, cernunt, quia cernere putant. Vix quicquam frequentius inter Leodienſes de Ciuitatis exemptione aut ſtatu aduerſus Principis ſui Conſilium differentes, Pacto quodam nuncupato de Fexhe inito ſub Adolpho de Marka Epiſcopo anno Chriſtianæ ſalutis 1316. Eò remittunt Conſiliarios Principis: quaſi cuncta illius iura & iurium inſignia illìc deſignentur, & ſpecificatorum incluſio ſit prætermiſſorum excluſio, & exempla regulam non amplificent, ſed reſtringant. Standum pacto quod Principes pariter & ſubditos ligat, nec licere Principi aliud ſibi extra pactitiam Legem arrogare. Quò Conſularem authoritatem, Tribunitiam veriùs facem attollant, & inde Ciuium peculiare faciant Tribunal, euincere conantur quod per dictionem Homines (Hommes Walonico

nico sermone quo pacti tabulæ sunt conscriptę) significentur Consules, coram quibus & Scabinis simul vnusquisque Ciuium pro facti exigentia sit iudicio sistendus. Quo manifestum fit magna eos, si extarent, non dissimulaturos, qui animum leuissimis aduertant, vocis vnius sonum ad priuatam interpretationem inflectentes. Gnari si dictionis abusus succedat, Tribunalium ordinariorum à solo Principe institutorum & dependentium trinitatem turbari conuellique, & nouitiam Ciuici Magistratus ab vsurpatione iurisdictionem annos suos ab eo puerperio supputaturam. Verùm alium necesse habent quęrere patrinum. Homines isti nouitij non sunt Homines memorati pacti. Ibi per dictionem Homines (vernaculè Hommes) intelliguntur vasalli rerum Feudalium Iudices & Curiæ Pares. Vtroque enim Latino, & clariùs vernaculo idiomate in materia Feudali Homo significat Clientem & Feudatarium, & est correlatiuum Domini, diciturque eâdem venustate passim Homo Domini Homo, ac vasallus Domini vasallus. Hinc inualuit promiscuè in instrumentis Curiarum Feudalium antiquis & recentibus, quod res gesta scribatur prędentibus his & illis Curiæ Dominicalis Hominibus. A qua Hominis id est vasalli significatione Homagium descendit. Sic dictum quia quorundam moribus & consuetudine introductum fuit, vt quis se alterius hominem faceret: quod ab initio plus erat, quàm venire in alterius clientelam, & ascribi quasi glebæ: & licet hodie prædura ea seruitus exoleuerit, Hominis & Homagij apud Iurisconsultos, prędipuè Feudistas & Canonistas vsus, denotantis fidelitatem quam homo seu

cliens

cliens conceptis verbis iurare ante omnia tenetur. Ex eadem origine fluxit diuiſio Hominis in Hominem Ligium, & Hominem non Ligium, eodem tenore & ſignificatu quo dicimus hunc eſſe Regis vaſallum Ligium, illum eſſe vaſallum inferioris Domini non Ligium. Enimuerò per Homines eo loco ſignificari Feudatarios & Curiæ Pares palàm fit ex alijs vetuſtioribus membranis. Vt vna pars legis aliam declarare ſolet, ita vocum dubiarum interpretatio petenda à modo & conſuetudine loquendi alijs in edictis aut ſcriptis. Repete Pacis Iudicium, & mecum iudicabis. Nemo in Tribunal Pacis Leodienſis cõoptandus, niſi ſit Homo recognoſcens Feudum à Principe & eius Eccleſia dependens. Item, Homines Domini Leodienſis id eſt Principis, & Scabini Leodienſes, & Allodialis Curia, cuius Auditorium eſt inter ædem Deiparæ & S. Lamberti, ſunt tres Iudices totius ditionis. Poſteriora hanc ipſam rem elucidant. Poſt paucos ab eo Pacto de Fexhe annos ſcilicet in laudo aut arbitramento Philippi Gallorum Regis electi inter Regem Bohemiæ & Epiſcopum Leodienſem Ducemque Brabantię arbitri ſub penultima die Auguſti 1333. articulus ſecundus expreſſim per Homines denotat Curiæ Pares his verbis, Quod Diœceſani quouſque Leodina Diœceſis porrigitur, poterunt abſque contradictione citari ad Annulum Palatij, licebitque Epiſcopo prȩcepta ſua exequi per totam Diœceſim, prout & quantum Homines & Iudices Pacis memoriâ factum antiquitùs recolunt, olimque & impræſentiarum iudicant. Non abſimiliter in moderatione Nouellę legis pridie feſti Dioniſiani 1386. ſub finem, Homines acceptas

ceptas reperies, dum Statuitur Raptam non posse nubere Raptori nisi vocatis quatuor puellæ propinquioribus consanguineis, duobus paternis & totidem maternis coram Iustitia loci vbi raptus contigit, aut coram nobis Episcopo & Hominibus nostris Feudalibus, vel coram Prætore & Scabinis Leodiensibus. Cum itaque ante & post Pactum hoc, per Homines intellecti semper sint Pares, & Homines Feudales, consequitur, quod in pacto Homines nuncupentur ijdem Pares, & Feudorum Iudices, iuridico argumento, Tale esse medium qualia sunt extrema. De facto qui destitutâ omni affectu censurâ calculum huic quęstioni interponet, sentiet incontinenti, neutiquam ibi Consules intelligi. An per antonomasiam & præcellentiam quandam in pacto cum Principe Adolpho magnanimo Martis pullo post diuturna etiam bella inito, vocarentur Homines, Nouelli Burgi-magistri qui lumbricorum instar per tyrannidem meram cuiusdam Dæmagogi, Henrici de Dionanto nominati, potentiorum quorundam machinationibus impulsi, primùm in anno 1254. reptare inceptauerant, & post pugnas geminis plusquam lustris infæliciter pugnatas, Henrico illo Dæmagogo & nefarijs complicibus proscriptis, aut laqueo, quot apprehendi poterant, necatis, ab vsurpato munere plurimis ab inde annis destiterant & vix anno 1316. ab Adolpho firmandæ tantùm pacis intuitu tolerabantur? Quantum homo homini præstat, & stulto intelligens interest, Hominem dici posse per quendam eminentiæ gradum haud inficiarer. Quo sensu hominem homini Deum esse Comicus sententiosè dixit, qui ei benefeciſſet,

quod alteri benefacere, opus sit diuinum: Et contraria metaphora Hominem Homini lupum, qui noxiam faceret, aut aliena abliguriret. Et quamuis Princeps & Dominus quisque directus conferendo vasallis & clientibus Feuda, quæ sunt vera beneficia (vt Feudi definitio importat) sint præcellenter Homines & vasallis suis quasi quidam Indigetes, ipsi nihilominùs Pares & Feudatarij Iudices, sua etiam prærogatiua, non quidem Domini directi respectu, cuius sunt beneficiarij, sed aliorum minorum subditorum, aut ignobilium, aut in Parium Curiam non arrogatorum, rectè sunt Homines appellati. Quibus solis licebat Principi pro Tribunali sedenti assistere, de Baronatibus & alijs Regalibus Feudis cognoscere, & criminales causas ad honorificentissimum Pacis iudicium spectantes terminare. Neque aptari aut conuenire potuisset Consulibus Lex illa Pacti, Quemque coram Scabinis aut Hominibus secundùm causæ exigentiam de futuro esse in ius vocandum. Quandoquidem neque tunc penès Consules erat festuca iurisdictionis, neque ruborem eò vsque exuerant, vt aliquid iurisdictionis prætenderent: sensim & interpolatim nidificauit cornicula, & aliquibus fulta incrementis pennas aliquandò in volatum explicare sustinuit. Germanus legis illius sensus hic est, non alius, Si quis Ciuis aut Incola deliquisset, inxta causæ & delicti qualitatem, iuri eum stare oportere, aut coram Scabinis ordinarijs criminum ordinariorum Iudicibus, aut coram Hominibus siue Paribus Curiæ, casuum & criminum extraordinariorum, & iudicio Pacis reseruatorum, Iudicibus. Nulla eo loco Allodialium iudicum

mentio-

mentione ingesta : quia tertij isti Iudices sunt merè Ciuiles bonorum Allodialium cognitores, criminalium totaliter incompetentes. Neque vt in Delegatione Viennensi post litem Spirensem credidi, probatur per Literam Viginti-virorum ab Episcopo & tribus Ordinibus deputatorum anno 1324. in Nouembri, aut per Pacem Nuncupatam Sancti Iacobi, quod in Pace de Fexe per vocem, Homines, significentur Consules. Nam litera illa Viginti-virorum, aliter Pax secunda de Fexhe dicta, octo annis vulgatissimâ Pace de Fexhe posterior, & illius declaratoria, manifestè arguit quod in priore illa Pace sub Hominum vocabulo nequaquàm Consules intelligantur. Ac imprimis statim in exordio Adolphus Episcopus (nam eius authoritate & nomine emanauit) causam huiusce Ordinationis reddens ait, Vt omnes Nostri subditi iuxta tenorem Pacis de Fexhe secundùm Iura & Leges iudicentur, crimina opulentorum æquè & pauperum corrigantur, Nostrique Ministri, Officiati & Iudices ab omni ambitu alieni cunctos Nostros subditos legitimo Iuris ordine regant. Vbi dum Princeps vocat Iudices Suos, & postea in progressu Ordinationis, Homines dicit Iudices, non potest intellexisse Consules. Qui, nec opinione quidem Plebeiorum, sunt vel dicuntur Principis Iudices. In primo articulo continente casus ad Episcopi Iurisdictionem pertinentes habetur quod in Delictis Incendiorum, diurnorum aut nocturnorum hæreditatis alienæ inuasorũ, latrociniorum, homicidiorum voluntariorum, depopulationis agrorum, obsessionis viarum, Raptus, & eiusmodi criminibus, delatione facta Princeps debet duos

è ſuis Hominibus fide dignos & non ſuſpectos deputare, qui citatis partibus in loco admiſſi delicti aut quàm vicino, ritè & fideliter inquirent, & proceſſum inquiſitionis occluſum Principi tradent, quem is aperiet & ſecundùm probata inculpati morte damnabuntur. Quintus articulus idem apertè peruincit. Viterius conuentum eſt, inquit, quod in criminibus capitalibus de quibus coram Principe & eius Hominibus agetur Princeps proceſſum inquiſitionis non aperiet, nec decidet, niſi in vna iſtarum trium Vrbium, Leodij, Hoij, aut Dionanti præmiſſa in quindenam citatione. Si tamen inquireretur in Ciues prædictorum Oppidorũ, inquiſitio fiet coram quatuor Hominibus ſeu viris, duobus per Principem, alijs per Oppidum cuius inquiſiti Ciues fuerint, deſignandis, & Princeps proceſſum ſibi per illos traditum aperiet, facietque vt ſupra. In poſtrema periodo per Homines intelliguntur indifferenter quilibet viri, adeò vt nec Conſules quidem denotentur: at in anterioribus indubiè Princeps per Suos Homines ſignificat Curiæ ſuæ Pares. Quippe cum ibi agatur de exceſſibus ad Iudicium Pacis ſpectantibus, cuius Iudices ſunt Curiæ Pares, neceſſe eſt eos non alios per Homines deſignari. Equidem cum in vtraque Pace Magiſtratus & Vniuerſitates cæterorum Oppidorum non minùs quam Magiſtratus & Communitas Leodienſis inter contrahentes denominentur, & nullum aliud Oppidum prætendat ſuos Conſules illic innui, ſub dictione Hominum, inſolens fuerit priuata Leodienſium interpretatio. Fruſtrà Pax Sancti Iacobi qua ſtatuatur in quemque coram Iudice competente Lege experiendum,

dum, aduocatur in comprobationem illius significati. Quandoquidem nec Hominum nec Consulũ ea vtatur epipheto, & iuri scripto congruat, vnumquemq; iudiciario tramite coram competente Iudice conueniri. Documentum Principibus Leodiensibus & illorum Consiliariis, quoties ineundorum tractatuum occasio aut necessitas incidit, non negligendum, vt ab amphibologia & æquiuocatione velut pedum offendiculo præcaueatur: quod populus pro cerebro suo etiam clara pro intricatis & inuolutis quandoque intorqueat, & quæ in præiudicium dicta & conuenta fuere, in fauorem imputet, Cræsi exemplo qui Halym obsidens accepto oraculo quod vesperi in Oppido cænaret, dum victoriam promitti putat, captiuus in eo cænauit. Iurisdictionis dulcedo stimulans est illecebra, quæ degustatores suos potenter inescat, & amatoribus suis nullum modum ponit. Mulier vna Semiramis Ninum virum suum rogauit vt quinque diebus se solum regnare pateretur, cum impetrasset, apparato opiparo conuiuio Proceres in verba sua adegit, & die altera marito in carcerem coniecto, sola regnum vsque ad senium obtinuit, à filio tamen tandem perempta. Si vsquam principiis obstandum, minimæ etiam micantes vsurpatæ authoritatis scintillæ non modo sunt in exortu extinguendæ, sed eradenda tentaminis cuiusque elementa.

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

De Tributis Vectigalibus & Collectis.
In Specie de Imperialibus, Circularibus & Prouincialibus.

VT trina Cæsarea Mandata triplici capite & fundamento ante primum meum Consulatum in Leodienses emanauerant: vnum ratione restantium subuentionum Principi per tres Patriæ Ordines ab anno 1624. addictarum, quas sola Ciuitas tricariorum suorum protelationibus in eum diem soluere erat tergiuersata: alterum circa præscriptam Electionis Consularis formam: & tertium quoad diuersa attentatorum pro parte Ciuitatis admissorum puncta; sic in Viennensi Delegatione, quam Consulatu defunctus mox obiui, ex præscripto agitatorum antea Leodij coram Cæsareis Commissarijs processuum, & Spiræ vertentium, ad singulorum contenta Mandatorum de subreptione eorundem, quas exceptiones præcisa etiam Præcepta per Imperatoriam benignitatem admittunt, dicere oportuit. Ad primum expedita stabat responsio, paritum nempe & morem gestum ab illius Mandati insinuatione, per realem debiti restantis factam meo Consulatu adnumerationem. Sed altior profundiorque remanebat difficultas, quæ posteros manebat, quod Cæsar iuxta Commissariorum relationem propter perpetua Comitiorum trium Ordinum inuicem altercantium dissidia, Reipublicæ perniciem nisi maturè prouideretur

deretur secum tractura, iubebat prævalere suffragiorum pluralitatem in articulo contributionum. Quæ ad id punctum Ciuitatenses apud Cæsareos Commissarios amplè, & strictìm, at incidenter Spiræ, proposuisse inueniebam, stili mei, Delegatus tunc, feci, granditer omittendo peccaturus. Cumque quæstionis resolutio in cardine discriminationis verteretur, distinxi tunc temporis indictiones & collectas in Cæsareas, & Circulares, de his professus nolle controuertere, & in Rogatitias & Gratuitas, quæ solæ mihi erant pro themate. Posteriori igitur generi tantùm incubui, & pro ingenio vltra rationes in vtroque processu adductas adlaboraui ostendere, quod in Rogatoriis & Precariis subuentionibus requirebatur copulatìm & collectiuè trium Ordinum consensus, nec sufficeret duorum ad obligandum tertium dissentientem. Vltimo Consulatu 1634. & 1635. Belgio si vnquam antea flagrantibus vicinorum bellis æstuante, Gallis duplicata acie Hollandico numeroso exercitui in agro Leodiensi coniunctis, cum ad salutem & tutelam Prouinciæ, vrgente optimo & vigilantissimo Principe, tres simul Ordines in arcium & fortalitiorum munitionem stationariorumque stipendia, finito quod eos in vsus cedebat certorum annorum tributo, annuissent minutum vectigal rerum potabilium, vini nempe & cereuisiæ, & octodecim Operarum seu Ministeriorum Tribus (sunt autem numero duæ & triginta) rationibus & orationibus contra peruersorum insusurrationes expugnatæ idem decreuissent, seditiosorum præcipui Antesignani, quibus res familiaris angusta, auidi mutationis Imperij, occultè aut

aut palàm quæstum suum ex iactura publica aucupantes, detonare in triuiis, in circulis, in conuenticulis, rem in hoc versari Priuilegiorum & Ciuicorum iurium, paruipendendam suffragiorum pluralitatem, vniuersas simul Tribus consentire oportuisse: & quò me in inuidiam adducerent, & pondus demerent authoritati

frustra retinacula tendens
fertur equis auriga, nec audit currus habenas,

spargunt in vulgus, ita me dixisse & scripsisse in Negotiatione mea Viennensi, & nunc Charondæ Thuriorum Legislatoris exemplo violare Legem quam ipse dixissem. Nec minæ intra verba stetêre. Globus trecentorum circiter sicariorum, gladijs, pugionibus, cultris armatorum opperitur domo exeuntem ad solemnem statumque actum Consulatus, & stricto ferro inuadit, mortem illaturus ni properè abrogarem Peculium (sic enim vini & cereuisiæ vectigal vocant) trium Ordinum pluralitatisque Tribuum consensu impositum, & Sereniſſimi Principis authoritate, me & collega præsente, publicatum. Et iam sicariorum vnus proditoriè à tergo adortus & collo inhærens iugulum oblongo cultro petebat, assectis plerisque gladios & sicas vibrantibus, cum, ijs fortè sono bombardæ in altum explosæ inopinatò attonitis, & constãtia pro dignitate Consulari vim sub capitali pœnâ voce elatâ prohibentis, plerisque consternatis, ope plusquam humanâ saluus impiorum manus euasi: & biduo post ne degenere animo mortis præsentis formidine rem ritè & vtiliſſimè decretam cogerer rescindere, ad quod nullis potuissem induci cruciamentis,

mentis, aut inhonorè occumbere; Vrbem & ingratissimos Ciues reliqui Comitijs Consularibus instantibus. Nec fefellit præsaga mali mens. Secundo à meo recessu die, vesana Plebs dato classico, conniuentibus, si non instigantibus Consulibus, miro vndequaque acclamantium applausu, Phrygum instar fatalem equum cum choreis & cantu olim in Vrbem inducentium, Peculium rescissum & abrogatum medio foro vult & decernit. Mearum igitur partium fuerit de Tributis & Collectis necessariũ bonoq; publico vtilem instituere sermonem.

Fatis Vespasiano Imperium aperientibus, & ei adhuc nutanti Mucianus impulsorum primus dictitabat, pecunias esse belli ciuilis neruos: ego mitiùs & iustiùs, belli iusti neruos opinor, & in Pace, quietis publicæ nodum, & vinculum. Et Neronem accepimus optandum primo quinquennio Principem crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis dubitasse an cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius attinuisse Senatores, dissolutionem Imperij docendo, si fructus, quibus Respublica sustineretur, diminuerentur. Immensam Tributorum vim Romanos subactis populis imperasse omnia penè scripta veterum loquuntur. Fructuum ex agro pascuo quintam quotannis, ex agro aruo decimam, præter rigorosa Portoria, & immobilium scripturam, vnde ager scripturarius dictus, & omnium penitissimè rerum certam eamque grauem impositionem. Tum Capitationem annuam in singula capita, in masculis à decimo quarto, fœminis duodecimo, vsque ad quintum & sexagesimum ætatis

annum, notam & litrum quoddam seruitutis. Vsque adeo vt Iustus Lipsius eruditiorum Musarum Phœbus, per maturam supputationem ostendat, supra centum quinquaginta milliones subactas Prouincias quotannis Tributi nomine pependisse. Quin & nonnunquam anticipare iubebantur. Quemadmodum Octauius & Antonius post Philippensem pugnam adegerant Asiaticos intra annum numerare decem annorum Tributa. Alia victoris, quàm deuictorum fuit conditio. Idem tamen Octauius octauam omnium bonorum partem à Libertis (ab ingenuis abstinens) exegit, & accepit. Et statim à morte Iulij Cæsaris, qui occupato Dictaturæ perpetuę iure libertatem specie libertatis oppresserat, singuli ciues vigesimam quintam fortunarum portionem in ærarium intulerunt; &, hoc amplius, senatorij Ordinis omnes in singulas ædium suarum tegulas sex asses.

In Leodiensi Oppido vltrà minutula quædam Vectigalia, quorum aliqua pars precariò in Ciuitatis vtilitatem deriuat, alicuius æstimationis & precij sunt Gabellæ, cereuisiæ, vini, pannorum, & hullarum: genus id est glebalium carbonum, qui è viscеribus terræ eruti progenerant eum ignem, quem iuxta Leodiense adagium iactitant esse igne calidiorem. Hoc vectigal, quod presso & speciali vocabulo Gabellam apellant, permisêre Principes Oppidanis in publicos vsus & necessitates, puta mænium, pontium, aquæductuum & consimiles: illiusque reuocatio, restrictio, auctio ab eorundem Principũ autoritate & nutu pendet. Prout anno 1627. me Consule modernus Princeps Sereniſſimus FERDINANDVS Bauariæ Dux (quem fælicitet Deus) auctionem

ctionem illarum quatuor Gabellarum ad quadriennium conceſſit; vt eſſet vnde reſarciretur ſumma triginta ſex millium Imperialium, reditus proportionati ſors, in extinctionem debiti anni 1624. reſtantis impenſorum. Et tenuêre per quatuor annos curſum ſuum eæ Gabellæ, neque tamen oppignoratus reditus dicitur adhuc hodie extinctus, facto ſucceſſorum, qui in alios conuerterunt vſus. Præteritis retrò temporibus latiùs diffundebantur Gabellæ, in ſalem, ferrum, & res perplures vænales, ſub Principali ſemper, nec aliter, authoritate. Nonnunquàm ciuibus conſentientibus Principis commodo & fiſco cedebant, cuius rei ſub Borbonio & aliquot anteceſſoribus obuia proſtant exempla. Seu Principis permiſſu Ciues in publica opera aut debita percipiant, ſeu fiſcus Principis immediatè, vtroque caſu ſunt authoritatiuè ſaltem Principis. Cum ea noſtra ſint quibus noſtram impertimur authoritatem. Et eatenùs quidni etiam ſint publicæ? Publica vectigalia intelligere (inquit Iureconſultus) debemus, ex quibus Vectigal fiſcus capit, quale eſt Vectigal portus, vel vænalium rerum, item ſalinarum, & metallorum, & piſcariarum. Vbi ſpecies quaſdam Publici Vectigalis recenſet, in exemplum, non in reſtrictionem. Nam Ciuitati non licere Tributum vllum ſibi imponere, nedum alteri, ſcit quiius à foribus ſalutauit. Suprà verbo tetigi Subuentiones Imperiales, & Circulares, quas (vt cancer ſensim in interiora ſerpit exterioribus ſemel exeſis) inſigni impudentia Coriphæi factioſorum volunt nunc in dubium adducere. Quod Maioribus ipſorum ne per ſomnium quidem vnquàm in hæſitationem venit. De Im-

perialium Tributorum numero & genere est, quod Cę-
sari & Imperio in bellum Turcarum penditur. Anno
certè 1532. Ciuitas & Patria Leodiensis aduersus im-
manissimum & truculentissimum Turcam (in quem
vtinam omnia Christianorum omnium arma conuerte-
rentur!) Germaniæ iterùm magno armatum exercitu
imminentem, iuxta Comitiorum Imperialium Norim-
bergæ habitorum receſſum, ad centum viginti equites,
& trecentos octoginta pedites censita, expeditioni non
defuit, contractis statim in conscriptionis arram vi-
ginti aureorum millibus, quæ Erardus à Marka Præsul
meritis suis immortalis mutuo numerauit in festinatio-
nem. Sub Georgio Austriaco qui Principatum Leo-
diensem anno 1544. iniit Conuentu trium Ordinum
post inaugurationem celebrato, de ratione subsidiorum
Imperialium contra Turcas propositum & decretum
fuisse legimus, & ad ea onera supportanda in singulos
sex insequentes annos, duodecim aureorum millia con-
cessa. In Comitijs namq; Spirẽsibus per Ordines Impe-
rij iteratò stipendia sex mensium Ferdinando Primo
addicta fuerant in solutionem quater mille equitum, &
viginti quatuor milliũ peditum auxiliariorum in Hun-
gariam aduersus Turcas mittendorum. Et Ciuitas cum
Patria reperiebatur reliquatrix ab anno 1542. qua oc-
casione Fiscus Imperialis Litem instituerat: vnde non
minùs residuis satisfaciendum, quàm præsentibus erat
necessitatibus occurrendum. Et id, quod ad Turcę com-
munis hostis bellum attinet, summatim sit indicatum.
Imperiales etiam sunt eæ contributiones quæ Circula-
res vocantur à Circulo sic dictæ: Principatus enim

Leo-

dienſis eſt intra Circulum Weſtphalicum (qui eſt decem Circulorum vltimus) & ad decimam Tributorum Imperialium ſui Circuli partem taxatur & obligatur. Ratio eſt in propatulo. Membrum eſt & pars Imperij, quod cum in decem tractus & diſtrictus aut plagas ſit diuiſus, & vnaquæque Imperij Vrbs vni accenſita diſtrictui, in eodem ad onera publica contribuat, Leodium citra feloniæ reatum nequit ſubuentiones Circulares declinare. Neque profectò hactenùs obligationem abnegabat: dum etiam nuper coram Cæſareis Commiſſarijs Comite Friſiæ Orientalis & Bernardo de Puteo in ſcheda allegatorum grauaminum agnouerit teneri ad vtraſque Imperiales & Circulares, quas fatetur neceſſarias, circa ſolas Prouinciales, quas vult eſſe Rogatorias tantùm & Gratuitas, quaſi ad ſcopulum adhæreſcens. Vt nouitiorum recens enatorũ quorundam fungorum inſolentiam mirari lubeat, qui vt Noctuæ ad fælicitatis ſuæ ſub Aquilis Cęſareis fotæ Solem cæcutientes, parùm examinant quanti referat Circuli Weſtphalici, & conſequenter Imperij membrum fuiſſe & permanere. Robertus à Bergis anno 1557. Epiſcopatui inauguratus in ſuorum trium Ordinum cœtu obtinuit quinquaginta duo florenorum millia quantocyus colligi in ſubſidiorum horum Imperialium ſolutionem. Illius ſucceſſor digniſſimus Gerardus de Grosbeeck, qui ab anno 1564. vſque ad 1581. Cathedram tenuit, quoties per hæreſim & bella vicina temporumque calamitates Ciuitas & Patria ſolutionem protrahebant, ad Ordinum preces, moræ cauſam Deputatis Circuli perſcribi iubebat, & anno 1578. Alenſonio è Gallia & Caſimiro è

Germania in Belgium pauorem & trepidationem secùm inuehentibus, pecuniâ quæ quoquo modo corradi poterat in præsidia & munitionem Arcium & Oppidorum ditionis Leodinæ applicatâ, apud Circulum causas exponi curauit pro obtinendo tantisper Tributorum Circularium supersessorio. Recentissimæ gratissimæque memoriæ Sereniſſimus ERNESTVS Sereniſſimi FERDINANDI Patruus & Prædecessor proximus, quàm crebrò apud Cæsarem & Westphalicum vnà Circulum gratiam & authoritatem suam interposuit, vt consideratione tot malorum ingruentium, onerumque ex militum aut prædonum grassationibus incumbentium, harum Collectarum remissio temporanea aut moderatio fieret? Nemine eò ituporis degenerante qui debitas inficiaretur. Sub eo, anno 1599. fœdere inter Germaniæ Principes ad grassatorum deprædationes coërcendas percusso, in Ducum ad id designatorum stipendia non eò minus Leodienses cum cæteris Westphalici Circuli membris in censum fuêre relati. Prouinciales Collectæ tertiam constituunt speciem, & sunt circus & campus quotidianæ altercationis, easque parùm grato titulo, gratiosas aiunt, & ab Ordinum singulorum arbitrio pendêre. Miseram dixit aliquandò futuram Augustus Rempublicam, quæ sub tam lentis maxillis quandoque esset, Tiberium denotans successorem. At longè infæliciorem ego Patriam, quam sub Opificum cultris inter sacrum & saxum stare oportebit, si morientis salus ex illorum sit petenda præscripto. Frontonis Consulis est dictum: Malum esse eum imperare, sub quo nemini cuipiam concessum sit: sed

sed longè peius sub eo viuere, sub quo maximè liceat. Prouinciales censeo esse bipartitas. Prioris generis, quæ ita ad Prouinciæ salutem tendunt, vt absque ijs salua nequeat, aut non nisi ægrè consistere. Posterioris, quæ è cuiusdam liberalitatis fonte scaturiunt, gratiamque pro causa habent, quas proinde Gratiosas, Precarias, aut Rogatorias non immeritò dixeris. Quæ prioris sunt conditionis, quia, vt pharmacum ægro, Reipublicæ incolumitati necessariæ sunt, non video quî differre possint ab Imperialibus & Circularibus. Nam vt hæ ad generis, Imperij scilicet & subordinatè Circuli conseruationem faciunt: sic illæ ad speciei siue Prouinciæ vitam. An fortè iuxta Philosophum omnes sumus mundi ciues, & hoc amplius, vt quisque nostrûm minùs sit priuatæ suæ Patriæ ciuis, quàm vniuersi Orbis, vt minore in Patriam caritate feramur, quàm in Imperium, & Circulum, sub quo Patria nostra comprehenditur? Non sic ad lapidosam & sterilem suam Ithacam Vlysses derelictis Alcinoi hortis properasset, nisi natalis soli dulcedo, efficax Magnes, animos cuiusque ad se alliceret. Necessariarum ad tuendam Prouinciam contributionum non potest certa dari definitio. Necessitas pro varietate temporum multiplex est, & pro illius varietate varia, modò laxior, nunc strictior. Necessariæ sunt, quæ pro Arcium, Propugnaculorum, Portuum & oportunis sitorum locis Oppidorum, defensione exiguntur: quia ad Prouinciarum & Regnorum tutelam sunt extructa, & illorum rima, corporis ruinam minatur. Nec vbi foris est periculum, vacat domi securè deliberare & sophismatibus decertare, an Principis

sumptu

sumptu fortalitia illa & loca, militibus, apparatu bellico, & commeatu munienda sunt, an verò ciues, incolæ, & subditi omnis ordinis & dignitatis eò debeant conferre. Semel tantùm in bello peccatur: si auem è cauea semel emiseris, nunquàm posteà prehendere queas. Non hìc accitis verborum coloribus consultandum, concordent discordentne tres Ordines: num Ciuitas ab alijs septemdecim Oppidis discrepet, & Ciuitatis duæ ac triginta Operarum Tribus vnanimes consentiant, vel consentientium Ministeriorum pluralitas solùm præponderet. Medicùmne quisquam laudauerit, qui vulneratum in suo natantem sanguine, & animo deficientem cernens, detrectet cruorem sistere, & vulnus medicari, nisi saucius authorem vulneris prius nominauerit, aut de mercede sibi cauerit? In naufragio merx promiscua subleuandæ naui in æquor abijcitur, nec scrupulosè disceptatur, vter nostrûm instrumentum suum prior demergat.

Quid iuuat ad surdas si cantet Phemius aures? Corruptæ aut præoccupatæ per factiosorum emissarios nonnullæ Tribus obturatis auribus, aut pertusi dolij instar fluentibus, dicta mea anno 1635. exceperunt, dum modicum cereuisiæ & vini vectigal à tribus Ordinibus approbatum contra maiorem aliarũ Tribuum assentientium numerum exsibilarunt, Arcium & fortalitiorum intertentionem Principi non Patriæ incumbere decantantes. Architectonum fascino, qui peregrinum aurum è Patrię naufragio piscantes vmbratilem exemptionem (in fædissimum mox erupturam seruitium) iactando, fæcem populi ebriosam, egenam & turbidam

conci-

concitarunt, syncerum vas agitatione sua turbaturam. O cæcas hominum mentes? Si Consuli obganniunt, audirent saltem Pseudolum subsannantem, O Stulte, stulte, nescis vænire te, atque in eo adstas lapide, vbi te præco prædicat! Quanti referat ad Arces attendere, docet Arx Hoyensis anno 1595. intercepta, ad cuius recuperationem opus fuit auxiliario Regis Catholici exercitu. Prædocuit Bullonium anno 1552. perfida deditione amissum, nec ante Pacem Cambresianam Ecclesiæ Leodiensi, Regis etiam Catholici beneficio, Gallis illinc reuocatis, restitutum. Et Stockemium anno 1590. per Montium ad Zonam præsidiarios astu sub auroram captum direptumque; Arx ipsa at incassùm attentata. Neutralitatis beneficium, inquitis, vos securos reddit. O nunquàm tutum credere blanditijs? magnum Dei immortalis munus hoc æuo neutralitas inter tot strages & clades circumiacentium Prouinciarum: in illam ne impingite & Orthodoxam Religionem colite constanter. Nescitis diffidentiam matrem esse securitatis? Non timebant Thebani cum Laconum ductor Phæbidas in amicam fuit Ciuitatem admissus, qui non eo minùs illorum Arcem Cadmæam, à conditore sic dictam, hostiliter occupauit. Nec diffidebant Locrenses Dionysium Siracusanum iure hospitij excipientes, dum ille solita perfidia arcem inuasit, & quam in Siracusanos, tyrannidem in Locrẽses breui exercuit. Non cessit perperàm Athenienſibus Pyrrhum Epirotarum Regem honoris ergò in Palladis Arcem natura & arte munitissimam introduxisse, sed pauci Pyrrho sunt comparandi, à quo & Cecropidæ acceperunt monitum, vt nulli

Regum impoſterùm facerent eam ingrediendi poteſtatem. Patriæ Ordines & ſubditos ferre tales ſumptus debere, ratio naturalis, iuſque poſitiuum dictant: cum ea fortalitia & munita loca ad communem vergant conſeruationem. Illi enim expenſas ſubminiſtrare tenentur, quorum gratia & commodo aliquid fit & cedit. Et vt priuatarum rerum onera priuati ſubeunt, ita publicarum Reſpublica. Hinc iure conſtitutum eſt, reparationem murorum Vrbis aut Caſtri non ſpectare ad loci Dominum, ſed ad Populum: neque ſolùm ad ciues intra muros commorantes, verùm etiam ad ſingulos territorij illius incolas. Auguſtus, qui non iniuriâ tertius, à Romulo, & Camillo Vrbis dici poteſt Conditor, non è fiſco Principis milites ſtationarios aut Prætorios aluit: ærarium militare inſtituit, & ad id vectigalia noua. Vultis ſcire quæ? Viceſimam hæreditatum, & Legatorum, quę cuique obueniſſent teſtamento. Viceſimam quintam mancipiorum, & centeſimam quarumcunq; vænalium rerum. Patribus veſtris alia fuit cura. Cum anno 1554. ad nuncium ingruẽtis inter Principes vicinos belli in Comitijs trium Ordinũ in fortificationem & ſtationes Arcium duo & quinquaginta millia florenorum conceſſa ſunt, & Henricus de Berlaymont, cognomine Floyon, Dionantum cum ſupplemento militum ducentorum miſſus. Receſſus Ordinum, rationes Quæſtorum, diaria Præfectorum, qui vel limis oculis inſpexerit, ſeptuaginta & amplius continuorum annorum ſerie, è communi Patriæ nummo ſtipendiarijs fuiſſe ſatisfactum viderit. Non iuerim inficias, quando olim alta pace concors Belgium quieſcebat, & ſola fides publica

publica tuebatur sine milite Castella, & turrita culmina vno vel altero custode contenta, leues eosque sufficientes sumptus è Castellaniis siue districtibus Castello subiectis corrogatos aliquando fuisse; at ad arma vndique conclamato, concentuplicatis periculis auctos certa proportione necessarios sumptus à toto corpore subministratos. Sensus, ô Superi, sensus, & mentem bonam plebeis istis animabus date! Talia, vberioraque multò sæpiùs effatus, & quantum Sacro Romano Imperio tanquam illius membrum, & in finibus propugnaculum, Augustissimo Cæsari, & Sereniſſimo Principi, amborum subditi, publicæ & priuatæ saluti, vnusquisque deberent, commonefaciens, Dei iram, Ecclesiæ iniuriam, si per incuriam (quid autem si per malitiam?) præsentaneis necessitatibus deesſent, instillare non oblitus. Plebem nil vota furentem, nil delubra iuuant. Credetne posteritas? dubito an præsens ætas. Verius est folijs Sybillinis. Quasi in eodem ludo discipuli, à suis Magistris idem fuerant edocti; vnâ confusâ voce vnam negatiuam, Non, Non, Non, longissimo geminationum tractu intonare, & rogati à Consule qui essent negantes, pari murmure tumultuatim respondere, Omnes, Omnes. Et alio quàm Vlyssis ad Sirenum læthiferos cantus consilio, aduersus Saluberrima Magistratus consilia & monita, ne rationes in pectus penetrarent, aures gerere occlusissimas. Ita aliquæ Tribus hortante & impellente suo Saturnino, & vnà præstigiis alterius hominis, qui per consimiles artes, & explosa postmodùm in ipsam ædem Diuo Lamberto tutelari sacram tormēta bellica, viam euoluto altero ab inde anno

ad infaustum sibi Consulatum strauit, dementatæ: licet plures, octo scilicet & decem Tribus, incantationibus minùs efficaciter tunc operantibus, trium Ordinum cæterorumque Oppidorum in puncto Peculij sententijs subscripsisse comperiantur.

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

An Ordinis vnius Contradictio possit Impedire Vectigalium Impositionem in aliorum Ordinum Concordia.

TRes Charites, Aglaia, Thalia, Euphrosyne trigeminæ sorores, his penicillis effigiantur, vt mutuis deuinctæ innexæque brachiis vna ire, & duæ redire videantur. Appositâ Gratiarum descriptione, quæ vbi in pectus gratum incidêre, accepta beneficia referendo geminant. Tres Ditionis Leodiensis status, Ecclesiasticus, Equestris, & Popularis, trigemini fratres saluâ sortis & dignitatis prærogatiua non male depingantur, mutuis etiam innectendi brachijs, in communem & publicam salutẽ collimaturi. Sed nimisverè, quod dum duo illorum redeunt, tertius aliorsùm tendit. Ecclesiastici & Equites vbi de subsidijs in commune bonum decernendis quęritur, post disceptationem & indaginem an & quæ decernenda & vnde expromenda sint, in vnam posteà sententiam de facili conueniunt: Popularis autem vt plurimùm spretâ aliorum duorum Ordinum pręmonstratione in auia declinat, illorum concordiam in suæ discordiæ materiam trahens. Magistratus

tus crebrò culpa qui popularis auræ captator, plus æquo partes plebis in ſuperficie agit, plebeius à plebeis haberi volens, vt minore repulſæ metu crebriùs honores repetere poſſit. Non ſatis memor, quod Virtute ambire oporteat, non fautoribus: Et ſat fautorum habeat, qui rectè facit. Pœnè tamen ea culpa tota Vrbis eſt Leodienſis: contagione & attactu tantùm reliqua Oppida deficiunt, dum in ſeparato Popularis Ordinis cætu, præeunte ad praua Magiſtratu Leodino, nonnunquàm erubeſcendo rubore pedibus eunt in illius ſuffragia. Nam multoties & frequentiùs aliorum Oppidorum Conſules & Senatores à duorum potiorum Ordinum iudicio non deflectunt, & deſciſcentes Leodinos ſano conſilio deſerunt. Quemadmodum anno 1624. (qui nefaſtus ſeminarij diſcordiarum annus fuit) duobus Ordinibus in Peculium conſentientibus, Ciuitate per ſuos tunc temporis Conſules Publicolarum & Popularium nomen affectantes pertinaciter renitente, cęteræ Vrbes excuſſis, quas in Ciuitate induerant, tenebris, herbam ex interuallo porrexere. Et quo de loquimur anno 1635. libratis rationum ponderibus prono pariter animo cuncta illa Oppida Peculium annuerunt. Liuidum iſtud irritatæ diſcordiæ pomum ſapientiſſimi Principes tollere magnopere laborarunt, irrito niſu. Quin Diui Cęſares Rudolphus Secundus, Mathias Primus, Ferdinandus Secundus annis 1602. 1615. 1625. datis ſucceſſiuè Commiſſarijs Carolo Nutzelio, Ioanne Comite Phryſiæ Orientalis, & Carolo Comite de Manderſcheit, adiuncto vtrique poſtremorum Bernardo de Puteo, ſollicitudinem ſuam & authoritatem interpo-

fuerunt, & ipse Diuus Ferdinandus Secundus acceptâ præmemoratorum suorum Commissariorum relatione, mandatum strictissimum pœnale edidit, quo in Comitijs rem subsidiorum & tributorum, maioribus votis & suffragiorum pluralitate decidendam constituit. Ablegatus Viennæ existens reproduxi humillimè quæ coram Cæsareis Commissarijs eo in puncto & ex parte Ciuitatis allegata fuerant: & in specie, quod in Gratiosis & Rogatitijs Indictionibus, trium Ordinum vniformis requireretur assensus. Ad Gratiosas inquam calamum non minùs quàm linguam restrinxi, & ad trium Ordinum inter se suffragia; nequaquàm euagatus ad singulorum Ordinum separatos inter se conuentus. Cui legere otium suppetet, gratam rem faciet, si vel cursim lectitare volet, ne nomen meum ingratiis vapulet. Repono argumentum ibi positum. Gratiosum tributum, esse donatiuum: duos verò Ordines posse quidem esse de suo liberales: sed de suo, non de alieno. Æquum esse vt tertius Ordo consentiat donationi de suo communiter faciendæ. In corporibus Politicis duplicis etiam esse generis corpora, Homogenea quædam, & alia Heterogenea: & diuersam vtrorumque conditionem. In Heterogeneis concordia opus esse cum de largiendo & donãdo controuertitur, in Homogeneis non item. Heterogenea inuicem corpora esse, Ecclesiasticum, Equestrem & Popularem Ordines: Homogenea, Collegia Canonicorum separatim omnia inter se, Comitum, Baronum & Nobilium inuicem sessiones, Magistratuum, Senatuum, & Tribuum, Ciuitatis, & Vrbium totius Principatus conuocationes, congregationesque:

hinc

hinc in merè precariis neque Clerum & Nobilitatem concordes, posse inuitum territorij vniuersi Populum onerare, neque vice versa Popularem statum si Clero suffragetur, obnitenti Nobilitati præiudicare, nec Clero, si cum Equitibus conueniat. De Homogeneis mutuò corporibus nihil tale scripsi, sed ex diametro contrarium per illationem: Et Stentorea quasi voce, in Senatu, in Tribuum Cætibus præstigiatorum impostoras damnaui, dolosam factiosorum hominum amphibologiam detexi: in Vrbe Leodiensi, in cunctis Patriæ Oppidis à sæculis, citra variationem, obseruatum, vt in articulo Tributorum & Collectarum, quò plures Tribus inclinassent, ab omnibus illius Populi ciuibus & Tribubus factum & Decretum esset. Equidem vbi abesset obseruantia & consuetudo, ad ius nobis, si homines sumus, recurrendum foret. Iure Ciuili, Quod facit maior pars Collegij, totum Collegium facere dicitur. Factum à Concilio Ciuitatis censetur factum à toto Populo. Quando Concilium Ciuitatis fuit ritè conuocatum sufficit duas partes Decurionum esse præsentes, & quod à maiori parte præsentium statuitur, omnes ligat & ab omnibus est approbandum. Iure Canonico, præualet semper & suum consequitur effectum, quod à maiori, & saniore parte Capituli fuit constitutum. Et Prælatus, cum maiori parte Capituli potest minori parte contradicente statuere, quod quilibet Canonicus ad fabricæ reparationem debeat conferre. Quod de Heterogeneis dixi corporibus existimo Ciuitatensem Aduocatum deprompsisse ex Ioanne Bodino, qui in suo de Republica opere refert, quod cum in Comitijs trium Regni Galliæ

Ordi-

Ordinum Eccleſiaſticis, Nobilibus, & Popularibus tripartitò conſtantium, decideretur duorum Ordinum ſufficere conſenſum ad obligandum tertium, vti tertij Popularis Status Deputatus præfato argumento euicerit Decreti moderationem. In quo tutum non ideò pedem fixerim: nec quod vt Delegatus ex formula adduxi præſtare vti indubitatum cogor; cum mandatarius ob rem nomine Domini actam, aut geſtam de euictione non teneatur. Eò minus quod hæc Heterogeneorum aſſertio in Leodienſium Politicis locum non inueniatur vendicaſſe: vbi iuxta Manuſcriptorum traditionem ſede vacante & in Interregno, dum Patriæ Mamburnus communibus trium Ordinum ſuffragiis deligitur, ſi duo Ordines in vnum & eundem concordent, fruſtranea fuerit tertij Ordinis reclamatio. Stet, aut conuellatur, non magni pendam: id intrepidè affirmaturus, quod ſicut in Imperialibus & Circularibus Contributionibus, ita in Prouincialibus neceſſariis ſubtilitas huiuſce diſtinctionis non ſit recipienda. Et quicquid de Rogatitiis Collectis è ſubditorum liberalitate proficiſcentibus enixo labore contenditur, non deprehendo ſatis cui bono & fructui tam operoſa diſputatio. Cum vix caſus eueniat, vt, quod Leodienſi Principi ſubſidiorum ſpecie & titulo conceditur, munificẽtiæ ſit, & non neceſſitatis, aut obligationis ſaltẽm naturalis. Quæ me Conſule annis 1627. & 1635. populus annuit, non eſt vt largitionis putentur fœtus, cum ſtrictæ fuerint obligationis. Illo quidem, in extinctionem & diſſolutionem ſummę ab anno 1624. verè per Ciuitatem debitæ: hoc verò in Arcium munitiones, & ſtationariorum ſtipendia: etſi poſterius hoc

Tribu-

Tributum, Peculium dictum, in hunc diem successu caruerit per nequitiam Instigatorum prisci Reipublicæ statvs mutationem appetentium. Et quoties Ordinibus visum fuit aut moderno aut prædecessoribus Principibus donatiuum largiri, absit inuidia dicto, non tam donatiuum fuit, quam naturaliter debitum, quod intuitu benefactorum & in Patriam meritorum tribuebatur. Quantum est boni Principis onus? Admittere in animum totius Reipublicæ curam, & Populi fata susciperè, & oblitum quodammodo sui, subditis viuere. Et vt in Theodosio Pacatus, Vt indefessa vertigo cælum rotat, vt maria æstibus inquieta fiunt, & stare Sol nescit, ita Princeps continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus semper exercetur. Non quod laudem eam bonis subditis ereptam velim, quasi interdum Principum suorum labores plusquam Herculeos nequeant alicuius munificentiæ testimonio è priuatis detractæ facultatibus prosequi: imò verò vt animos illorum accendam præacuto æquitatis naturalis, & cuiusdam antidoralis obligationis stimulo. Ad tres Ordines regredior. Quod per totam propè Europam vsu receptum est, in Prouincia Leodiensi inualuit, vt in tres sit diuisa classes, vnam Ecclesiasticorum, secundam Equitum, tertiam Popularium. Et ternarius numerus tanquàm omnium perfectissimus plerisque Gentibus placuit. Romani Romulo authore in tres Ordines partiebantur: quorum primus erat Patricius, secundus Equestris, tertius Plebeius. Antiqui Galli in tres pariter, nempe in Druydas, Equites, & Plebem. Hippodamus Milesius trifariam Populum diuisit, in Artifices, Agricolas, & Milites.

Milites. Veneti in Nobiles, Honestiores Ciues, & Plebem. Florentini olim in Proceres seu Magnos, in Populum honestiorem, & in Plebem. Dignum scitu, & perutile certè obseruatu, quod ex Seruij Tullij instituto in suffragiis obeundis legendisque peragebatur. Ex Primoribus Ciuitatis Seruius duodecim scripserat Centurias Equitum: Populum in quinque Classes partitus, facto ordine pro census & fortunarum quantitate. Quas Classes in plures rursùs Centurias diuiserat: prima classis conficiebat Centurias octoginta, reliquis classibus in viginti Centurias seniorum & Iuniorum singulis sigillatim distinctis: præter quintam classem vndecim millibus æris censam in triginta Centurias distributam. Infra quem censum collocata fuit reliqua multitudo pauperior, & plebs proletaria, in vnicam Centuriam redacta, militiæ, honorum & suffragiorum expers. Centurijs suffragium eâdem vi, eodemque iure omnibus datum est: sed (Liuio teste) gradus facti, vt neque excluſus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penès primores Ciuitatis esset. Equites enim vocabantur primi, octoginta primæ Classis Centuriæ tum peditum vocabantur; ibi, si variaret, quod rarò incidebat, vt secundæ Classis vocarentur: nec ferè vnquàm ita descendebant vt ad infimos peruenirent. Tota vis igitur erat penes Centurias Equitum, & octoginta Centurias primæ Classis ex ditissimis & honestissimis ciuibus, quorum quilibet non minus quàm centum millia æris haberet, (census erat illo rudi & paupere sæculo magnus) compositas, vltrà quas non efflagitabantur suffragia, nisi inuicem variassent. Si forte in

discor-

discordia, sequentium Classium vocatæ Centuriæ in diuersa etiam abiissent iudicia, quod pluribus Curiis & Centuriis placuerat, ratum & fixum erat. Rex porrò plebis & proletarij homines extra censum positi, in Comitia vt non adhibebantur, sic iure vocis & suffragiorum carebant. Eandem Leodij Legem in Popularibus Comitijs latam & tentam oportuit, quâ plebecula famelica ventri & abdomini nata à suffragiis arceretur. Ab ea motus, rixæ, & turbæ in Tribubus oriuntur, minç in pacificos & probos intentantur, libertas Comitiorum impeditur, si non tollitur. Per eam homines factiosi rerum nouandarum auidi quiduis audent, & per scelus & nefas aditum sibi ad honores parant. Ex præmissis infertur legitima conclusio. Quod quemadmodum in omni subsidiorum genere siue Necessaria, siue Gratiosa illa dicantur, Quod plures Tribus decreuere, omnes tenet & obstringit: ita quod plura Oppida aut Oppidorum Magistratus & Deputati in Comitijs statuunt, ad reliqua Oppida & ipsam Ciuitatem Leodiensem porrigitur. Quo enim modo sese habent vnius Oppidi Tribus & Ministeria Opificum ad inuicem, eodem omnia Oppida, & Oppidorum Tribus se inter se habent. Vnde fit vt aliorum Oppidorum Deputatis in separata Comitia à propositione Principis cum Magistratu Leodiensi coëuntibus, etsi aliquorum Burgimagistri aut Deputati Oppidorum cum alijs non consentiant, quod maiori parti lubuit, debet his dissentientibus lubere. Si in alijs Vrbibus id iure accidit, quid causæ erit, cur Leodium non succumbet ijsdem in pluralitate suffragiorum? Maximè cum iuxta pro-

priam Leodiēsium allegationem, aliæ Vrbes cum agris, conceſſorum Vectigalium, detracta quota Cleri, quatuor partes ſubeant, ſalua decima ſeptima Nobilitati attributa, vna tantùm quinta in Ciuitatem reiecta. Adeò vt hac concurrente ſuffragiorum pluralitate concurrat ſimul pluralitas portionum & onerum: ideoque ex vtroque capite minor pars in corporibus Homogeneis in numero & quantitate maiorem partem ſequi teneatur. An id hactenùs, vt nuper, vſu ſit receptum, non eſt mei propoſiti inquirere, aut defendere. Non quid prauo abuſu factum ſit, ſed quid ex iure & æquo ſit faciendum, dico. Ratio Legis eſt æterna & immutabilis, quam præuaricari quis poteſt, tollere non poteſt. Si de toto Populari Statu aduerſus Eccleſiaſticum & Equeſtrem connitente ageretur, adhuc iniquè ferretur Tertio & nouiſſimo tantum in Potiores licere, vt obſtinata ipſius oppoſitio, duorum ſana conſilia ſubuerteret, & bonum publicum euerteret. Nunc de Plebe in duas & triginta Tribus diſtributa non conquerēmur, quæ alijs Oppidis non minoris ſolertiæ & ſagacitatis ad duorum Ordinum rationes auſcultantibus, ſola voluptati ducit reſiſtere & perſiſtere? Sic Arachne, de lanificio & acu, Palladi quæſtionem excitauit: & bardus Marſyas ſtrepero rudis fiſtulæ cantu Apollinem prouocauit. Nec dēerit auriculandus aliquis Midas, qui creperum anſeris ſonum pluris faciet mirifico Oloris modulamine. Itane ad Diogenis Cynici morem inerubeſcens multitudo aduerſus communem omnium ſententiam obambulabit? & cui plurimum eſt inſipientiæ, ſapientioribus obluctari, ſapientiæ partem æſtimabit? Id quod eſt, dicen-

dicendum est; multorum annorum remoræ & technæ, quid ex confusione & contumacia Tribuum sperari queat, nos docent. FERDINANDVS Secundus Cæsar anno 1624. ad Ordines Leodienses circa damnosam super Contributionibus, in quibus Reipublicæ istius salus consistit, discordiam, pro ea tandem terminanda scripsit, & Carolum Comitem de Manderscheit ac Bernardum Puteum Commissarios suos Imperiales Leodium ablegauit. Clerus & Nobilitas, & alij Oppidani Magistratus (nam vtriusque Recessibus sese conformarunt) dicto Commissariorum fuere audientes. Lubuit istis Tribubus verba primò mellea dare, & propositam viam amplecti promittere, & positâ tandèm simulationis personâ expressìm dissentire. Primus & secundus Ordines ob publicas Patriæ necessitates in duplex Peculium, sexagesimum mercis denarium ad tres annos, & aliquot florenos super porturâ vestium byssinarum, auro & argento ornatarum consenserant. Opificum Tribus, Motorum suorum indubiè impulsu, reiectis illis mediis Capitationem proposuerunt, non quod in eam propenderent, sed antiquo vtentes ingenio, vt in superficie non viderentur in totum contradictores. Siquidem vbi alijs Ordinibus Capitatio arrisisset, de repente occlamassent eam Populo nimìs onerosam, iniquam, odiosam, tenuioribus sensibilem & priuilegiis suis nociuam: cuius executionem nunquàm admitterent. Hinc Cæsarei Commissarij posteaquàm tertiò, nempe 14. & 26. Iunij ac 2. Iulij 1625. Ministeriales & Ciuicum Magistratum seriò monuissent vt se Recessibus aliorum Ordinum, & maioris partis vnanimium

Oppidorum per Sereniſſimum Principem acceptatis & approbatis conformarent, prima Auguſti iudicarunt & mandarunt vt maioribus votis Ciuitas ſimpliciter accederet: addito etiam motiuo quod tam iure communi, quàm Conſtitutionibus Imperij cautum ſit, & ratio naturalis dictet, in eiuſmodi negotijs concernentibus Imperium, Circulos, Principatus, Vniuerſitates, maiorem partem ſequendam, & Rudolphus Secundus reſcripto ſuo 24. Auguſti 1604. idem in hoc Principatu ſeruandum conſtituerit. Commiſſariorum ſuorum Decreta inſecutus Cæſar 22. Auguſti 1626. ſtricto ſuo Mandato Conſulibus, Ciuibus & Incolis Ciuitatis Leodienſis præcepit, quatenùs citra vllam dilationem Receſſui aliorum Ordinum de anno 1624. quoad duplex Peculium, aliaſque Collectas ſe accomodarent, & de Cætero in Comitijs habendis à maiori parte votorum per Principem placitorum ſe nullo pacto ſepararent, ſed ea præſtarent quæ per maiora (accedente beneplacito Principali) reſoluta, decretaue forent. Sed quid decreuiſſe & mandaſſe attinet? Hodie pertinaciore, quàm anteà petulantiâ Plebei iſti ab aliorum Receſſibus diſceſsêre, pro lege habentes, exleges viuere. Iuris eſſe exiſtimo, quod etiam in rebus, communibus non ſolùm vt Collegiis ſeu Vniuerſis, ſed ſeparatim, & vt ſingulis, quando aliquod membrum ab alijs diſcordat, per Iudicem causâ cognitâ, multò magis per Principem & Cæſarem; adigi poſſit vt adſentiatur, & obſtinato durante diſſenſu, illius contumaciam diuinâ præſentiâ (probo Pragmaticorum axiomate) ſuppleri. Quod per ſuperiorem habendus ſit pro conſentiente, qui peruicaciter

ſine

sine causa dissentit. Nil obedientia prodesse videretur humilibus (inquit Innocentius Tertius Pontifex) si contemptus contumacibus non obesset.

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

De Immunitate Tributorum & Vectigalium.

HOmo in cæterorum animantium conuentu, quibus solâ ratione, non aliâ dote præstat, dum singula corporis sui ornamenta prædicaret, risum alijs mouit. Quid habes, inquiunt, quod iactes? Si vires: pecudibus multis, ferisque maiores natura concessit. Si formam: à Pauonibus, & multis animalibus decôre vinceris. Si velocitatem: nec equo, nec lepusculo par es. Si capillum: formosior in Leonum ceruice horret iuba: si vocem, clariorem canes, acutiorem Aquilæ, dulciorem, mobilioremque luscinias habent. Si visum, à lynce superaris, vt à cæco talpa, auditu, ab aranea, tactu, à vulturibus odoratu. In Comitiis trium Ordinum vbi Leodiensis Populus suam à Tributis & Vectigalibus immunitatem iactitat, quàm potiori iure Clerus, & Eques respondere possunt? Minor si digniori laudes suas prædicat ex illius ore fiunt sordidæ. Si vspiam Collectarum & Tributorum exemptiones legibus fundatæ exquiruntur, fas erit eas apud Ecclesiasticos in sortem Dei electos inuenire, quos sacri Canones exemêre, seueriſſimis in contrauentores pœnis sancitis, excommunicationis nimirùm & interdicti. Proximè ab illis, apud Nobiles,

quos

quos in memoriam rerum à maioribus longo ordine gestarum, & obsequiorum, quæ in militia præstant, aut præstitêre, aut ius Ciuile, secundùm multorum opinionem ijs oneribus soluit, aut consuetudo penè generalis liberos fecit. Quo fonte Populus hanc libertatem à Tributis, in quæ, vbiuis locorum Ciues & Incolæ nascuntur, hausit? Replicabit, quod speciali Philippi Romanorum Regis priuilegio datam anni 1208. præferente: & Pacto, vel Pace Clericorum de anno 1287. nitatur. De Priuilegio posteriùs in capite separato videbimus, Pactum seu Pacem (sic frequentiùs vocant) Clericorum videamus. E præcedentibus non rarò lumen ad secuta prælucet. Lux Historia est. Sub Alberto de Cuicke secundo eius nominis Episcopo, quem querun-tur Annales indulgentiâ suâ multùm Ecclesiæ iuribus nocuisse, dum Leodium aliquoties integratâ clade semirutum, vallis & aggeribus, quà corruerant, recluderetur, excanduit Laicorum in Clericos indignatio, quos cum familijs de facto Tributis grauare præsumpserunt. Eò vsque Laicorum erumpente proteruia, vt detrectantibus meritò Ecclesiasticis iugum insolitum subire, vnum illorum carceri mancipauerint, & alios vulneribus, plures indignis contumelijs affecerint, *Episcopo* (hæc tria verba sunt Chronistæ) *cum Laicis consentiente*. Ecclesiasticorum fortis fuit, & imitanda constantia. Nullus carceris aut necis minis territus de officio latum vnguem decessit: à Diuinis & Sacris in violatarum libertatum vltionem cessatum est, nec ante de reconciliatione agi fiuerunt, quàm, ipso Episcopo præsente, ciues iurati adpromitterent, nihil in futurum aduersus libertatem Ecle-

Ecclesiasticam molituros. Sub Hugone de Petra Ponte proximo Alberti successore, vt inchoätum opus perficeretur, producto à porta Pagani vsque ad Sanctam Walburgem muro, anno 1203. Ecclesiasticis, Nobilibus & Ciuibus in id consentientibus, permissu Episcopi Pedagium (Tributi genus sat notum) ab ingredientibus exactum & solutum fuit. Et eâdem occasione pulcherrima silua, à Glano dicta, magnum ob viciniam Ciuitatis decus, radicitùs exstirpata, duabus precij partibus Principi & fabricæ Ædis Lambertinæ, tertiâ mœnibus & turribus Vrbis attributâ. Sub Henrico à Geldria Ciuibus in Cleri priuilegia rursùm insurgentibus, Henricus ipse & vniuersus Clerus in detestationem, Vrbem reliquerunt, & Ciuibus culpam purgantibus anno 1253. 14. Kalend. Decemb. non aliter regressi, quàm si nudis pedibus & accensos cereos manu gestantes ciues in Ecclesiam vsque deducturi obuiàm venirent, & in mulctam delicti memorem, quotannis nouem hamas vini traderent. Et post paululùm machinatore quodam Henrico de Dionanto (quem primum populus Dæmagogum habuit) sopita rursùm exarsit discordia, illo & complicibus Gabellam cereuisiæ lapsu temporis abolitam ad quinquennium protrahere conantibus, quo irritatus Clerus denuò è Ciuitate excessit anno 1254, interuentu tamen Petri Capucij Legati Apostolici pręuia satisfactione est reuersus. Quieuit maioribus breui excitanda vndis tempestas, sufflante eodem seditionis Borea. Anno siquidem 1285. Potiores populi, Insignium vocabulo ab Annalibus designati, vænalium rerum indictionem insolente audacia introduxerunt,

Episcopo & Clero inconsultis, & improbantibus, qui Hoyum ideò ad annum & menses decem secessérunt, regressi anno 1287. Ioanne Brabantiæ Duce, & ipsomet Episcopo Pacis, & concordiæ, precante populo, authoribus. Qua sublatum & vetitum fuit imposterùm Tributum, nisi quod ad proximos octodecim annos è solâ cereuisiâ penderetur, in solos murorum, vallorum, pontium, & platearum vsus conuertendum. Quanquàm, vt à scriptoribus est animaduersum, nullum aliud publicæ illius pecuniæ extiterit monumentum, præter fontem in foro publico, cum fistulis plumbeis, turriculâ venustâ desuper fabricatâ. Et hæc est famigerata concordia, quæ nomen Pacis Clericorum accepit, & ab inde retinuit: quia exasperatus Clerus lege ibi scriptâ iniurioso populo fuit reconciliatus. Paciscentes ex vnâ parte fuere vterque Clerus, Primarius, & Secundarius, ex alterâ Magistri, Scabini, Iurati, Consilium, & Communitas Leodiensis, Principe, vt ad Paciscendum habiles & idonei forent, suam adhibente auctoritatem. Potissimus Concordati articulus, quo sublatum fuit quod vi gliscebat Vectigal, adactis hinc inde iuramento contrahentibus, & eorundem in perpetuum successoribus, ne illud vllo tempore iussum aut toleratum vellent, excepto, vt dixi, ad octodecim annos Cereuisiario, ad ratam octo denariorum Leodiensium in singulas hamas. In firmius Reciprocæ adiurationis robur supplicatum Episcopo vt decerneret excommunicationis pœnam per contrauentorem quemcunque incurrendam. Fluxa interim fuit fides: quid enim Populo inconstantius sub vmbra cuiusdam

dam libertatis luxuriante, aut aliquo colore lucri affulgente? Nam sub Adolpho de Waldege anno 1302. declinante iam præscriptorum octodecim annorum termino, subornantibus Scabinis (vt nonnunquàm inde nascuntur iniuriæ, vnde iustitiam profluere oporteret) adolescentes quidam discoli, vnicolore vestitu, quo se internoscent, qui se Pueros de Francia nuncupabant, è cunctis mercibus & vænalibus rebus tributum exegerunt: sed in irritum cessit conatus, Scabinis, operâ maximè Cleri Primarij, ad regulam reductis. Neque ad iactatam immunitatem & exemptionem subseruiũt duæ apochæ aut declarationes, vna Henrici de Geldria anno 1249. qua agnoscit quod nihil iuris habeat ad exigendum tributa & vectigalia vlla, quocunque nomine censeantur: altera Adolphi de Marka 1332. fatentis pecuniariam summam ex parte vtriusque Cleri, Nobilium, Ciuitatis & Patriæ Leodiensis, id est vno verbo, trium Ordinum ipsi donatam, esse gratiosam, intuitu necessitatis factam, nec trahi in consequentiam debere. Quid enim magnum fecit Henricus, fatendo non esse ipsi ius imponendorum per se tributorum? cum quilibet Princeps Imperij Regalia eiusmodi non habeat, nisi à Cæsare concedantur, neque habita exerceat per facti viam citra pertentatum suorum Ordinum consensum; ciuiliter & vrbanè agere, quàm prædurè malens. Maturo iudicio & lento gradu in hac materia procedi solet: in tantum vt ex Imperiali constitutione anno 1576. Ratisbonæ promulgata vltrà Imperatoris consensum, hodie Electorum voluntas inquiratur & interponatur. Motum verò tunc temporis Henricum subodoror fuisse

flagitationibus & querimoniis Ecclesiasticorum, ægerrimè ferentium eum Ciuitatensibus ad notabilem pecuniæ summam & rebellionis causâ mulctatis, vt esset vnde ea corraderetur, permisisse impositionem Tributi (Malotoutam apellabant) super vænalitiis, ob quam rem anxij, & non fictè dolentes, Organa in omnibus Ecclesiis deposuerant, vetito etiam ne defunctorum corpora in cæmiteriis, & sacris locis inhumarentur. Meminerunt proinde Historici pauco tempore Malotoutam durasse, & nummos inde contractos Henrico numeratos in turris Walburgensis constructionem cessisse. Adolphi declaratio minùs facere potest. Si namque pecunia fuit ei gratuitò, & merè liberaliter donata, quid eum remoraretur quo minùs munus esse munus agnosceret, & liberalem donationem, damnosæ non futuram consequentiæ. Suspicor autem ex parte Ciuitatis non fuisse donatiuum, sed realis debiti exsolutionem. Præcesserant immediatè binæ Paces, vna eaque prior de Floenne 1. Iunij 1330, posterior de Geneffe & de Wottemme 10. Iulij 1331, & ex vtraque pecuniarium pactum, specificè ex pace de Floenne Ciuitatensibus per Arbitros ad quinquaginta & septem millia librarum in damnorum illatorum reparationem condemnatis. Non valentibus eam summam pendere, tota Patria subuenerit: cuius respectu gratia erat, quod Ciuitatis respectu erat debitum. Non insisto tamen, sed in medio relinquo. Húc nunc oratio nostra redit. Pace aut fœdere Clericorum nihil ciuibus additum, sed vsurpatoribus ademptum: & nullam exemptionem agnitam, sed abusus sublatos. Præsectam prauis corruptelis radicem

radicem, lata lege ne cui liceret impoſterùm vectigal vllum innouare, niſi ſcilicet authore Principe aut de Ordinum conſenſu. Quid miri? cum in omni actu intelligatur ſemper excepta & reſeruata authoritas ſuperioris. Et Ciuitas ipſa per tertiũ articulum pacti de Geneffe non obſcurè teſtetur poſſe cum Principis autoritate conſentire in Tributorum impoſitionem, dum eam facultatem abſtrahit à Magiſtratu & Conſilio Ciuico, Tribubus Operarum attribuens. Et pertriti iuris ſit, Quæ mutuo ſunt conuenta conſenſu, mutuo poſſe diſſolui. Nullus itaque immunitatis prætextus à Pace Clericali ciuibus deſumi poteſt, per quam Clericorum indemnitati duntaxat eſt conſultum. Illorum ſcelus & inaudita oppreſſio huic Paci cauſam dedit, vt Clerici in priſcam & natiuam aſſererentur libertatem. Nec alio argumento Oppidani exemptionem ſunt inde aſſecuti, quàm quo prædones & graſſatores rude donatos diceremus, cauto per loci Magiſtratum, ne deinceps prædari & graſſari impunè eſſet. Quod in viatorum gratiam & itinerum ſecuritatem ſanciretur, in latrunculorum odium & pœnam. Ab illa Pace quoties indicta & nullo impedimento exacta tributa? Adhuc hodie continuato Principis permiſſu Gabellæ vini, cereuiſiæ, hullarum & pannorum penduntur, quarum initium noſtram antecedit memoriam. Et olim longo poſt eam Pacem interuallo rerum quaſi omnium indictionem habebat Princeps, non abnuente Ciuitate, cuius aliquod exemplum ſub Ludouico Borbonio legimus extitiſſe. Vix continear quin immunificos Immunitatum harum iactatores interpellem. A quibus Muneribus, Imperiali-

bus, Circularibus, an Prouincialibus eximãtur? A Prioribus, quo iure aut pacto? Cum eo ipso quo sunt Imperio subiecti, & Circuli pars Westphalici, onera subditorum nec possint, nec debeant effugere, & tanquàm membra ad corporis & publicæ salutis salutem contribuere. An magis à Prouincialibus, quæ vnà cum prioribus, ipsimet Trifundiarij Domini, Cathedralis Ecclesiæ scilicet Prælati & Canonici, vltrò cum tota Nobilitate, causa subsistente, subeunt? Ergonè si offerretur eiusmodi exemptio, oblatam acceptarent? Propriæ salutis parùm amantes & honoris incurij futuri. An Romanis orbis Dominis, & acerrimis libertatum vindicibus liberiores esse vellent? Fundato latè Imperio, Prouinciæ equidem tributis ingentibus grauabantur, sed non ideò Romani prorsùs expertes. Legisse videor quod M. Liuius, & C. Claudius Censores vectigal nouum ex annona Salinaria statuerint, & Liuio cognomen Salinatoris inde inditum, quod eum id genus vectigalis commentum populus crederet, & in precio salis maximè eæ Tribus onerarentur, quarum operâ quondàm fuerat damnatus. Quod si Leodij id tributum renouaretur (pridem enim in vsu fuit) parùm verè vsurpare possent Vociferatores soliti, antiquum Plebei hominis dictum, Eodem precio sal mihi perhibetur ac tibi. Qui si æuo L. Papyrij Cursoris viuerent, & onerum postularent remissionem, tale quid referrent, quod Equites ab eo ausi petere, vt sibi pro re bene gesta laboris aliquid laxaret; quibus ille, Ne nihil remissum dicatis, remitto, inquit, Ne vtique dorsum demulceatis, cum ex equis descendetis. De genere Prouincialium sunt indictiones

quæ

quæ in Arcium & Stationum munitiones, & Præsidiariorum stipendia imponuntur. Quid in hac specie Romani egerint, attendant. Postquàm Senatus decreuit, vt stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset, & Tribuni plebis in aduersum edixissent auxilio se futuros ijs qui tributum non contulissent, Patres primi æs graue plaustris (quia nondùm argentum signatum erat) in ærarium conuexerunt, primores deinde Plebis, ac nouissimè plebs tota certatim. Capitolio à Gallis obsesso, Romanis fame vrgente ad deditionem compulsis pacta mille pondo auri matronæ è priuato cultu & mundo muliebri corrosa lubentes subministrarunt: vt ob id non immeritò honos iis decretus sit, vt earum, sicut virorum, solemnis laudatio esset.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

De Priuilegio Philippi Romanorum Regis, quod Philippinam vulgò nuncupant.

AVream Fortunæ statuam Imperatores pagani in secretioribus Penatibus aut Larario olim asseruabant, quæ à prædecessore, si vis aberat, in successorem transibat. Eam Cocceius Nerua Traiano adoptato missse traditur cum hoc versu *Telis Phabe tuis lachrymas vlciscere nostras.* Philippina esset Leodiensibus quoddam Palladium, sed cum inuitâ Mineruâ, & non è Iouis cerebro prodierit, fortunæ litatum maluerunt, & pro aureo

aureo illius simulacro colere. Priuilegiis gaudent, quantum gens vlla: at cuncta fastidiunt, præ hoc vno. Riuulos alia æstimant, hoc fontem: aut si illa fluuios, hoc oceanum, è quo exeunt, & redeunt cætera. De quo disputare apud plebem, vix minùs capitale, quàm alibi de Alchorano. Circumfertur vtroque & vernaculo & Latino sermone copia Rescripti sub nomine Philippi Secundi Romanorum Regis Duræ 3. mensis Iunij 1208. dati. Substantia integra est, Quod attenta fidelitate & deuotione, quam Leodienses erga Sacrum Imperium gerunt, Philippus Rex plenè agnoscit Consuetudines, Franchisias & omnia iura quæ piæ memoriæ Albertus Episcopus Leodiensis ipsis concessit, facto præcepto vt in perpetuum obseruentur. Et articulatim iura aut priuilegia per Albertum concessa inseruntur. Inter quæ illud est, Quod Ciues Leodienses non obligentur ad talliam, scotum, hospitationem, & militiam. Vnde exemptionem à Vectigali sub Talliæ nomine ex tunc sibi arrogant. Bonâ veniâ, turpiter falluntur. Inserta priuilegia, quæ Philippus probat aut agnoscit, enuntiantur concessa ab Alberto Episcopo: enuntiatiuis de facto alieno propter sinistram sæpenumerò suggestionem, verbis, ni aliunde constet, non creditur. Proferendum proinde primò foret exemplar Alberti Antistitis, & constate de relato, vt fides haberetur referenti Quo prolato, narratiua ipsa nullitatem Diplomatis reuelabit, dum concessor Albertus præsupponitur mortuus. Et reuera iam octennio integro viuere desierat, sub finem anni 1199, aut principium anni 1200, vita functus. Si obierat, perierant cum eò conceptæ gratiæ, & meditata

meditata priuilegia. Quia mors omnia soluit: & voluntas, & gratia morte extinguuntur. Adhæc, confirmatio priuilegiorum quæ non sunt, nullius est momenti: & regulariter confirmans quippiam, nihil noui tribuit: etiamsi sit Pontifex aut Imperator. Quo fit, iuxta Doctorum traditionem, vt innouationes priuilegiorum vix alium operentur fructum, quàm alicuius præcellentiæ: quòd pluris fiat quod specialiter promittitur, quàm quod genericè concluditur. Et in illorum confirmationibus subaudiatur clausula, Saluo cuiuslibet iure, licet non reperiretur expressa. Præcipuè quando non fuêre vocati interesse habentes. Sicuti ad eam approbationem, neque vocatus fuit Hugo de Petra Ponte successor, nec Capitulum Cathedrale, imò mortalium nemo. Vocationem eam ad actus validitatem fuisse necessariam haut est ambigendum. Nam Episcopus, quem illi non nisi vsufructuarium agnoscunt, nequit subditis suis priuilegia annuere in Ecclesiæ suæ præiudicium, & per eum concessa durant quamdiu durat, eo cadente labuntur. Capituli tractatus & consensus in alienationibus aut diminutionibus iurium Ecclesiasticorum requiritur, imò & Pontificis authoritas. Suspicione deinde non parùm laborat subreptionis & circumuentionis, quod mors Alberti concessoris sit exspectata, & clàm inscio successore confirmatio hæc apud absentem Regem, qui de iuribus Ciuitatis per distantiam informari non poterat, sollicitata. Quam suspicionem auget notoria incompetentia confirmantis, quòad nonnullos articulos, & in specie duos. Veluti quod Ciues Leodienses non poterunt nisi in casu certo & per determi-

natum iudicem sententiâ excommunicationis innodari: Item quod puerperæ in purificatione sua tenebuntur venire ad Ecclesiam cum cereo, & munus suum offerre ad altare. Duæ illæ quæstiones sunt Ecclesiastici fori: quarum notio, decisio, & desuper ferenda ordinatio ad Præsules Ecclesiasticos spectare dignoscitur. Tum, si de summis mundi apicibus reuerenter aliquid licet pro iuris sui defensione effari, eò confidentius ex aula Philippi Regis, quàm Ottonis, inter quos de Imperio erat certamen, subrepticiam hanc confirmationem procurarunt, quod Albertus Priuilegiorum author Philippo fortiter adhæserat, nullis conditionibus ad Ottonis partes pertractus. Vbi notandum prætereà venit, quod confirmatoriæ hæ literæ non dicantur per Philippum subscriptæ, sed de mandato solùm scriptæ & sigillatæ. Neque affirmare ausim de illarum tempore Philippum fuisse Duræ, imò vixisse, cum eodem anno & mense scribatur Bambergæ occisus. Istud propius vero & certius est, quod Romanus Pontifex Ecclesiastico excommunicationis telo eum percusserat, intrusumque & vsurpatorem declarauerat, Ottonem autem verum & legitimum Regem. Vtque à viuente & legitimo Rege processissent, non ideo Priuilegium Imperiale aut Philippi Regis essent: cum qui confirmat, nihil det, & Priuilegium confirmatum, non sit confirmantis, sed eius qui illud dedit. Alberti itaque tantùm, & non alterius superioris esset. Et eo in puncto, ad rectam amussim examinatum, non solidat gloriolam exemptionis. Leodienses non debere talliam tunc temporis, non fuisset, esse exemptos à cunctis Vectigalibus & Tributis,

vt inde cogitant inferre, sed non esse homines manus mortuæ, seu non talliabiles. Quia honorificus erat titulus ciuis, quem decebat esse ingenuum nulla seruili labe inquinatum. Ex alijs eiusdem Priuilegij articulis filum Ariadnæum arripio, quo ex hoc egrediar labirintho. Tertius & quartus articuli disponunt de mancipiis vtriusque sexus, deque illorum peculiis, & quod si seruæ habeant liberos, partus ventrem sequatur, vernæ heris, cum matribus acquirantur. Ingenui ciues opponuntur illic seruis, id est hominibus talliabilibus, dicunturque ratione Ingenuitatis non debere talliam. Nam veram & rigorosam mancipiorum & seruorum speciem inter Christianos, in ditione præsertim Ecclesiastica, vsque ad id æui permansisse, minimè sentio. Quamuis reliquiæ fuerint duræ & barbaræ illius seruitutis, quâ homines bello capti aut precio empti Dominis vitæ necisq; ius habentibus suberant. Tallia insuper non comprehendit Vectigalia & Tributa quæcunque, vt talliæ immunitas tributorum omnium immunitatem secum trahat. Sed species est tantùm impositionis personalis viritim in capita competentis. Ad instar Capitationis, quę apud antiquos non indicebatur ingenuis, sed bello captis, aut domitis gentibus. Quare inter Christianos hodie rarissimus aut nullus est Capitationis vsus. Solus Turcarum Imperator immanissimus tyrannus eam in subditos & vectigales exercet. Ad exactiorem puncti huius intellectum iuuat prænosse, homines, qui sunt conditionatæ seruitutis (qui pari ratione conditionatæ libertatis dici queunt, quod sicut liberi sunt, seruilibus tamen operis & oneribus obnoxij, ita cum

ſeruilis ſint conditionis, ſuo tamen corpore liberi ſunt non ſerui) quoſdam eſſe glebæ adſcriptos, quoſdam Talliabiles & manus mortuæ homines. Adſcriptitij, ſeu glebę adſcripti reputantur quid immobile, & pars fundi in terra in qua naſcuntur. Nam nequeunt renuntiare glebæ, ſeu bonis quæ à loci Domino obtinent. Talliabiles, & manus mortuæ homines ſæpè pro ijſdem vſurpantur, neque tantâ ſeruitute premuntur, quantâ adſcriptitij, quia licet illis à gleba, & bonis quæ à Domino acceperunt recedere, & ijs derelictis ac dimiſſis plenâ potiri libertate. Talliabiles apellantur, quia Dominus poteſt ſuos illos conditionatæ ſeruitutis ſubditos pro arbitrio talliare, id eſt ijs collectam ſeu talliam arbitrariam imponere. Hos Chaſſanæus, qui ad Conſuetudines Burgundiæ, in plurimis cum Conſuetudine Principatus Leodienſis conuenientibus, ſcripſit, in duas ſpecies diſtinguit. Vt alij ſint ſeorsim & ſimpliciter Talliabiles ad voluntatem Domini, alij Abommati dicantur: nempe quando omnes vnius pagi incolæ ſunt illius conditionis, & ratione ſeruitutis debent Domino certam determinatamque ſummam, quam Talliam Abommatam vocant. Manus mortuæ, & Talliæ homines non poſſunt eius conditionis bona alienare, nec de bonis in loco quæſitis ſine Domini conſenſu teſtari, qui eis ſine ſocijs & liberis eiuſdem conditionis decedentibus inteſtatò ſuccedit. Tenentur autem ſeruilem hanc conditionem recognoſcere: quod verè & propriè loquendo eſt homagium facere: ſcilicet ſe hominem alterius recognoſcere, & ſubiectum iure ſeruitutis perſonalis, quæ diuerſimodè in pluribus iuribus conſiſtit,

pro

pro more regionis. Homagium verbum est barbarum toto iure Ciuili incognitum, imò etiam posteriori tempore Compilationis Libri vsuum feudorum: posteà tamen moribus quorundam irrepsit, & à iure Canonico, sermonis improprietate tractum ad Recognitiones feudorum, quas vulgò homagia dicunt. Quod in Italia & alibi vocatur vasallagium, vt inquit Baldus, in Francia dicitur Homagium. A loco igitur Talliæ & manus mortuæ seruitutes, etsi personales, deriuantur: quæ excutiuntur dum Talliabiles locum deserunt, induuntur autem & acquiruntur per incolatum. Quia si homo liber, in locum manus mortuæ diuertat, & ibi sedem, domiciliumque mansurus figat, efficitur homo manus mortuæ. Quid si homo manus mortuæ vnius Domini, in vxorem duxerit mulierem manus mortuæ alterius Domini, vtrius Domini homines futuræ sint proles nascituræ, quæsitum est, & an non, sicut quando homo manus mortuæ generat filium in fœmina libera, qui nascitur fit liber, quòd partus ventrem sequatur, ita nati ex vxore manus mortuæ, non sint homines Domini mulieris? Nimio virorum nobilium sanguine similis quæstio ante annos trecentos in Leodiensi Patria constitit inter duodecim Equestres familias, anno tandem 1335. per delectos arbitratores consopita, vnde Pax duodecim Prosapiarum nuncupata. Ex præmissis ediscimus, quod dum Leodienses magno beneficio duxerunt Albertum Episcopum declarasse quod Ciues Leodienses non deberent Talliam, id beneficium fuerit, Ciues non esse Talliabiles & manus mortuæ homines. Licet namq; plures essent vtriusque sexus in Ciuitate serui, seu

Conditionatæ, vt superiùs tetigi, seruitutis, lubens tamen crediderim seruos eiusmodi non fuisse Ciuitate donatos. Ius Ciuicum non erat tunc promiscuum, nec quod per colluuiem sordidissimorum hominum à propriis sedibus, propter scelera sua aliquandò, elabentium, temerè pollueretur. Eâdem ratione consequitur quod Talliæ immunitas nihil conferat, nec inferat ad Immunitatem verorum Vectigalium, quæ sunt vera Regalia, quibus ne Principali quidem supremâ authoritate, Rescripto subditi exempti censentur, nisi Rescriptum ex certa scientia emanauerit, iuxta communem & receptam feudistarum sententiam. Denique non est quod Philippinam, aut Albertinam potiùs, incunctantèr immurmurent in libertatis gesticulationem, quam non inusu modò sed contrario vsu haut multò post, & crebriùs postmodùm proscripserunt: dum sua authoritate Conciues, & quod deterius, Ecclesiasticos pro libidine tributis suis oppressérunt. Quod si donatus aliquo Priuilegio perdit illud, si longo tempore vti desierit, quanto magis si abutatur, & contrarios agat actus. Nec enim lex æquior vlla est, quàm, quod quisque in alios statuit, vt eodem iure vtatur.

CAPVT

CAPVT DECIMVM-OCTAVVM.

De Alberto Episcopo huius Priuilegij Authore.

OBscurum iis esse tanti beneficij authorem, aut oscitantiæ, aut magnæ ingratitudinis est nota. Variant sententijs inter se, dum quidam Albertum primum, alij Albertum secundum in Philippina denotari existimant. Non patiar errorem diuturniorem, nec vt iniurij deinceps sint Sancto Alberto eius nominis primo Episcopo. Ille equidem non potuit fuisse Priuilegij largitor. De quo, eheu, sicut de Marcello puero, Augusti nepote vates, Lachrymosum illud ceciniſſe videtur

Ostendent tantùm terris hunc fata, nec vltrà
Esse sinent

Inuenis erat viginti quinque annorum, nobilissimus, Ducis Louanienſis (sic Historicus loquitur) filius, & Ducis Lotharingiæ frater: idemque formosissimus, modestissimus, doctissimus, & religiosissimus. Quot & quàm Heroicæ virtutes? Clerus eum voce vnanimi in Episcopum elegit, gratulante omni nobilitate, & populo applaudente. Solus Imperator Henricus obstitit, intruso Lothario quodam simoniaco. Vnde Sanctissimus Princeps Romam prouocauit, quò, obsessis vbique itineribus, famuli & vilis equisonis habitu perrexit, Pontifici se obtulit, à quo humanissimè & paterno affectu fuit exceptus: & coram eodem, purpuratisque Patribus magna

magna cum facundia perorauit, electione statim confirmatâ, & galero Cardinalitio redimitus, annulo aureo & duabus magni precij Mitris (quarum altera Abbati Lobiensi, pro quo supplicauerat destinata) donatus, per diuerticula ignotus Belgium repetiit, & Archiepiscopo Colonienſi Commissariorum Apostolicorum vno, propter Henrici Imperatoris minas, consecrationem differente, ad alterum, Archiepiscopum nempe Rhemensem se contulit, à quo dignitate Sacerdotali, & Episcopali iuxtà Apostolicam Commissionem fuit initiatus. Submissi tres nefarij percussores, & sensim exilij simulatione in amicitiam insinuati, specie deambulationis Rhemorum mœnibus egressum non procul à porta vrbis, incautum & securum confoderunt anno 1191. in Nouembri. Corpus Sancti Martyris sericis inuolutum pannis, & Pontificalibus exornatum indumentis in Ecclesiam Rhemensem publico luctu delatum, plurimis mox claruit miraculis. Intruso & sceleſtissimis percussoribus non cessit impune. Et ipsi Imperatori de cæde à sicariis perpetratâ perdolitum: qui ideo in Ecclesia Cathedrali Leodiensi, duo altaria duoque beneficia perpetua fundauit, quorum rectores in hunc diem Capellani Imperiales nuncupantur. Quo notum fit, Alberto primo non posse iactitatum Priuilegium attribui, cum à confirmatione & consecratione nunquam Leodium introiuerit, nec in Hubertina Cathedra sederit: sed Lotharius Leodij vsque ad Diui nostri Alberti Martyrium egerit, lupus deuorans ouile. Et qui pro Ecclesiæ suæ defensione tot periculis expositus nullos effugit labores, & ad postremùm parricidiali mucrone occubuit,

iura

iura eiusdem Ecclesiæ per illaudabilem Priuilegiorum profusionem non temerasset. Sancto Alberto cælis recepto, & Lothario primùm profugo, & dein breui miserrimè mortuo, discordibus eligentium votis Simon Ducis Arduennæ filius, & Albertus de Cuicke seu Cuckius competitores causam suam vtrìmque acturi Romam contendunt. Simonem Papa Cardinalem dixit, paucis ab inde diebus aëris intemperie sublatum. Albertus Cuckius à competitore vacuus Leodiensi Ecclesiæ præest. Moritur intereà Henricus Imperator anno Domini 1197. Friderico filio impubere relicto. Otto & Philippus vt suprà suggessi, Principibus Electoribus in studia diuersa scissis, de diademate pluribus annis disceptarunt, Episcopo Alberto secundo Philippi partes velut aras & focos tuënte. Constantiam an contumaciam dicam? hanc, vel illam pro fautorum affectu. Ottonem Nobili apparatu Leodium aduenientem, non solum non obuiis occursibus consalutauit, aut excepit; verùm etiam horrendo edicto ciuibus interdixit ne quid crudum aut coctum ipsi & Comitatui vænale proponerent. Quâ illiberali & inhumanâ edictione Rex offensus & coäctus, in Germaniam retrocessit, certus vlcisci: & non multò post sibi præmetuens Episcopus multa celeritate Leodio egressus, in castrum Hoyense, subito fulmine penè extinctus, aliquibus ciuibus eo ponè pedes suos exanimatis, se recepit. Historia custos temporum, & morum vniuscuiusque Iudex spurcis coloribus illum depingit. Laicis Ecclesiam Collectis & Tributis grauantibus fauisse, nullum Episcoporum tot Priuilegia Ciuitati cõcessisse, quàm hunc, qui est author

ampliſſimorum Priuilegiorum à Philippo confirmatorum. Fœdum enimuerò adfert Epitaphium ab anonymo Clerico compoſitum, quod non referrem (mortuorum manes non laceſſens, memor vnius legis duodecim tabularum, Defuncti iniuriâ non afficiuntor) niſi occaſione præſentis diſputationis, quâ Author eiuſmodi Priuilegiorum, falsò Regi Romano adſcriptorum, inquiritur. Eſt autem tale, incultum pro inculto æuo.

Hoc in ſarcofago cunctorum dira vorago
Clauditur Albertus, Giezi dum vixit apertus.

Vt non ſubeat mirari, cur occultato indigno authore laborent Leodienſes Regem aliquem in Priuilegiorum parentem inuocare. Græcorum illorum exemplo, qui ſpecioſum improbi cuiuſdam conſilium non ab authore, ſed ab alio probo ciue voluerunt in concione proponi. Nec eſt quod ad cæmentatas fictiones recurratur contorto orationis textu & ſenſu, quaſi dum in Philippinâ dicitur, quod Albertus ea Priuilegia conceſſerit, non intelligatur primus dediſſe & conceſſiſſe, ſed antiquitùs data renouaſſe. In vtrâque linguâ, vernaculâ & Latinâ, enuntiatur clarè quod Albertus illa dederit: in claris nō eſt locus coniecturæ. Et Scriptores apertè citra ambagem fatentur eum Authorem. Philippinæ verba ſunt, Ad fidelium noſtrorum Leodienſium Ciuium quam erga nos & Imperium habent fidem ac deuotionem reſpicientes (vbi tranſcurſim Fidei vocem annota, quæ non eſt, niſi ſubditorum erga Imperium) Conſuetudines, Libertates, & Iura vniuerſa, quæ piæ memoriæ Albertus Leodienſis Epiſcopus ipſis Ciuibus contulit,

ſicut

ſicut inferiùs notata ſunt, plenè eis recognoſcimus. Si Albertus Epiſcopus iura illic notata, è quorum numerō eſt Talliam non debere, contulit, illa igitur ante eius collationem Ciues non habebant, iuxta vulgatam iuris regulam, Id quod iam noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri non poſſe. Quantillum Philippinæ huic deferendum ſit palàm nunc eſt. Epiſcopus Albertus inſertorum Priuilegiorum immediatus author reprobatur, & parùm iis Legibus creditur, quarum authores repelluntur. Et Philippus qui confirmaſſe traditur, multas ante enumeratas exceptiones hoc in confirmationis articulo patitur. Scio quid tacitus ſecum ruminet & intra labia volutet obiector. Succeſſores Cæſares & Romanorum Reges Philippinam & quod in ea continetur approbaſſe. Verùm per eam approbationem in forma communi, præſertìm factam, quod inualidum erat, non fuit conualidatum, quia Confirmatio nihil noui iuris tribuit. Tiberius quidem beneficia à ſuperioribus conceſſa Principibus rata haberi inſtituit ſi eadem ſequentes dediſſent, quaſi concedentium morte intermorerentur; Titus beneficentiſſimus, qui querebatur perdere diem quo nihil cuiquam præſtitiſſet, præterita omnia priuilegia & beneficia prædeceſſorum ſponte & non rogatus vno confirmauit edicto. Vtique quòd deceat beneficia Principum eſſe æterna: ſucceſſoreſque proinde longè facilius data confirment, quàm de nouo donent. De fabuloſis ſuis Diis cæca gentilitas concinebat, quod alij Cælites alterius Dei acta non modò non reſcinderent, ſed nec reſcindere poſſent.

CAPVT DECIMVM-NONVM.

Factiosos Leodij vt plurimùm à Tributis & Collectis arripere occasionem Seditionum.

HOminum sunt vicia non temporum: nulla ætas vacauit à culpâ. Omni sæculo quotquot ferè sunt aduersus Rempublicam Machinati in limine ad superficiem, hostilem erga Tributa vultum gesserunt. Duplici fine: & vt mobilem plebis auram aucuparentur, & compaginem artuum bene formatę Politiæ ijs neruis detractis dissoluerent. Vt subducto firmi regiminis fundamento ædificij molem concuterent. Vectigalia tam sunt Reipublicæ necessaria, in bello maximè, quàm alimenta corpori. Vt meritò Tacitus, Neque quies Gentium sine armis, neque arma sine stipendijs, neque stipendia sine tributis haberi queunt. In turbas & discordias pessimo cuique plurima vis, pax & quies bonis artibus indigent. Quantilli iudicij fuerit vir probus sat intelliget publicarum subsidia pecuniarum esse Amalthæum cornu, quo status fælicitas retineri possit. Improbus idem callet, & quia cum Nerone ex altâ speculâ Patriæ suæ conflagratione oblectatur, incendium accelerat remoto hoc fonte, qui illud restingueret. Sacras Literas inuise. Ieroboämus Salomone Rege extincto populum impulit vt apud filium Regni hæredem premeret tributorum immunitionem, dum non impetrasset, seditionis dux & concitator decem Israëlitarum

Tribus

Tribus à Dauidis stirpe auulsit. Dionysius Iunior Siciliæ tyrannus in auspicijs dominationis, vltra quod tria millia nexorum ob æs alienum soluit, tributa populo per triennium remisit, mox resumpturus ingenium quod paulisper sepposuerat, ciues omnes fortunis, pleroſque vitâ nudaturus. Regum etiam Romæ exactores vt illorum memoriam Ciuibus ingratiorem dulcedine libertatis facerent, tributa sub Regibus instituta sustulerunt, subeunte tamen non procul pœnitentia, cum, qui ante in militiam aliquid è publico accipiebant, equites quidem ad equos emendos dena millia æris, & ijs alendis alia bina millia à ditioribus viduis Seruij Tullij præscripto, postmodùm coacti sunt suo merere sumptu. Quod tandem confecto Sabinorum bello correxit Fabius tribus collegis assentientibus (Tribuni erant militares cum potestate Consulari) lato per Senatum Decreto vt stipendium miles de publico acciperet. Iulius Cæsar statum deinde rursùm mutaturus, agros publicos ad subsidia Reipublicæ vectigales relictos viginti millibus Ciuium, quibus terni pluresve liberi essent, extra sortem diuisit; & publicanos remissionem petentes tertiâ mercedum parte releuauit. Nero voluit cuncta supprimere vectigalia. Sed à Senatu vt ante dixi, fuit retentus. Grauiora nihilominùs aut aboleuit aut minuit, si Suetonio credimus. Ergóne (conuiciator inquiet) vituperandi qui ab eiusmodi oneribus & impositionibus abstinent? Fælicitatis est, non arbitrij nonnunquàm, abstinere. Adriano laudi vertitur quod vbi Romam venit, continuò per edictum condonauit omnia debita siue ea ad Principem siue ad ærarium pertinerent,

nerent. Et Neruæ, quòd ad sustinendam ciuium vitam decies & quinquagesies centena millia nummûm erogauit, & pecuniæ inops factus, preciosam supellectilem, agros & ingentes domos vendidit, admodùm necessarijs solùm reseruatis. Marco Antonino Philosopho, quod vectigalia, vbi necessitas nõ cogebat, remisit. Alexandro Mammææ filio, quod tributa aureorũ decem in semissem, & postea in tremissem contraxit. Nec sum qui Annibalis factum reprehendere possim. Qui à Scipione debellatus & perdomitâ in eo Carthagine, feriatus à bello, Pacis artibus intẽtus Præturam gerens, vt graue tributum quod Senatus Carthaginiensis de nouo imponebat impediret, quanta terrestria maritimaque Vectigalia essent supputauit, quidque ordinarij eorum Reipublicæ vsus consumerent & quantum peculatus auerteret, eoque peracto omnibus residuis pecunijs exactis tributo priuatis remisso, satis locupletem Rempublicam fore ad Vectigal præstandum Romanis pronuntiauit in Concione & præstitit promissum. At in hoc nunc incumbo, quòd parùm pium sit dëesse communi Patriæ saluti, quæ in angustiis aut periculo existens publicis est iuuanda sumptibus. Quis autem alius quàm Patriæ parens seu Princeps pro occurrentibus, & sibi potissimum notis necessitatibus, illorum debet esse mediator & dispensator? Factiosi Leodiensium, vt tributorum ansam pro fatali vt plurimum mucrone arripuerunt: sic modò cæsim, modò punctim vsi sunt. Interdùm suâ sponte irrequisito Principe exegerunt & inuitum Clerum onerarũt. Ausi postmodùm Comitia publica trium Ordinum perpetuâ verborum, & aliquando minarum

conflictatione facere irrita, & dissoluere decreta. Tabificum vtrumque venenum. Proximè indicaui quod sub Alberto secundo prætextu murorum & aggerum restaurandorum Gabellas à Clericis petierint, & abnuentes in carcerem coniecerint. Temporibus Ioannis de Geldria, instigatore Henrico de Dionanto (cuius non semel abominanda recurret memoria) Cereuisiarum vectigal abolitum in nouum quinquennium Principe & Capitulo repugnantibus statuerunt; vnde Princeps exarcerbatus, cum toto Clero (pauciſſimis seditioni fauentibus exceptis) ab Vrbe discessit, mox iustis armis ius suum repetiturus. Proscriptus Henricus cum asseclis, domo quam ex ruinis & ruderibus aliarum destructarum exstruxerat, à fundamentis excisâ, & ex vnâ illius trabe socieno, qui ex fuga retrahi potuerat, longam litteram signante. Pax Clericalis an non ab intestino eapropter exorto dissidio ortum suum habet? Vt vsu probatum est, leges egregias ex delictis aliorum gigni. Potentiorum peruicacia merces & alia vænalia grauauerat, Ioanne Guidonis Episcopo, Cleroque obnitentibus, & multis etiam de populo reclamantibus: quâ ex causâ non leuiter offensus Princeps comitante Clero Hoyum abiit, vbi propè biennio sunt commorati. Adolphus de Waldege anno 1302. non absimile monopolium vidit, sed non tulit: dum ipsis Scabinis authoribus audacula iuuentus percipere vænalitium tributum de facto tentauit: repressa, repressis authoribus. Si virtus & fortitudo bellica Principis deterrere immorigeros potuisset, Adolphũ de Marcka successorem vereri debuissent. Nullis nequitia frænis regitur. Anno 1327.

Sacra-

Sacramentorum, quibus iuxta Clericale fœdus & recens Pactum de Fexhe omnes deuincti erant, pessumdatores, Gabellam (quæ vulgariter firmitas dicebatur) super vino & sale vniuersaliter imposuerunt, Ecclesiasticos pendere detrectantes & apprehensos spoliarunt fortunis, in latitantes & fugitiuos (multi in veste Monasticâ insidiatores fefellerant) barbaro per præconem recitato edicto, vt perscrutator & persecutor, detecto & apprehenso vti pro mancipio, & eius bonis vt proprijs posset. Ægrè tam horrendo facinori fidem tribuerem, nisi exemplar literarum, quas tunc temporis Clerus secundarius Hoij residens ad Romanum Pontificem scripsit, distinctè hæc & alia portentosa referret. Pudet, pigetque fæditatis, turpia commemorantem: breuior ero, quò minore chartam rubore suffundam. In alterum extremum quàm noxiè & atrociter peccant! Pridem frustranea propemodùm effecerunt Comitia, superuacuos Cleri, Nobilitatis, & vniuersæ Prouinciæ cætus, inutilem, quantùm in ipsis est, vigilantissimi Principis curam. Prouincia Leodiensis auri & argenti fodinis caret, exigui sunt prouentus publici, Ærarium, si quod habet, intra Vectigalium scrinium clausum esse oportet. De quibus imponendis dum deliberatur, alijs Ordinibus facile ad honesta assentientibus, Plebeius iste Leodiensis status velut alicuius remoræ aut torpedinis veneficio inquinatus, nullum audit ad sana hortantem, nullum sentit ad recta impellentem. Nunc Cleri infectatur libertates, & quem scit præpollere à Diuino iure Priuilegiis, prægrauare conatur oneribus, non cõæquasse contentus. Si in onera potabilium quæ minore sensu

dispen-

dispendioque subeuntur, Ordines propendent, libido est in diuersa ferri. Oblatratur; Ecclesiasticum nomen latifundia, nemora, agros, pascua, alia immobilia plurima, & opimum in censibus annuis patrimonium possidere, illùc proinde auertendas impositiones. Si quid mercibus imponendum proponitur, aut in tenuiorum leuamen, serica, holoserica, fimbriæ deauratæ & argentatæ, & pleraque id genus ab honestioribus gestari solita præferuntur, vel palàm obstant mercatores, vel insolentior aliquis è plebe clàm inductus strepitum excitat. De focis & caminis vbi sermo incidit, gens Vulcania fabrorum ad fornacem perennè excubans focos suos vetat comprehendi. Exiguum molendo frumento qui irrogandum primoribus labiis eloquetur, actutùm tanquàm proditor & deuorator egenæ plebeculæ audiet. Percurre omnes indictionum modos, si illorum vnus alicui Tribui arrideat, alia Tribus explodet. Miserrimam conditionem regiminis, & excæcatæ Cyclopum familiæ non absimilem, si pertinacia aliquot idiotarum, & subornatio factiosorum pro sententia & sententiæ ratione valet. Cæterùm non diffitear, sicut præ alijs commodior vberiorque est tributariæ Cereuisiæ modus, quod is potus communis omnis generis & ordinis Ciuibus, aduenæque & hospites in onere participent, & illius lucrosum sit cum aliquibus vicinis commercium: ita Coctorum Cereuisiariorum pessimis machinationibus impediri. Hi, tanquàm in velabro olearij, ex compacto inter compotores in tabernis suis seditionem ferentes, dum in Comitium ventum est, aucti subornatorum suffragiis, fora complent clamoribus, &

non rarò conuicia & minas aduersùs obsecundantes ingerunt. Et horum Braxatorum (sic vulgus Cereuisiarios illos apellat) vis eò est pestilentior, quod sese per omnes Tribus (intra vnicam Braxatoriam Tribum continendi) contra Patrias Leges effuderunt. Non est cur prisca accersam exempla: recentia & nimis frequentia ob oculos versantur. Sereniſſimi ERNESTI Principis, quo meliorem Sol non vidit, ipsa penè auspicia fuere per hoc genus hominum polluta. Anno 1581. quo fuit inauguratus, cum in æris alieni solutionem, quo Patria diuturnis vicinarum Prouinciarum attrita bellis vehementer obstringebatur, Clerus, Nobilitas, Oppidorum Magistratus, & ferè singula opificum Ministeria conueniſſent, vt duo stuferi in singula Cereuisiæ dolia, & octo ac viginti in singulas vini peregrini hamas imponerentur, receſſu Ordinum de more publicato, Coctores adunatis secùm fabris in forum aduolarunt, infandam, nisi occursum fuisset, concitaturi tempestatem. Quam, tunc sopitam, non paucis ab inde interiectis annis eodem Principe superstite, in ipso antiqui Capituli loco, vbi publicata Vectigalia auctioni solent exponi, renouarunt, non eâdem tamen quâ priùs impunitate. Nuperrima hìc prætereo; quæque ipse miserrima vidi, & quorum pars magna fui. Quibus modis Sereniſſimum FERDINANDVM nepotem, perfectiſſimum virtutum omnium exemplar, & Sereniſſimi MAXIMILIANI Bauariæ vtriusque Ducis, S. R. Imperij Septemviri fratrem Germanum fuêre ludificati? Chartæ Comitiales, & actorum publicorum Diaria plena sunt paternarum Clemẽtiſſimi Prudentiſſimique

Prin-

Principis curarum & ſollicitudinum erga Principatus ſui Leodienſis ſubditos, quas Veteratores pauci ſolitis decipularum ſuarum, creduliorem Vrbis Leodienſis plebeculam illaqueantium, artibus, maximo boni publici damno eluſerunt. Iliadem texere me oporteat, ſi cuncta enuntiare ſatagam; aliqua ſuperioribus cápitibus per tranſennam perculi, & dabitur locus poſterioribus libris latiùs differendi. Noui iſti Turrini fumorum Monopolæ plures vnâ ſagittas habuerunt. Quandoque enim ſepoſito ementitæ exemptionis iaculo, quod vti obtuſum & hebetatum non niſi cereos ſeditioni fauentium animos ingreditur, in Comitiis Ordinum, Procerum & prudentiſſimorũ virorum conſeſſu, oſtentare cauebant; ad ſpeciem probabant ſubuentiones publicas indicendas, cum tanta vis eſſet vrgentis euidenter neceſſitatis, vt confeſſionem ſui ab inuitis extorqueret. At in alios diuertebant ſaltus, eundem Plebis fauorem, ſi non furorem, alijs canibus venaturi. Retia duo potiſſima erant. Vnum, Quibus rebus imponeretur tributum in neceſſariorum nummorum corrogationem. Alterum; vt ſciſſio Vectigalium fieret, Collegia Eccleſiaſtica è ſuo corpore congruam partem penderent, Ordo Equeſtris ſuam etiam ſeorsìm conferret, & cæterarum Vrbium municipes viciſsìm & ſeparatìm ſuam: prouiſurum Magiſtratum Leodienſem de competente portione. Tertios & occultiores in ſinu geſtabant caſſes Vulcanij operis, ijs ſubtiliores, quibus Mars captus fingitur. Nimirùm Tribules, & fabros maximè, clàm præoccupatos, ad tumultuandum, vbi de Subuentionibus apud Tribus ageretur. Circa primum,

integri sæpè Consulatus absumebantur per contentiones artificiosè conquisitas, & ambitiosa aucupum istorum certamina. Quicquid alijs Ordinibus & Oppidanis placitum esset, cunctari primò, & tractâ deinde morâ inficiari, pernegare ad postremum. Sub vmbrâ semper Ixionææ alicuius nubis, quæ quasi alteram Iunonem, adulterinum aliquod Ciuitatis bonum repræsentaret. Citiùs candidam ceruam cursu cum Hercule comprehendisses, quàm effecisses vt è mille mediis propositis vnum complecterentur. Frustrà Diui Cæsares fulmina sua vibrarunt, vibrabuntque, vt subsidia Prouincialia à maioritate suffragiorum decreta effectum sortiantur: postquàm metu pœnarum erunt verbo assentiti, exterioribus exacti vallis, in arcem multò munitiorem se recipient, quæstionem scilicet mediorum, vnde ea concessa tributa depromentur. Paratos dicent subuenire, & morem Recessibus gerere, sed cum alijs Ordinibus & Oppidanis conueniendum concordandumque de modo conuentam summam conflandi. Tollendus igitur dolosi perfugij murus, & euitandus in profundo mari hic scopulus. Secundum pedicas & vincula multa inuoluendo nectit, & nectendo inuoluit. Præterquàm quòd secretionem ab alijs Oppidis, cum quibus confœderationes antiquas esse iactant, seriò non proponant, dolituri si arriperetur propositio, segetem æmulationis & confusionis proseminant, pedes capiti insultantes. Numero Ciuium & Incolarum valent, comestibilium proinde potabiliumque ampliores Leodij quàm in singulis Oppidis, quorum singula per se non sunt tam populosa, Tributorum quæstus futuros.

Nam

Nam quicquid dissimulent, probante experientiâ magistrâ rerum, sciunt obuias, vniuersales & insensibiles vectigalium species eas esse. Subindicant interim, minùs, quàm alibi inter alios Ordines & Oppidanos, Tribus Leodij grauandas, facta onerum partitione. Quàm improbo consilio? Neque enim pro numero locorum aut Vrbium onera personalia indicuntur, sed pro multitudine capitum, inter quæ diuiduntur debitâ proportione. Helluones, Erysichtonas, Apicios, & Nepotiantes par est, dum degluriunt, plus cauponæ soluere, quàm abstemios & quotidiano victu contentos. Si numerosiores alijs sunt Leodienses, maior illìc est numerus subditorum, qui Principi & Patriæ subseruire teneantur. Opilionem si interroges, quid referat magnum ouium gregem regere, agricolam spacioſos agros colere præ angustis, quia amplior est in ambobus fructus, inquient, sicut duplicatum laboris pondus.

CAPVT VIGESIMVM.

De Magistratu Ciuico, & Consulibus.

PRimoribus Comatæ Galliæ fœdera & Ciuitatem Romanam pridem assecutis ius adipiscendorum in vrbe Honorum expetentibus, cum Senatorũ multi auersarentur rem maioribus incognitam, Claudius Cæsar suasurus inter alia dixit, Omnia Patres Conscripti quæ nunc vetustissima creduntur, noua fuere: plebei Magistratus post patricios, Latini post plebeios, cæterarum

Italiæ gentium post Latinos: Inueteraſcet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. De Magiſtratu Ciuico Leodienſi qui poſt Iudicium Pacis, & Annuli Palatij, Scabinorum, Allodialium Iudicum & Officialis Curiæ ſpiritualis tribunalia multis poſteriùs ſæculis irrepſit & plebeis hodie inter exempla vſurpatur, cum Claudio candidè proloqui & nouitatis accuſare, morte piandum apud eos eſſet piaculum. Contemporaneum illum faciunt debellatori Regulorum Iulio: ſed eâdem operâ vno cum Ope Deorum Poëticorum matre partu editum dixerint. Coniecturæ certitudini cedunt, fabulæ veritati. Originem & cauſam inſtituti Conſulatus hiſtorici exponunt, & tempus ipſum, imò etiam primorum Conſulum nomina. Origo eſt pudenda, procul à Bruti faſcibus, quos Tarquinij Superbi violentiam, & inceſtuoſum filij adulterium vlturus aſſumpſit. Dominante Henrico de Gueldria illius nominis tertio Epiſcopo Scabini nimiâ potentiâ inſoleſcentes in libertates Cleri inſurrexerunt, & perrupto immunitatis Eccleſiaſticæ aſylo ſententiã in hominem priuatum iuris Eccleſiaſtici tulerunt, ob quem exceſſum, vltra reuocatam per Guilielmum Romanorum Regem ſententiam, Scabini fuere excommunicati & Ciuitas ſuppoſita interdicto. Sopitâ deinde 14. Kalend. Decembris 1253. per expiationem publicam diſcordiâ, mordacis conſcientiæ agitati ſtimulis Scabini, præmetuentes ne Princeps demolitione ædium (quæ frequens ſolitaque erat illo æuo mulcta) alijſque pœnis in eos animaduerteret, plebe in ſuas partes attractâ, præfecerunt Magiſtrum populo quendam Henricum de Dionanto,

nanto, virum eloquentem, sed factiosum & nihil non ausurum: Iureiurando prius adactum quod contra Principem, Ecclesiasticos & quoscunque tueretur iura & Priuilegia populi, populumque ad eandem secum tuitionem accenderet. Additus fuit ei collega, an mox & extemplò parùm constat: non magno quicquid sit interstitio: nam anno 1254. ipso Diui Ioannis Baptistæ festo Henricus de Dionanto & Ioãnes de Germeau sese Ciuibus Sacramento obstrinxere. Breui patuit, quod malum consilium sit consultori pessimum. Idem quod equo hominis auxilium in fugaciorem ceruum imploranti, Scabinis accidit. Henricus vim in Scabinos vertit, & plerosque bonis & vrbe euertit. Recurrente verò aleæ vicissitudine exulauit Henricus, qui alios proscripserat, & qui Scabinales domos vastauerat dirueratque, ædibus caruit. Profligato perduellionum duce actum de medijs pacis, à qua ipse & quotquot, etiam Ecclesiastici nominis ipsi adhęserant excluſi. In Pacis arram & robur pactæ, vndecimâ die Octobris 1256. porta Sanctæ Walburgis excelsiore alijs situ Principi tradita cum mille obsidibus. A qua porta nomen Paci inditum Sanctæ Walburgis. Ante annum 1254. nullus Leodij Consul fuit, nec apud Scriptores vulgatos, aut manuscriptos mentio Consulatus vlla. Vti nec in fœdere Walburgensi quisquam huius Magistratus meminit, cum simpliciter hìnc Princeps & Capitulum, illìnc Ciuitatenses & fœderati conueniant. Si in anno 1208. dum apud Philippum Secundum interceſſerunt pro Albertinorum Priuilegiorum confirmatione Consules aut populi Magistros, habuissent, præfixa libello supplici & confirmationi

tioni fuisset qualitas Consularis, cum interim Rex confirmans, citra Magistrorum & Consulum indicationem Leodienses Ciues simpliciter apellet. At pari argumento, inquies, Scabinos non fuisse tunc temporis arbitrabimur, quod illorum Priuilegium non recordetur. Minimè verò. Alijs documentis innumeris Scabinorum munus & numerum cum vrbe incepisse manifestarium sit: nulla vero indicia pro Consulatu ante annum 1254. se offerunt. Et diuersa est prætereundorum Scabinorum, quàm Consulum ratio. Consules Magistratum populi speciali notâ constituunt, & ideo dicti Magistri populi: ad illos Ciuium desyderia deferre ad Regem spectasset, & illis procurantibus Rex indulsisset. Neque etiam spondebant sibi ciues per Scabinos confirmationem eorum Priuilegiorum obtinere, quæ parùm probabant, popularium beneficiorum augmento ægrescentes. In concordiâ Capituli Leodiensis cum Ciuitate ratione graduum ædis Diui Lamberti 12. Decembris 1231. conclusâ, Præpositus, Decanus, Archidiaconi & Capitulum maioris Ecclesiæ ex vna, & Prætor, Scabini, Iurati totaque Vniuersitas ex parte alterâ nominantur. Nequaquàm Consules de quibus parturiendis Iuno Lucina nondùm cogitauerat. In Henrici etiam Imperatoris Diplomate dato Wormatiæ 13. Kalend. Februar. 1231. ad Episcopi instantiam, Vniuersis Ciuibus Leodiensibus cæterisq; Burgensibus ad Episcopatum Leodien pertinentibus mandatur vt ab omnibus confœderationibus, communionibus & colligationibus, quas inter se illicitè fecerant recedentes, Episcopum Dominum suum in omni iure & dominio suorum prædecessorum

forum esse plenariè permittant. Si Consules tunc fuissent, tanquàm duces & ad illa vetita fœdera plebeis præeuntes Episcopus in hoc programmate perstrinxisset. Scabinos de industria omisit, tanquàm morigeros eâ tempestate, & à quibus nihil siniſtrum formidaret. Quos propter parilem cum alijs ciuibus contumaciam Guilielmi Flandriæ Comitis Romanorum Regis Rescriptum Antuerpiæ Idibus Ianuar. 1254, Henrico Tertio Episcopo de quo nunc loquimur, postulante, complectitur citra Consulum aut Magistrorum Ciuium memoriam. Dum de Principum cõassistentium consilio decernit, quòd Villicus, Scabini, Iurati, & vniuersi Ciues Leodienses exire debeant cum Episcopo in expeditionem pro defensione Ciuitatis & terræ Haynensis (Hannoniam intelligo, quam vnus Bauariæ Dux Hannoniæ Comes ab Ecclesia Leodiensi aliquandò recognouit) contra Comitem Andegauensem. Satus eo anno Consulatus Episcopo militiæ occupato, & ad hęc domestica non multùm attento, seu fortè post grandem mulctatitiam pecuniam dissimulante, paulatìm radices egit, conuulsus tamen sæpiùs, & interdum euulsus. Principio, vt ferè in vsurpatis euenit, timidè & cautè post turbas tranquillitatis velo obductas, Consules Magistratum suum gessêre communi cum Scabinis authoritate & consilio. Vt ita suasum habeam, nam certa nulla eiusce rei testimonia assurgunt, moueor Tractatibus & Concordatis quæ pro re natâ, & nouarum pullulatione seditionum fiebant, vbi Consules penè cum Scabinis indiuidui sunt, & coniunctìm apponuntur. Nullâ tunc Cõsilij Ciuici significatione, quod in lucem non exierat.

Postquàm hic partus adoleuit, boreæ & grandinis patiens explicatis in altum velis decucurrit, & excusâ Scabinorum societate, quòd potestas omnis impatiens sit consortis, per se stetit, satis virium ab auctis Iuratis, & accito Consilio ratus accepisse. Cæterùm varijs turbinibus agitatus in scopulos sæpenumerò incidit, & naufragium etiàm fecit. Benè & iustè constituta vix perdurant, nedùm per confusionem contrà fas nata. Fædus de Geneffe & de Wottemme decima Iulij 1331. temporibus Adolphi de Marka initum continet, quod Magistri, Iurati & Vniuersitas Ciuitatis Leodien. authoritate & permissione Domini Adolphi ordinauerint in sequentem modum. Magistri & octoginta Consiliarij vsque in proximam diem Diui Iacobi (quæ erat 25. eiusdem mensis) & ab eâdem in annuam diem, iuribus Principis illæsis à populari vsurpatione manentibus, munere suo perfunguntor. Futuris temporibus ipso Diui Iacobi peruigilio Magistri & Iurati, duodecim viros quos sub Religione Sacramenti capaciores existimauerint, partìm è Proceribus partìm è plebe cöaptanto: & hi duodecim priusquàm ad vllos extraneos diuertant actus, alios quadraginta viros probitate & idoneitate reliquis præcellentes, partim etiam Patricios & Plebeios designanto: qui cum Magistris & octoginta Consiliarijs, quoties eos vocari per negotiorum pondus contigerit, Ciuitatem regunto. Profesto Sancti Iacobi 1332. Magistri & quadraginta Iurati nouos duodecim viros è Patricia & Plebeia gente creanto; quibus vicenos eiusdem conditionis eligendi ius esto. Viceni cum alijs proximi anni viris viginti in vnum locum cöeuntes inter-

interpoſito iureiurando Magiſtros, vnum Patricium, Plebeium alterum, necnon alios octoginta viros è Patribus pariter & Plebe, præ cæteris virtute & prudentia eminentes ad Ciuitatis annuum regimen, eligunto. Ita quotannis faxo: neque intra triennium quiſquàm munus repetito. Porrò quo appareret hanc ſtatuendi facultatem eſſe precariam penitùs, ſub ordinationis finem conceptis verbis adijcitur, approbatio Adolphi Principis ad inſtantes illorum preces erogata. Ea perpetua quaſi omnibus ab introducto Ciuico Magiſtratu ſæculis cautela adhibita viſitur, quod municipalis iſte Magiſtratus municipalem ſe agnoſceret, & nullam abſq; requiſitione, authoritate, & conſenſu veri ſui Domini facultatem condendi Statuta arrogare poſſe. Euolutis duodecim non ampliùs ab inde annis idem Adolphus per Diploma (quod Literam Sancti Iacobi vocant) prima die Iulij 1343. ſic ſanxit. Ordinamus & concedimus, vt ſingulæ Operæ Mechanicæ in annos ſingulos eligant duos Iuratos, Patricij vnum, Plebei alterum. Quodque Patriciorum Iurati eligant vnum Magiſtrorum, & Plebeiorum Iurati alterum. Quæ eligendi norma non parùm diſcrepat à priori, licet ambæ in partito inter Patricium Conſulem, & Plebeium regimine conueniant. Sub Principe Ioanne de Bauaria ſtatus Conſularis variè ſe habuit. In celebri illa Pace Tungrenſi, ſecedecimvirali à numero interuenientium dicta, habita 18. Auguſti 1403. videtur animus plebeis ad maiora audendum additus. Inter alia cauetur, Gentilitias familias, penès quas aliquamdiu reſederat facultas eligendi Conſulem vnum, & plures Iuratos, vltrò

ei facultati renuntiare, & quod imposterùm electio binorum Magistrorum, Quatuor quæstorum, Iuratorum & Gubernatorum ad Ciuitatem spectabit. Sed vt est in adagio, malè sarta, malè coit gratia. Populus breui ad ingenium rediit, ferocior (quis crederet?) quasi beneficijs irritatus. Indignè indignis modis aduersus Principem ipsum multa egit: & exitio propior, in Brabantiæ & Burgundiæ Ducem, necnon Guilielmum Ducem Bauariæ eundemque Hannoniæ Comitem compromisit. Placuit Compromissariis Iura, Consuetudines & Priuilegia quæcũq; Ciuibus abutentibus Ministerialiumque seu Mechanicorum Operis adimi, instrumenta illorum & chartas Principi in abolitionem tradi, statutâ lege, solius esse Principis circa suæ Ciuitatis regimen & administrationem prouidere; & ne deinceps Consules, Iuratos, Gubernatores aut Ministerialium Collegia vlla permitteret. Id clarè enarratum in pröemio Ordinationum eiusdem Principis in anno 1416. quæ sub Regimenti apellatione in manuscriptis asseruantur. Quo etiam Regimento Princeps, suppresso iuxta arbitrorum mentem Ciuico Magistratu, sanxit, vt quotannis postridie Assumptionis Deiparæ Virginis, Capitulum duodecim, & Scabini totidem viros probos in Ciuitate residentes deligant, è quibus Princeps seliget tredecim, qui census & emolumenta vniuersa publicæ rei, rationem exactam reddituri, percipient, apud quos extrà capitis & mutilationis membrorum causas, licebit ciuibus querimonias suas proponere. Insequenti proximè anno 1417. pridie Kalendas Mayas motus assiduis Ciuium postulatis, de Consilio

etiam

etiam Capituli, ex merâ, vt inquit, liberalitate annuit ciuibus in sequentem modum. Sex & decem Ministeria in Ciuitate sunto: & singula binos Consiliarios deputanto. Quatuor & triginta Consiliarij Ministeriorum è Primoribus Ciuitatis aut Pomærij, viros octo peridoneos perscrutantor, totidem Deputatos è Patriâ oriundos Princeps & Capitulum producunto. Hi seni & deni in totum Deputati, in Æde Diui Iacobi matutinis horis congregantor, & duos supremos Consiliarios intra muros aut Pomærium commorãtes, aut vnanimiter, aut ex suffragiorum pluralitate renuntianto. Vt precarium posteritas sciret munus fuisse, & à Principis liberalitate profectum, ad Regimenti pedem Ciuitatenses addidêre, Expressim recognoscimus quod ad nostram & totius Ciuitatis supplicationem præmemoratus noster Altissimus & Potentissimus Princeps ex gratiâ speciali & fauore supradictum Regimen & Statuta nobis fuerit impertitus. Aliud æquè celebre est posterioris Principis Ioannis de Hynsberg sub die 16. Iulij 1424. circa Consularem electionem Decretum. Quo ea ad viginti duos viros perpetuos, sex à Principe designatos, cæteros per regiones Ciuitatis assignandos stato anni tempore transfertur. Norma institutionis fuit, vt pridie Diui Iacobi è qualibet Tribu singulos probos idoneos, boni & tranquillitatis publicæ amantes deligant, & altera die in eundem locum manè remotis arbitris conuenire faciant. Qui simul congregati præstito primitùs iuramento, quod postpositis prece, precio & gratiâ, quos iudicio suo idoneos & dignos Consulatu existimauerint, nuncupaturi sint Consules,

vnà ſecedent, nullius prærequiſito conſilio, nec è loco conſtituto migrabunt antequam vel concordi conſenſu, vel à maioribus ſuffragiis duos in eum annum Magiſtros renuntiauerint. Inquieta quorundam hominum nimiâ licentiâ laſciuientium ingenia bellum qualecunque, quàm pacem diuturnam maluerunt. Ludouicus Borbonius Princeps ex Ioannis Hynsbergij ſpontaneâ reſignatione ſucceſſor, lege priùs quàm armis Regalia Eccleſiæ ſuæ defenſurus, coràm Summis Pontificibus Pio Secundo & Paulo Secundo ſucceſſiuè per quinquennium iudicio egit, & à Paulo Secundo decima die Ianuarij 1465. ſententiam, Paulinam à iudice dictam, reportauit. Contumax populus iudicati contemptor, & deteriorum cumulator attentatorum, ad arma proſiluit non niſi fortioribus viribus retundenda. Iuſtæ Principis cauſæ fauit Deus: ſed, eheu, exceſſit fortè medicina modum, hauſto plurimo ſanguine, & abſumpto, quà ruinis, quà flammis Oppido. Benignitate tamen numinis, Principiſque, pedetentim Phœnicis inſtar, è ruderibus & cineribus erupit: & die decima nona Aprilis 1477. reſiduis à fuga collectis & ſuperſtitibus ciuibus pro reſtauratione ſupplicantibus, interuentu Cleri & Nobilitatis annuit precariam gratuitamque poteſtatem duos Magiſtros & Iuratos eligendi, citrà vllum Paulinæ ſententiæ præiudicium. Ob quam rem eâdem conditione acceptatam populus grates egit, morem per omnia ſe geſſurum teſtatus. Vigintiduumviri Electores, Commiſſarij dicti, & Triginta duo viri ab ijs è Tribubus ſelecti, videntur eo munere vſque ad annum 1603. functi. Donec Sereniſſimus Erneſtus Bauarus, peren-

perennis memoriæ Princeps, rationibus Diplomati desuper indito insertis commotus, aliam Electionis formam delineauit. Subtilem admodùm & à sordium, corruptelarumque periculo remotissimam, nisi subtilior praua ambitio, in occlusissima quæque penetraret. Instituit nimirùm, vt in singulis Operarum Tribubus pro contribulium numero compositis Pixidibus aut Calculis & in vrnam coniectis, quibus ex vrnâ sortientibus tres discolores Calculi (cæteris concoloribus existentibus) obuenirent in cubiculum separatum extempore secederent, & tres dignos citra personarum acceptionem denominarent. Quorum denominatorum nomina in vrnam conijcerentur, & cuius nomen Vigintiduumvir sortiretur, is esset trigintaduumvir Consulum futurorum Elector, duobus alijs singularum Tribuum Iuratis remanentibus. Visum fuit Vigintiduumviris Commissarijs durum longæuâ eligendi possessione exui, ideò summâ ope adnisi, vt res ad pristinum reduceretur statum. Diui Mathiæ Imperatoris die 8. Octobris 1613. Rescriptum emanauit Ernestinæ Ordinationis Reformatorium, quo forma per Ioannem Hynsbergium Principem præstituta in effectu reponitur, cum adiectione tamen Deputatorum Principis & Capituli, qui Commissarijs præsentiâ suâ adsistentes rem suis subiectam oculis explorent. De quo in vsum & obseruantiam redigendo ab anno 1615. per Cæsareos Delegatos impigrè laboratum fuit: & subsecuta sunt stricta Præcepta Augustissimi FERDINANDI Secundi Imperatoris, & Sereniſſimi FERDINANDI Bauari moderni Principis; Et tandem eiusdem Imperatoris, Ciuita-

Ciuitatensibus plenè auditis, ordinatio anno 1629. lata Viennæ in Austria. Tanto ardore & molimine inter Tribus & Vigintiduumviros seu Commissarios Leodienses, vtris Electio Consularis deberetur, disceptatum est. Non tam verò interest qui eligant, quàm qui eligantur. At benè licet sperare quod pro eligentium virtute & prudentiâ, causarum, non personarum res erit; & meritorum, non priuatorum affectuum Electio sit futura. Nemo eam æmulationem improbet, modò ad publicum bonum feratur. Conticuit Romæ paulisper Consulatus, Præfectis ad annum Decemviris in conscribendas decem tabularum Leges, & cum ad alterum annum in alias duas tabulas addendas idem placeret Imperium, Comitiaque Decemviris creandis in trinum Nundinum inducerentur, tantum exarsit ambitio, vt Primores quoque Ciuitatis, metu ne tanti possessio Imperij vacuo ab se relicto loco haut satis dignis patêret, prehensarent homines, & honorem summâ ope ab se impugnatum, ab ea plebe cum qua contenderent, suplipciter peterent.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

De Formis Electionum Consularium.

NVnquàm ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, Quin res, ætas, vsus, semper aliquid adportet noui. Quod ille Comicus de vitâ priuatâ dixit, in Republicâ multò magis euenire videmus. Vix vlla lex

lex sapit omnium palato: & pro varietate casuum Leges nonnunquàm sunt variandæ. Non quæ nascentibus statibus congruunt, adultis aut in senium vergentibus æquè aptantur. Humana natura per se volubilis, rotatur incessanter, & ingenito vicio in diuersas animorum figuras abit. Lucij Valerij Consulis pro Oppia Lege abroganda aduersus M. Porcium Catonem collegam digna Consule ratio, Quemadmodùm ex his Legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ vtilitatis causâ in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fatemur, nisi quam aut vsus cöarguat, aut status aliquis Reipublicæ inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt Leges, mortales (vt ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse videmus. Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat, quæ in bello, pax: vt in nauis administratione, alia in secundâ, alia in aduersâ tempestate vsui sunt. Mutationem formularum Electionis Consularis ex consideratione diuersitatis temporum, & morum descendisse etiam autumo. Sed aliam adhuc interiorem & propinquiorem causam. Non vllâ Lege, Rogatione, aut Senatusconsulto Consulatus Leodiensis inualuerat, fraus & violentia duntaxat Scabinali ambitioni fuerant obstetricatæ, dum partum effudit, veriùs quàm posuit. Priuatis Plebiscitis dum educatur, facilè ijsdem assurgere certat artibus, quibus ortum acceperat, & Principes quorum percellebatur authoritas, emergentibus intercalatim abusibus, noxias fibras resecare & intra æquos continere fines studuerunt, at morbo remedia superante, cumquies non prodesset, mutationem instituêre. Exemplo

medicorum ægris longa tabe maceratis haustum alterius auræ suadentium, aut hortulanorum transplantationem infrugiferarum arborum quandoque meditantium. Adolphus de Marcka, cuius toties recurrit mentio, plebeiorum importunitati alterum plebeium Consulem tunc dedit, sed ea circumstantiarum sepe vallatum, vt probum futurum virum crederet, & à Patricij vestigiis non discessurum. Ioannes Bauarus in Tungrensi seu sedecimvirali Pace, gentilitiarum familiarum renuntiationem quidem admittit, cum vnicuique liberum sit ius proprium remittere; verùm factâ Ciuitati binos Consules eligendi facultate, non fuit necessitas indita alterum illorum plebeium creandi. Et quod post abolitum, Laudo Ducum aut Arbitramento, Consulatum, fecit copiam duos supremos Consiliarios ad regulam dictatam designandi, eam vinculo octo Deputatorum Principis & Capituli arbitrio affiguandorum, illigauit. Causam verò, quâ motus Ioannes Hynsbergius Electionem hanc duobus & viginti Commissarijs attribuit, ipsemet in institutione aperuit. Ex quo, (inquit) comessationibus, compotationibus, donis, pollicitationibus, & importunis flagitationibus plurimi Candidati & competitores plebem demulcendo ad Consulatum aspirent, vnde innumera de die in diem mala nascuntur. An Hinsbergica norma corruptelas sustulerit! Temporaneum fortasse fuit pharmacum, quo vlcus leniri, si non sanari potuit. Vel vetustate, vt cætera, vim præcipuam amisit. Nam dum in anno 1603. Commissarijs ademptum ius, in populum Sereniſſimus ERNESTVS Bauarus transtulit, pares eligentium ad illud

illud tempus sordes perstrinxit. Nec Cæsaris Mathiæ Diploma populares & plebeios eorum criminum & abusuum innoxios prædicat, solo corruptelarum argumento eiusmodi facultate illos destituens. Quis inter enumeratos modus potior censendus sit, si quis à me expetat, alium hac in re censorem quærat. Quælibet forma Legislatoribus suis placuit, & potuit temporibus fuisse accomoda. Quid expediat hoc sæculo ferreis temporibus deteriore

Cuius scelerit non inuenit ipsa
Nomen, & à nullo posuit natura metallo.

Nisi quod sceleri nomen sit virtus, Fateor ignorare. Pro Hynsbergico instituto diuturnior militat experientia, duobus paulò minùs sæculis firmata: & quod viginti duorum hominum excessus, quàm numerosissimæ plebis faciliùs queant coërceri. Ernestina Constitutio quæ sortitiones liberis Electionibus gradatim admiscuit ingeniosa admodum erat auertendis sortientium & eligentium corruptionibus. Nam quis suspicaretur futurum, vt omnibus in quaque classe Tribulibus ex vrna sortientibus fortunâ in incerto volitante quis ex tanto numero faustum calculum extraheret, inuenirentur ita hiantibus faucibus ambitiosi, qui spem aleatoria Venere longè incertiorem, præmiis essent comparaturi? Aut quibus, saltem si aliquid in dextrâ mamillæ parte saliat, non deficeret ad praua tentandum animus, dum tot impedimentorum vallis euentum electionis cernerent circumseptum? Sors vniuersalis Tribuum, trium fustè sortitorum incerta, quia insperata

voluntas, incertitudo virorum ab his Deputandorum, noua rursus Deputatorum trium sortitio, Triginta-duumvirûm ex sorte dependentium incerta suffragia, probum quemque à cogitando nedum ambiendo Consulatu deterruissent. Sed quod de Antistite dixit noster Iustinianus, de quouis Magistratu rectè dixerimus, Eum esse illo dignum, qui inuitus, aut certè sine ambitu designatur. Sortis (quam sacræ non damnant literæ) vsus fuit olim apud omnes penè gentes pertritus. Iam ætate Homeri cæci, quo nemo acutiùs vidit, Regum & Procerum Græciæ contentiones sorte dirimebantur: suspenso exercitu cui ex decem sortientibus Ducibus primas pugnæ partes fortuna traderet; quibusdàm Achillem, Aiacem alijs, nonnullis Agamemnonem optantibus. Ad quod Magnus Alexander, qui pro ceruicali dormiens Homerum suppositum habebat, indignatus dixisse fertur, Occidissem, qui me tertium nominasset. Athenienses præterquàm quod Magistratus sortibus crearent, eodem modo sententias dicebant. Vnde festiua illa Alcibiadis iudicium subter fugientis excusatio, Ne matri quidem in tali negotio fidem tutò habiturum, ne per imprudentiam atrum forte Lapillum pro candido in vrnam immitteret. Mos enim erat in iure dicundo niueis & nigris calculis vti, His damnare Reos, illis absoluere culpâ. Et hinc pariter Iusti Aristidæ factum admirandum: qui tessulam condemnatoriam ab illiterato & ignoto contribule, vt nomen suum inscriberet, porrectam recepit, & se inscripsit. Persæ in interregno Regem sorte legebant, Lacedæmonij & Romani Iudices suos. Non pridem multis Italiæ locis

circa

circa renuntiationes Magistratuum sortitio frequentabatur, vt Franciscus Patricius Senensis atteſtatur. Nulla tamen methodus melior eâ, quam florentissima Venetorum Respublica vsu comprobauit. Electio est sorti admixta: & mixtum corpus vtroque simplice præualet. Vbi Senatus frequens in Curiam conuenit, quidam tripode Æneo pileus loco celsiore collocatur, in quo secundùm Senatorum numerum perplures sunt pilæ argentatæ, nouem autem deauratæ. Senatus suo ordine & longo tractu ad pileum accedit, manum inijcit & pilam obuiam educit; si argentea est ad locum suum redit. Qui verò vnam è nouem aureis deprompserit, ad præparatum subsellium ascendit, tantisper exspectans donec alij octo parem sint sortem nacti. Tunc nouem collecti nullius Consenatoris, aut alterius alloquium ante admittentes, prehabitâ inuicem deliberatione proponunt Senatui nomina paucorum è quibus facienda est electio: & citra cunctationem itur ad suffragia. Enimuerò Princeps ERNESTVS Ciuitati suæ per nouam formam prouidè consuluerat & pluribus continuatè & ex interuallo annis non improsperè Reipublicæ succeſſit iuxta id præscriptum Consules fieri. Quamdiu aliqua iuris reuerentia Tribus ipsas continuit, & publici amore boni honestioribus prudentioribusq; tenuiores, & rudiores deferendum censuerunt, ternas discolores sortiti pixides, vt plurimùm honestos deligere contribules, & hi ex secundâ vrnâ educti sæpè pro dignitate viros graues & idoneos renuntiare Consules: & rarò aberrare à medio scopo. Verùm postquàm vir vnus cæteroquin apprimè doctus, & facundus lapidatâ Basi-

licâ domo, & abrogatis, qui iam voce præconiâ renuntiati erant, Consulibus, Magistratum iniit, & ieiunam plebis fæcem tanquàm suæ potestatis instrumentum fouit, & fouendo animos aduersus honestiores opulentioresque dedit, & sic in alterum annum, contra iuratas Constitutiones, continuauit Imperium, vt disciplinam soluit, sic, compages prisci regiminis laxauit, & concussit. Admisso autem in collegam furioso quodam Catilina diro Vrbis fato, hòc deteriore & perniciosiore, quòd nullus inuentus sit Cicero, qui furentem reprimeret, cuius coaptationis eum serò pœnituisse constat, totam rectæ Politiæ machinam per prauum hunc discipulum vel imprudenter vel inuitus, diruit. Fatalis ille non Siciliæ Dionysius, sed Legiæ tyrannus, ferreis, quibus non Iouis sub pedibus, vt ille Syracusanus, sed domesticæ egestatis vinculis detinebatur, semel solutus, horribili Iamineti Centurionis cæde insperatum suum Consulatum funestans, seditiosis & facinorosis non fenestram, sed tot quot Thebis erant, portas impunitati aperuit: mœrentibus probis, otiosa, nuda, & ventri dedita fæx & sentina plebeculæ, sub huius auspicijs & patrocinio fanda & nefanda quæque perpetrauit. Interceßere quidem, bono Vrbis genio, salutares adhuc aliqui Consules, procellosis seditioforum ab hoc Catilina & eius emissariis impulsorum turbinibus mirè exagitati: sed vbi euoluto quadriennio, fauore & furore perditissimi cuiusque ad gubernacula rediit, velut altera Vastities, quam Annibal in somniis præeuntem in Italiam vidit, sacra & politica, publica & priuata cuncta confudit. Sublata etiam

è comi-

è comitijs vmbrâ, quæ restabat, libertatis. Sicariorum audaciſſimi territis modeſtioribus omnia pro libidine decernere & facere. Vrbs innocentium paſsim fœdè mactatorum ſanguine natare; his proſcriptis, alijs ad necem conquiſitis, domus & bona diripi cœpere. Et capitale haberi, virum bonum eſſe. Vnius Catilinæ ductu, & Catilinariorum rabie. Iungit enim facilè conſimiles morum ſimilitudo, & vicia muneribus inuitata irritantur, & ſectatores facilè inueniunt. Quemadmodùm Archeſilaus Academicus cuidam interroganti cur ab eo ad Epicurum aliqui deficerent, ab Epicuro autem ad eum nemo, reſpondiſſe fertur, quia ex viris Eunuchi facilè fiunt, ex Eunuchis verò viri nunquàm. Quod in vnâ formarum enarratarum traditur, diuiſum aliquando fuiſſe Conſulatum in vnum Patricium & alterum Plebeium, non ita exaudiendum exiſtimo, quaſi alter Conſulum poſſet eſſe opifex & Mechanicus, cuius generis homines ne ſint Honorum dehoneſtamenta inde ſunt arcendi, ſed vno Conſule Nobili aut Patricio exiſtente, ſecundus è plebeio ſanguine creari poſſet, dummodo dignus & idoneus, à literis, ab vſu rerum, & alijs requiſitis dotibus benè inſtructus. (Ne moderni factioſi, inuerſi interpretes, antiquo exemplo tueri velint, factum nuperrimum, quòd Analphabetarium quendam Catilinariæ coniurationis, ſocium & congerronem ſuum, ad ſellam Conſularem prouexerint). Ita Romæ olim quamùis indignantibus Patribus Plebeio ad Conſulatum via patuit: at plebeio, cui omnia abundè ſuppeterent præter ceras & imagines maiorum. Apud maiores (inquit Tacitus) virtutis id præmium fuerat:

fuerat: cunctisque Ciuium si bonis artibus fiderent licitum petere Magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin primâ iuuentâ Consulatum ac Dictaturas inirent. (Quod de ætate dicit, non idem semper obtinuit). Quidni? ait Iuuenalis oportunè

—— tamen imâ plebe Quiritem
Facundum inuenies, solet hic defendere causas
Nobilis indocti: veniet de plebe togatâ,
Qui iuris nodos, & legum ænigmata soluat,

Calphurnias & Iulias de ambitu Leges frustra inculcaueris: ad Principum Constitutiones, Patriæque Statuta obturatas gerunt aures. Pessumdatâ dudùm Principali auctoritate nomen ipsum exsibilant. Vi & minis dominantur. Monopolia aperta per omnes Tribus exercent. Mutuis adstricti sunt iuramentis, quòd quibus sors fauerit, neminem nisi suorum flagitiorum hominem nominabunt. Suffragia palàm mercantur & magno venditant. Si quem morosiorem in partes suas arbitrentur, ferrum iugulo admouent, aut deorsum ex alto per fenestras dare præcipitem. Ditiores & honestiores ideo cætibus & conuentibus abstinent, extrema formidantes: dum viliſſimus & desperatissimus quisque Scita Tribus suæ dictat & decernit. O rem maioribus indignam, & seris etiam posteris pudendam? Itáne modicus globus sceleratorum per Tribus diffusus cæteris legem dicit, attonitos & pauentes probos ciues reddit? Nescio quibus præstigiis, aut fascino captos existimes. Eodem videntur omnes veterno consepulti. Lucem & animum Deus infundat. Putes ipsosmet sicarios, si non pigere,

stupere

ſtupere ad tam degenerem puſillanimitatem. Sicut memoriæ proditum eſt, Tiberium quoties Curiâ egrederetur Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum, ô homines ad ſeruitutem paratos! ſcilicet etiam illum qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ ſeruientium patientiæ tædebat.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Vtrùm Conſulatus Leodienſis ad Magiſtratus Romani Imitationem ſit inſtitutus.

QVo auguſtiorem faciant dignitatem Conſularem, eius initia abs Romanorum inſtitutis deducunt. Quàm nullis veris coloribus Lector iam intelligit, dum memoriâ repetit anno demùm 1254. Conſulatũ Leodienſem incepiſſe, & parentem vtrumque fuiſſe, ſeditionem, & violentiam. Quia tamen larua hæc videtur hodie aſſuta corpori, enixiore erit detrahenda conatu. Comparatione vt ſimilia innoteſcunt, ſic diſſimilia diſcernuntur. Paucis itaque Romanum Magiſtratum attingam, vt ſuppoſititiæ ſobolis notæ appareant. Exactis ob ſtupratam Lucretiam Regibus poſt ducentos quadraginta quatuor ab Vrbe conditâ annos creati ſunt Conſules L. Iunius Brutus Tyranni exactor, & L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus. Creati, inquam, Comitiis Centuriatis à Præfecto Vrbis ex Commentariis Seruij Tullij Regum penultimi, qui de reſtituendâ aliquando Republicâ cogitans ad inſti-

tuendum annui Consulatus regimen respexerat. Vix aliquid diminutum ex Regia potestate, nisi quod annuum factum est Consulare Imperium. Omnia iura, omnia insignia primi Consules tenüere. Id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior concedente Collegâ fasces habuit. Et per plures annos à Bruti morte & Collatini exilio annua hæc potestas domi pacifica mansit. Donec propter nexos ob æs alienum ciues plebs in sacrum montem trans Anienem amnem tria ab Vrbe millia passuum secessit: & Menenij Agrippæ oratione placata, Senatu permittente duos Tribunos plebeios creauit, qui tres collegas cöaptarunt (deni succedente tempore facti, & vndeni, sed rariùs). Qui omnes Sacrosancti haberentur, & quibus auxilij latio aduersus Consules esset. Lege etiam dictâ, ne cui Patrum capere eum Magistratum liceret. Centuriatis interim Comitijs dicti sunt Tribuni vsque ad Voleronem Publium Tribunum plebis, qui Rogationem tulit ad populum vt plebei Magistratus Tributis comitijs fierent, vt Patricijs omnem potestatem per clientum suffragia creandi quos vellent Tribunos auferret. Centuriata enim Comitia erant Optimatum, Curiata autem seu Tributa popularium, vt rectè Vdalricus Zasius annotauit. Anno trecentesimo altero quàm condita Roma erat, placuit Decemviros creari sine prouocatione: & sic mutata est forma Ciuitatis; ab Consulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus ante ad Consules venerat, translato Imperio. Sed læta huius Magistratus principia nimis luxuriauere, dum eo in secundũ annum continuato, omnes

Decem-

Decemviri subitò cum duodenis fascibus singuli in publicum prodiere, centum viginti lictoribus forum implentibus, & cum fascibus secures illigatas præferentibus. Et Appij Claudij Decemvirorum facilè principis in Virginiam è plebe puellam libido, maturauit breuitatem Decemviralis Imperij intra biennium finiti. Conquiescente secundâ secessione per Virginium patrem, & Icilium Virginiæ sponsum excitatâ, stabilitoque Tribunorum iure, summa Reipublicæ rursùm ad Consules est reuersa. Sancito, Ne quis vllum Magistratum sine prouocatione crearet, qui crëasset, eum ius fasque esset occidi, neue ea cædes capitalis noxæ haberetur. Decimo & trecentesimo Vrbis Romæ conditæ anno exortâ iterùm inter Patres & Plebem discordiâ, loco Consulum Tribuni militares cum potestate Consulari sunt surrogati, non eodem numero, terni sæpe, & nonnunquàm seni, quandoque octoni, imò deni: qui non minùs è Plebe, quàm è Patribus deligi possent, Prælatis tamen vt plurimùm Patricijs. A militaribus Tribunis ad Consules iterum factus regressus, obtento insuper Decreto, quod alterum Consulem è Plebe creari oporteret. Et aliquamdiù alternante vicissitudine pro variâ populi inclinatione nunc in Consules, nunc in militares Tribunos collata suffragia: sed tandem prævaluit electio Consulum: quæ mirè postmodùm Sullæ & Marij temporibus per ambientium potestatem labefactata, sub Iulio Cæsare perpetuo Dictatore animam dici potest exhalasse. Nam qui Imperatorum deinceps æuo, Consules ab ipsis vocati sunt, pauca pristinæ potestatis & authoritatis vestigia retinuerunt, non do-

minantes, sed dominantibus obtemperantes. Nihil de Consulatu Leodiensi ad præscriptam figuram pingi potest. Quingentis & quinquaginta circiter annis Leodium est Consulatu antiquius: neque dum incepit, suprema Principis & suorum Magistratuum potestas defecit, aut etiam imminuta fuit, sed in suo stetit robore. Nulli his Consulibus fasces, nullæ secures præferuntur. Satellitium potiùs ad dignitatem, quàm ad iurisdictionem habent. Et qui Consulibus supremi duo Consiliarij suffecti aliquando fuerunt, non maiore, si non minore, autoritate claruêre. In Romanis Electionibus vilis & infima plebs non poterat venire in suffragia, quia in nullam erat accensita classem, & vis omnis penès primores Ciuitatis manebat. Dum Equitibus in duodecim Centurias diuisis, & peditibus in quinque Classes, Classibusque in plures Centurias partitis, si vocatæ primæ classis Centuriæ concordabant, complebatur electio, nec ad vlteriorem gradum descendebatur. Quæ Centuriæ ideò à Scriptoribus antiquis Prærogatiuæ dicebantur, quia prærogabantur, & in concordiâ statum & fixum erat illarum suffragium. In oppositum Leodij abiectissima plebecula armis & minis facultatem legendorum Consulum sibi arrogat, excusso pudoris & honesti velamine. Plus fortè affinitatis inter hos Consules & Romanos Tribunosplebis deprehendemus. Plebistribunos intestina discordia peperit: etiam hos Consules. Tribunatus aduersus potentiores in plebeiorum auxilium fuit inuentus & crebrò impensus: etiam hic Consulatus; sed Perillæi operis instar, in artifices & inuentores retorsus. Tribuniplebis auræ popularis

pularis pluſquàm publicæ quietis & vtilitatis ſtudioſi toto corpore aduerſus Conſules & Senatum obnitebantur, irrita multoties Senatuſconſulta faciendo: per hos Conſules, ſi quandò rem aut famam priuatam publico bono præhabuerunt, oppugnata ſæpenumerò Principis authoritas, abrogatis interdùm eiuſdem iuſſis & decretis. Penès Tribunos plebis nulla erat iuriſdictio, nec in plebeios quidem, quibus dati erant auxiliatores. Teſtis eſt feruida illa Appij Conſulis cum Lectorio Tribunoplebis popularem nimis Legem promulgare volente contentio: quam cum Conſules & Nobilitas impedituri in concione conſiſterent, ſummouerique Tribunus iuberet præterquàm qui ſuffragium inirent, & ex adoleſcentibus Nobilibus dicto inobedientibus quoſdam prehendi, Conſul Appius negauit ius eſſe Tribuno in quenquam niſi in plebeium, non enim populi ſed plebis eum Magiſtratum eſſe, nec illum ipſum ſummouere pro Imperio poſſe more maiorum: quia ita dicatur, Si vobis videtur diſcedite Quirites. Penès hos Conſules nihil à primæua inſtitutione iuriſdictionis fuit: de vſurpatione ſuo loco dicemus. Plebs Romana Tribunitiam poteſtatem cenſebat ſuæ libertatis eſſe munimentum: Leodienſes in lite Spirenſi allegant Conſulatum imitatione Tribunitij auxilij eſſe quandam ciuium tutelam & propugnaculum aduerſus Miniſtros Principis, Libertatibus & Priuilegiis inſidiantes. Romani Tribuni plebis primores Ciuitatis contumelioſis inceſſentes concionibus, nec à Conſulibus abſtinuerunt manus. Sic Cæſonem Quintium & Martium Coriolanum deteriora veritos in exilium abire compule-

runt: Scipioni vtrique fictis criminibus diem dixerunt. Sic M. Furius Camillus, secundus Vrbis Conditor, ab L. Apuleio, Metellus Numidicus à Cn. Apuleio Saturnino, M. Cicero à P. Clodio, qui à Patriciis ad plebem vt Tribunus fieret, transierat, sunt proscripti. M. Cato à C. Trebonio in vincula coniectus. Sic M. Drusus L. Philippum Consulem pugnis priùs ad largam cruoris è naribus profusionem contusum, in carcerem præcipitauit. Nuperrimis Consulibus atrociora longè edita fuere facinora. Indictâ causâ, Scabinus Flerontinus & Mercantius Iureconsultus immaniter trucidati: Gennæus vir itidem honestus per tempora ferreis globulis transfixus, loris dein ad pedes iniectis per compita tractus: Tegularius ad palum ligatus malleis, stimulis & scipionibus à viris & mulieribus Hulliferis seu Carbonariis medio in foro per lenta tormenta excarnificatus: Prætor Principis lætaliter saucius è domo suâ in vincula deportatus, & in compedibus crudelissimè ad annum detentus, vnde non nisi diuinâ ope euasit. Totus ordo Scabinorum è Tribunali & Palatio ipso Principis, per binos Consules in publicam custodiam abstractus. Centum & amplius è præcipuæ notæ hominibus exilio damnati. Sacra porrò sine discrimine polluta, & sacræ Personæ, quà iugulatæ, quà multis vulneribus consauciatæ. Maioribus tormentis bellicis Ædes Diuo tutelari Lamberto dicata sacrilegio plusquam Turcico verberata. Ad Tribunos regredior. Appius Claudius ostendit Senatui viam vnam dissoluendæ Tribunitiæ potestatis per collegarum interces∫ionem: Vnus enim Tribunorum aduersus aliorum collegarũ Rogationem interueniens

niens eam impediebat. Quo consilio confirmati Proceres dabant operam vt aliquem illorum in suas partes pertraherent. Fælice crebrò successu. Quia facilè homines noui autoritate principum de sententia deducebantur, ex collegis victoriam, & gratiam melioris partis bono publico quærentes. Cuius interceſſionis beneficio ſaluam permanſiſſe inter acerrimas veſanorum Tribunorum procellas Rempublicam, non inuitus credo. Neque diu ſtetit poſt ſublatum interceſſionis huius robur. Clodius, immanis bellua, poſt quadringentos quinquaginta annos, ne ingratiis Tribunus eſſet, tulit ad plebem vt vnius deinceps oppoſitio Tribuni cæteros non ſiſteret: quod & Plebiſcito cautum fuit. Poſtremò vt Iulius Cæſar Dictaturam perpetuam occupauit, & Conſules in aliquam relictæ libertatis vmbram pro arbitrio dixit, ita nepos Auguſtus inter multa honorum certatim oblata nomina, Tribuni perpetui vſurpationem retinuit. Interceſſio Conſulum Leodienſium publico vtilis & laudabilis fuit, quando eſſe potiùs, quàm haberi, boni Publicolæ voluerunt, veri boni publici, non affectatæ apud plebem gloriolæ appetentes. Dum amantem patrem & peritum medicum imitati, non quid æger expetat, ſed quod expediat procurarunt, vt quiſque ciuis intra officium ſuum erga Deum, Principem, Magiſtratum & Patriam contineretur. Si enim verum eſt Terentianum illud, licentiâ omnes fieri deteriores, quantò magis plebeculam, quæ fræno ad modeſtiam, non calcari indiget. Tiberius pulchrâ voce officium Principis in pleno Senatu expreſſit. Bonum & ſalutarem Principem, Senatui ſeruire debere, & vniuerſis

ciui-

ciuibus, sæpe ac plerumque etiam singulis; siue, bonos audire consiliarios, & subditorum omnium bonum procurare, singulisque iustitiam administrare. Consul à consulendo dictus, nisi quieti & tranquillitati, publicè & priuatìm, quæ sine debitâ subditorum erga Superiorem reuerentiâ & iusto inter se concentu nequit esse, consulit, destructor est non Consul: nec opilio, sed lupus. Quod non obscurè fragmentum Legis duodecim Tabularum indicat, Regio imperio duo sunto, ijque consulendo Consules apellantor, militiæ summum ius habento, nemini parento, salus populi suprema lex esto.

Vt insitum profundè multorum animis iudicium de Consulatus Leodiensis à Romanis origine eradicitùs euellam, lubet Vrbis Conditorem D. Hubertum tantisper seponere, quò appareat nec eum quidem Magistratum Romanos fuisse inuecturos etiamsi Legia fuisset Iulio Cæsari contemporanea, & ab eo sub Romanum compulsa Imperium. Itaque de Eburonici agri statu, antequam Leodium esset, aliquid videamus.

Constat Belgicam totam à Iulio Cæsare domitam, & sic quinquaginta circiter ante Christum natum annis redactam in Prouinciam. Quando deinde Belgica à Romano recesserit Imperio, & sui iuris sit effecta, non indago, nec vltra propositum thema efferor, quod Leodienses solos amplectitur. Trithemius in libro de Origine Francorum scribit, Marcomirum Regem Sicambrorum anno ante Deum Incarnatum 433. cum fratre Sunone à Saxonibus amicè susceptum, Regni sui vigesimo anno Rhenum cum Sicambris suis transgressum, Cisrhenanos variis cladibus attriuisse. Et Francum

postea

postea Antarij Regis filium (à quo deinde Sicambros dictos Francones aut Francos existimat) audito quod Galli Mosam traiecissent, Rheno similiter cum exercitu trecentorum millium transmisso, & ad Pontem Mosæ quadraginta armatorum millibus pro custodia relictis, in Galliam perrexisse, quam vastissimæ tempestatis instar immaniter contuderit, postmodùm decimo priusquàm Christus nasceretur anno vita functus, Clogione filio hærede. Additque ex interuallo, scilicet anno Deiparæ 340. Dagobertum Francorum Ducem Rheno iterùm traiecto Galliam depopulatum, & inclytam Treuirorum Vrbem incendio tunc corruptam. Gregorius Turonensis scribit eosdem Francos Genobaldo, Marcomere & Sunone Ducibus anno 388. in Germaniam inferiorem prorupisse, pluribusq; mortalibus cæsis fertiliora loca vastasse, & prædâ ingente contractâ retrogressos, non sine tamen cæde suorum apud Carbonariam siluam (nunc Hannoniam) per Romanos peremptorum. Excursiones frequentes eò liberiùs attentatæ, quòd Romani ciuilibus inter se bellis occupati, segniores erant in conseruandis Imperij finibus. Quasi enim Cæsar & Pompeius Magnus discordiæ ciuilis classicum posteris cecinissent; mox Bruti & Cassij arma Augustus adhuc adolescens excepit, in Augustum deinde Antonius Triumuir insurrexit, Galba, Otto, Vitellius, & bono fato Vespasianus, magnæ ciuilis belli partes fuere, & non pauci interpolatim successores. Post omnes Maximus Tyrannus, inuasor Imperij, qui è Britannia in Galliam per ostia Rheni erupit, & Gratianum Imperatorem Treuiris, quod vires deëssent, recedere coäctum,

ctum, Lutetiam vsque Parisiorum insecutus, apud Lugdunum proditoris cuiusdam Andragathij operâ sustulit. Cum interim Hunni & Alani in Gratiani auxilium acciti, Germaniam itidem inferiorem incursarunt, & inter alia Tungrorum Oppidum amplum, & magni nominis diruerunt. Interiecto quatuor lustrorum, vix ampliùs, spacio, Wandali & Alani per Stiliconem Honorio Imperatori genero suo perfidè insidiantem sedibus suis exciti, in Transrhenanas, Cisrhenanasque Regiones, ac postremò in Galliam sese effuderunt. Et intra alterum quinquennium inquietata denuò Germania inferior cum Galliâ, Gerontio quodam impellente. Vnde effectum est, quod Romanis ad exteriora & remotiora Imperij membra attendere non valentibus, paulatim sit ab Imperio descitum: & circa annum 420. Pharamundus in Gallia regnare ceperit. Quia verò Orientales Franci in Occidentalem Franciam non penetrarunt nisi per Tungrensem agrum & conterminam Regionem (neque enim ab extremo in extremum fit motus nisi per medium) non debet admiratio subire legentem passim in Annalibus, quod Pipini & Caroli sedem suam aut Curiam aliquando habuerint in agro Eburonum, & illic partem ætatis transegerint. Non crebrioribus iratum æquor tumet procellis, quàm Cisrhenanæ istæ Prouinciæ nouorum in dies irrumpentium hostium motibus concutiebantur.

En anno 451. Attila innumeram trahens barbarorum colluuiem superato Rheno fulminis ictu ocyor eas inundauit, cui tamen fortissimus Ducum Aëtius Gothorum & Francorum auxilio validissimè restitit, & repulsum

pulsum primo, deinde in campis Catalaunicis prælio victum, tanquàm serpentem maiore sui parte mutilatum, abscedere cõegit. Sed Valentinianus virtutum eius parcus æstimator, inuidorum calumniis plus æquo deferens, victorem Aëtium interfici iussit, serò lamentaturus, quod iuxta probatissimi cuiusdam ciuis Romani testimonium, eum tollendo, sinistrâ suâ dexteram suã sibi abscidisset. Exposcere nunc queam, si Leodium ea ætate fuisset (quod tamen perpensis capitis primi argumentis qui fuisse crederet, elleborosum esse oporteret) num ideo Consules fuissent Reipublicæ gubernaculo imposiți? Minimè. Quia Romani subactis bello Prouinciis, non præficiebant Consules, sed Præsides Prouinciarum creabant, & in Municipiis inferiores Magistratus, Decuriones dictos: quòd Triuumuiri deducendis Coloniis destinati, decimum quemque Consilij causa adscriberent, vnde Magistratus Municipales legebantur. Qui Decuriones, erant honestiores è populo, & pro quantitate census designabantur: qui varius erat pro legum & opulentiarum municipalium varietate. Plinius Nepos Libro primo Epistolarum tradit Comi censum fuisse centum millium; quæ summa (iuxta Alciatum) est nostratis pecuniæ aureorum duorum millium & quingentorum. Romanis enim perpetua ea fuit cura prouehendi eos ad Magistratus, quibus vltra morum honestatem, honestum adesset patrimonium: nec curta domi supellex à dextro gradu deflecteret. Romæ etiam Decurias Iudicum ex honestissimis & censu ideo legebant, neque tamen omnes lectos assiduè iudicare volebant, quotannis certum duntaxat &

determinatum numerum sorte nuncupabant, reliquis tunc feriatis. Alternans diuersarum nationum belli alea Eburones nunc his nunc illis Dominis dedisse potuit, vt in bello captis accidere solet: neque tamen fortunæ volubilitas, & inconstans Martis euentus, ius Imperij Romani immutauit: adeo vt à Iulij Cæsaris funestâ victoriâ in præsens tempus Romano fuerint subiecti Imperio. Otto etiam Primus Imperator cum Regnum Lotharienſe Regno Germaniæ adiunxit, Leodienses qui tunc sub Lotharingiâ comprehendebantur, eo ipso vnà comprehendit. Fingamus in Idæâ aut spaciis imaginariis vrbem Legiam toto eo tempore præcogitatam, videmus nunc quod Consulatus non ideò tunc extitisset. Si quis pertinacior abnuit, id nouissimè quærant quo anno, per quem, ob quam causam institutus sit, & vt primorum sequentiumuè nomina edat. Et quomodo euenerit, vt anni 1254. Consulum nomina, authoresque & occasionem Historici recenseant, & anteriores, si qui fuerint, omittant? An fortè hic Consulatus præcocior fuit initio fætus, qui repentè computruerit, & post plures annorum centurias iterùm pullulauerit? Audiui quod Tigris fluuius modicis enatus incrementis sub terras mergatur, & post viginti quinque passuum millia grande iam flumen in Regione Sophone emergat, ac in paludes Euphratis postmodùm recipiatur. An ad eam similitudinem ortus qui post Iulij Cæsaris victoriam fingitur Consulatus, momento subterraneis specubus absorptus, per tot sæcula ignotus vsque ad eum annum 1254. delituit? E quo tunc antro exiliit? An ex Democriti puteo, vbi sepulta pridèm veritas erui

tradi-

traditur, an potius ex Morphei ſpelæo? Dormitaſſe in Parnaſſo eum oportuit, qui vigilans iſtud ſomniauit. Si iuxta Lyricum, Nil admirari, res penè vna eſt, quæ facere & factum poſſit ſeruare beatum, non erubeſcam fateri, non mirari quod circa antiquitatem Conſulatus labantur, qui in vetuſtate Vrbis tam turpiter aberrarunt. Facilè ijs euenit quod viatoribus deuias ſemitas ingredientibus, quos error primus deducit de viâ & nouis erroribus multipliciter exponit: vnde non niſi ægrè extricentur. Quaſi labyrinthus ſit, *Indeprenſus, & irremeabilis error.* Sed eum ego nunc deprehendi, & tenebris diſſipatis lucem luculentam dedi.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

An igitur Conſulatus Leodienſis nullâ in re ſit Romano Magiſtratui Similis?

NVllum Simile eſt idem. Et vna eademque perſona vice duarum nonnùnquam fungitur, pro qualitatum pluralitate. Viciſsìm res eadem aliquando diuerſificatur, ex perſonarum diuerſitate. Vt non iniuriâ Terentius, Duo cum idem faciunt ſæpè poſſis dicere hoc licet impunè facere huic, illi non licet: Non quòd diſſimilis res ſit, ſed quòd is qui facit. Ita ex oppoſito nulla tam ſunt diſſimilia, quæ non in aliquo ſimilia reperiantur. Muſca in eo ſimilis eſt Aquilæ quòd pennas habet, homini bruta animantia quod ſentiunt, plantæ quòd animam vegetatiuam habent. Leodinus Conſu-

latus, qui tot stadiis à Consulatu Romano distat, dissimillimus, in aliquo interim est similis. Apud Romanos vetustissimis Reipublicæ temporibus nulla certa ætas Dictaturis & Consulatibus adipiscendis constituta erat, sed cunctis Patriciis, dummodò bonis artibus siderent licebat sese Candidatos profiteri. Posteriore æuo, lege cautum fuit ne Consulatus ante quadragesimum secundum ætatis annum peti, & ante tertium & quadragesimum geri posset: nec Prætura ante trigesimum nonum peti & geri ante quadragesimum; neque ædilitas peti ante trigesimum sextum, & ante trigesimum septimum iniri. Sicut ante trigesimum quintum annum nullus Iudex esse poterat, vsque ad Augusti Imperium, qui quinquennium præcidit. Ea Lex dicta Annaria, quod annos finiret quibus Magistratus capiendi potestas esset. Perpetuâ etiam vnâ conditione, nemini Magistratum vllum vrbanum committi, qui ad decem annos priùs non militasset. Vsus enim & experientia propriæ sunt maturioris ætatis; & cum ars imitetur naturam, vix deceret eum esse Consulem, qui Politicus ciuium pater esse debet, qui nedum filius, sed nepos per ætatem esse posset plurimorum. Ex qua causa Romulus centum legens Consiliarios, senes desumpsit, & ex ijs Senatum constituit, tracto à Senibus nomine. Quem numerum cædibus Tarquinij Superbi diminutum, primoribus Equestris gradus lectis ad trecentorum summam Brutus expleuit: & Liuius Drusus in Tribunatu existens ad sexcentos extendit, vt opes Senatus extolleret, & eosdem Iudicijs præponeret. At Iulius Cæsar, ijs qui à partibus suis steterant etiam indignissimis

mis gratificaturus, ad mille & vltra auxit; sed prudenter Augustus affluentem illum numerum deformi & incondita turba ad modum, numerumque pristinum, sexcentorum scilicet, & splendorem redegit. Lex tamen illa ætatis non semper obseruata. Pompeius decimo nono, Octauius decimo octauo, & C. Marius Iunior (per vim iste) nondum impleto vigesimo, Consulatum administrarunt. An non etiam Octauius? Nam Senatu cunctante Cornelius Centurio Princeps Legatonis reiecto sagulo ostendens gladij capulum in Curia dicere non dubitauit, hic faciet si vos non feceritis. Ante omnes Scipio Africanus vix dum pubertatis annos egressus fasces Consulares suscepit, verùm ambigo an ex tunc Lex vetaret: certè desperatissimis in Hispania rebus post duos cæsos exercitus vnà cum Imperatoribus patre & patruo, potiùs nullo competitore & omnibus ad stuporem attonitis, quàm meditatis suffragiis, petens fuit Consul Creatus, Optimo Romanæ Reipublicæ fato. Et quidni? ob necessitatem vrgentem, aut eminentem indolem receditur interdùm à regulis communibus. Quid si quispiam cum Ascanio, Supra annos, animumque gerat, curamque virilem. *Faciatque viros impubibus annis, Iupiter,* vt vaticinatus fuit Ouidius: cui tam fauerit potentior omni Lege natura, cur non Legem possit transcendere? Hactenùs Leodij nulla specialis super ætate Consulari constitutio, ante nuperam Sereniſſimi FERDINANDI Bauariæ Ducis moderni Leodiensium Principis anno 1631. latam. Visum fuit antecessoribus quod sufficienter prouidissent circa eligendorum idoneitatem à prudentia, rerum vsu,

& se-

& sedatis moribus vndecunque commensurandam, adactis iureiurando Electoribus quòd postpositis priuatis affectibus eos denominarent, qui præ alijs ad publicæ salutis compendium excellerent. Per quod, vt Iunioribus non præcludebant aditum, ita non aperiebant. Princeps FERDINANDVS iustis motus causis quæstionem terminauit, & trigesimum quintum annum præfixit. Ea est quasi media ætas, ad capessendam Rempublicam apta, nec nimio æstuans in præcipitandis consiliis calore, nec torpens frigore, Ætas inter iuuenemque senemque, vis iuuenilis inest. Quam ætatem Solon septem Sapientum non postremus mari ad matrimonium contrahendum indixit, quia Patrisfamilias maturitati conuenit: & Iudicibus suis Romani, quos ex centuriis Equitum sortiebantur. Neutrobi verò Legislatores senectutem etiam decrepitam & confectam ab hoc Magistratu arcuerunt: quia consilio & iudicio res magis gerenda, quàm pedibus, aut manu. Parumque hic nocet senibus. Quod *gelidus tardante senectâ Sanguis hebet, frigentque effætæ in corpore vires.* Excusationem tamen eis septuagenaria ætas donat, si eâ vti volunt. Eorum, qui sese ex eo Leodij excusarunt, nomina fortè in annulo scribi possent Romæ ob minorem quidam causam Magistratũ repudiarunt. Inter quos T. Manlius Torquatus à prærogatiua Centuria Iuniorum Consul iam declaratus, oculorum valetndinem excusauit, impudentem dicitans Gubernatorem qui cum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita & fortunas committi. Romæ Consulatus anno fuit definitus, Bruto instituente ex Seruij Tullij commentariis: neque vlli,

vrgente

vigente Reipublicæ disciplina, continuatus, nisi in extremo rerum discrimine: vt Quinto Fabio Maximo aduersus Hannibalem, bis interpolatim continuatus scribitur. Qua in parte Thebani seueriores fuisse narrantur, qui pœnam capitis in eos statuerant, qui quocunque colore vltra annum prorogarent Magistratum. Non solus verò Consulatus anno terminabatur, sed & reliqui Magistratus, Dictatura & Censura exceptis. Dictatoribus supremum Magistratum obtinentibus, à quibus prohibita erat prouocatio, vltra sextum mensem nefas erat dignitatem retinere. Neque Magisterium Equitum Dictaturâ poterat esse diuturnius, quod Dictator extemplo à sua creatione Magistrum Equitum sibi diceret, cuius potestas in Equites esset, eaque post Dictaturam potissima, vt Tribuni Celerum sub Regibus, & sub Principibus Prætorio Præfecti. De Censoribus, qui Decemviralibus Legibus sunt posteriores, Lex hæc fuit, Censores populum, soboles, familias, pecuniasque censento, Vrbis templa, ærarium, vectigalia tuentor, populique partes in Tribus distribuunto, Equitum, peditumque prolem describunto, mores populi regunto: Probrum in Senatu ne relinquunto: Bini sunto, Magistratum quinquennium habento. Cæterùm per Legem Æmiliam contracta fuit postmodùm Censura, annua, ac postremùm semestris effecta. Leodij non tantùm Annalis est Consulatus, sed quadriennij interstitio intercalatus, interdicto etiam Ciuitati aduersus hanc intercapedinem attentare. Soli scilicet Principi à cuius authoritate potestas Consularis pendet, dispendandi facultate relicta. Extat enimuero Ciuica ordinatio seu totius

corporis Ciuici sub 28. die Octobris 1403, huius tenoris. Statuimus, quod qui Maioribus suffragiis ad munus Consulare Ciuitatis Leodiensis eligentur, solemne iuramentum subibunt, quod intra quatuor continuos annos à fine functi Consulatus computandos, non suscipient iterum Consulatum, etiamsi quadriennio illo durante contingeret eos per Ciuitatem eligi. Ob eam signanter causam, quia non est penes Ciuitatem absoluendi aut dispensandi ab eiusmodi iuramento facultas. Quanta veritatis efficacia, quę à nolente, per imprudentiam, confessionem rei, vt est, extorquet? Ibi Ciuitatenses aliud agentes, daturi statuto suo robur adijciunt rationem, Quia aduersus eam Legem nequeunt dispensare. Ergo de Consulatu disponere ijs non licet, nec Legem desuper dicere: sed ille qui creandi potestatem dedit, Princeps. Ioannes Hynsbergius sua constitutione 1424. ad hoc Statutum respexit, & suum sua authoritate fecit his verbis. Item sancimus & ordinamus, quod iuxta Literam Quadriennij, qui in Consulatu, fuit aut postmodùm erit, non poterit neque debebit ad Consulatum Leodiensem eligi intra quatuor annos à die completæ functionis. Non abs re Principes statuisse existimo, quod Annalis tantùm esset Magistratus & non ante quinquennium repetendus. Romani omnium Gentium in Politicis negotiis prudentissimi, temporarios omnes Magistratus habebant, Vrbanos, Peregrinos, & Militares, ne per authoritatis priuatæ accrementum subiret animus res nouandi. Lege duodecim Tabularum continetur, Eundem Magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito. Ciuitatem Annali

Lege

Lege seruanto. Cui tamen legi Gordianus Imperator derogauit, cum ab honoribus ad eosdem honores quinquennij, ad alios verò triennij vacationem dedit; & cum Legatione perfunctis biennij excusationem & vacationem concessit. Et ob eandem causam, quos administrandis Prouincijs delegabant (nulli enim indigenæ administratio Prouinciæ suæ decernebatur) finito officio ad quinquaginta dies ibidem volebant commorari, cunctis Prouincialibus rationem, si quis expeteret, reddituros, licentia vniuersis data eos capiendi, si ante eam moram recederent. Durante quidem munere, in maiore Magistratu constituti non poterant à quoquam conueniri inuiti: quod ad omnes postea temporarios officiales fuit extensum. Romam deinde reuersi à Prouincialibus iterùm non minùs, quàm à Romanis poterant repetundarum aut aliorum reatuum accusari. Imò quandoque ipsi trabeati adhuc Consules & erectos inter fasces: vt magnus ille expugnatis Syracusis Marcellus, modestia sua tamen maior, qui ab ingratis Syracusanis perperàm apud Senatum absente collega delatus, cum accusationem posset eludere, collegæ aduentu exspectato ne ob id Siculi timidiores essent, vbi is rediit vltro de ijs admittendis retulit, & vtraque parte perorata excessit Curia, quò liberiùs Senatus sententiam ferret. Carthaginienses è toto numero centum Senatores designabant coram quibus Duces & Imperatores bellici rerum quandocunque gestarum causam dicerent. Quid Romanos mouerit ad Annalem Legem ferendam Tiberius videtur expressisse, cum Asinio Gallo Senatore censente in quinquennium Magistra-

tuum Comitia habenda, contrà differuit, Superbire homines etiam annua designatione, quid si honorem per quinquennium agitent? quintuplicari prorsus Magistratus, subuerti leges, quæ sua spacia exercendæ Candidatorum industriæ, quærendisque aut potiundis honoribus statuerint. Atqui non proponebat Asinius duraturum quinquennio Magistratum, sed designationem Candidatorum, qui intra quinque annos succeßiuè forent Consules. Tiberius nihilominùs Proteo inconstantior, omnium primus legem foris inuertit. Sic enim de eo iudicioßus Tacitus, Id quoque morum Tiberij fuit continuare Imperia, ac pleroßque ad finem vitæ in ijßdem exercitibus, aut iurißdictiones habere. Cauße variæ traduntur; alij tædio nouæ curæ, ßemel placita pro æternis ßeruauiße, quidam inuidiâ, ne plures fruerentur, ßunt qui exißtiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium. Hoc loco venit in memoriam quod in ßignũ amplitudinis Magißratus Ciuici Leodienßis paßsim iactatur, quod pro actis aut decretis in Magißratu aut Conßilio, de ßyndicatu nemo teneatur; neque eo nomine quißquam iudicio ßit pulßandus durante aut lapßo Conßulatu. Inque tam ßingularis faßtigij fidem extare pergameneum monumentum, quod magnum Recordium vocant, ßeu à longitudine ßcripturæ, ßeu potius à magnitudine gratiæ & ßplendoris. Fallax eßt Philautia, quæ ßpecie recti ßectatores ßuos decipit. Opilio Vergilianus Vrbem Romam crediderat Paßtoralibus tuguriis ßimilem. Et inuenti ßunt Equißones ita alienatis ßenßibus, qui ßtatis diei cuiußque horis, Cæßaris & Summi Pontificis perßonam agerent arbitris remotis.

motis. Parcam Plebi credulæ si somnia eiusmodi in aures suas inexploratè admittat: mirabor si viri intelligentes ita esse credant. An non foret Regem, & supra Regem esse, nullius censuræ & correctioni esse subiectum? *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Iouis.* Etsi Deus Imperatori Leges ipsas subiecerit, ideoque iis solutus sit, dignum tamen sua Maiestate censet, se Legibus alligatum profiteri. Improbum commentum & ad audaciam ab impunitate impellendam repertum, ne quid inausum aut intentatum sceleris, vbi sceleratorum animos occupauerit, existat. Originem à vero accepisse suspicor, vt crebrò mista cum veris vagantur commenta, & ficti mensura crescit, dum auditis aliquid nouus author adijcit. Vltrà quàm enim horarij & certorum temporum Magistratus interim Induciarum iure gaudent, ne actione Ciuili interturbentur (nam pro crimine, priuatorum lege tenentur, cum reatus omnem dignitatem excludat) in obuio est, quod quisquis nomine dignitatis, aut officij quicquam legitimè, & intra metam agit, non obligetur priuatìm, sed Collegium aut Vniuersitas. Sicùt non sibi, sed Collegio aut Vniuersitati contrahendo & gerendo acquirit. Quæ cum in iure explorata sint, & meticulosiores è populo aut Plebe in Comitiis aliquando præmetuerent, ne vbi desiissent esse de Consilio, à Prætore vel Proprætoribus inquietarentur, à doctioribus congerronibus animabantur, vanum eum metum, quia officij negotium esset, non personæ. Idiotis, luscitiosorum instar colores imperfectè discernentium, subtilitatem iuris à simplicitate non distinguentibus, per manus

& ora transiit, Magistros, Iuratos, & Consilium extra sphæram syndicatus consistere. Quid aliud, quàm aut impeccabiles, aut impunibiles esse ! Æquiùs fuisset, cum Democrito statuere bina Reipublicæ numina, Præmium, & Pœnam, virtutis illud, (quanquàm virtus sibi ipsi præmium, & rectè facti, merces opima feciſſe) hanc vicij precium.

Ad nebulam similitudinis regrediamur. Romæ Consules annuo Magistratu functi nouis creãdis Consulibus Comitia indicebant, designatos à Centuriis aut Tribubus futuros Consules, Candidatos adhùc dictos, propter Candidam togam petitionis symbolum, ipsi sella Curuli sedentes, iureiurando adigebant, quibus veluti carmen præëuntibus Candidati in Leges iurabant. Leodij, non quidem Consules diem Consularibus Comitijs decernunt, quæ Lege stata est vigesima quinta Iulij, verùm attendere deberent, ne ambitione & auaritia prauisque artibus per Tribus seorsùm congregatas peccetur. At postquàm renuntiati sunt Trigintaduumviri, & hi per suffragia in duos nouos concordarunt, Consules voce præconia pro Cancellis domus Ciuicæ iubent publicari, accitos, & præsentibus ijsdem Trigintaduumviris & Vigintiduumviris Commissarijs adiuratos, in sublimiorem & communem secum sellam collocant. Abundè est, inquiet Plebicola, in casses nostros penetrasti : si ita est, quod noui Consules à defungentibus inthronisantur, (sedes namque Consularis à cæteris gradu & forma separatur, vt maiores olim Magistratus sellas Curules habebant) illorum potestas à Principe non dependet. Cui statim replicauero. Imperitus es Dialecticæ, argumentari

mentari nescis. Cæsar supremus est feudorum omnium Dominus, neque tamen vasallos omnes ad fidem adigit, aut in possessionem immittit: Pontifex liberam beneficiorum Ecclesiasticorum dispositionem habet, vsque adeò vt Canonistarum schola doceat respectu Summi Pontificis beneficia quæcunque etiam perpetua reputari manualia & amouibilia subsistente causa; non ideo Pontifex, quibus sacerdotia aut beneficia contulit, possessionem tradit: sat superque est Cæsarea & Pontificia authoritate vtrumque fieri. Principum Leodiensium instituto Consules Noui ab Antiquis ad iusiurandum & Magistratum admittuntur. Ioannes Hynsbergius dilucidè testatus in constitutione sua anni 1424, optimè de Consulari dignitate meritus. Verba eius sunt. Triginta-duumviri in vnum locum seorsim conuenient, inde non recessuri antequam binos nouos Consules concordibus aut maioribus suffragiis elegerint & electos nomine duarum triginta Tribuum offerent antiquis Consulibus, ab ijs de more in fidem seu iuramentum recipiendos.

Fuit in more apud Romanos positum vt pro accepto Consulatu gratias Consules agerent ei cuius suffragio essent creati, hoc est, (libera existente Republica) Populo, & post perpetuam Julij Dictaturam, Principi. Suggestus erat Consularis, quò initio Magistratus conscendere solebant Consules & Populum salutare: eodem iterùm cum deponerent Magistratum: cui suggestui nomen, Rostra, dederunt, eorum basis siue ima, ornata Rostris nauium ex Actiaca victoria. Extat Ausonij gratiarum actio pro Consulatu ad Gratianum, & Mamertini

mertini ad Iulianum Imperatores. Leodienſes Conſules ipſo electionis die in Curia Ciuica Trigintaduumviris Electoribus extemporanea oratione grates agunt, & ſpem iuſtæ adminiſtrationis faciunt. In fine anni, triduo ante Comitia Conſularia toti populo, in conticinio noctis per apparitores plateatim intenta voce in horam ſtatam conuocato, inter Palatium & Ædem Primariam ex feneſtra domus vnius, non tam grates reddunt, quàm ad ſana Conſilia futuris Comitiis adhortantur. Orcheſtra aut ſuggeſtus ad ſolemnem hanc actionem non proſtat: olim ex prominente Palatij feneſtra dicebant, priſcum morem immutatum videmus, cauſam reddere obuium non eſt. Neq; eorum quæ à Plebeis, aut Plebeiorum Magiſtratu aguntur rationem quis facile inueniat, cum ſæpe pro libidine, & arbitrio illorum, gerantur.

An etiam Candidatorum remotam ſaltem affinitatem aliquam reperiri dicemus? Candidati erant qui Magiſtratum petebant, à candida veſte vt diſcernerentur: qui abſque interiore tunica in forum deſcendebant, quò promptiùs cicatrices vulnerum pro Republica exceptorum oſtenderent, Ciuiumque dextras amplectentes benignis eos verbis orabant. Prece ergò, non precio agebatur, propoſitâ Lege, Donum ne capiunto, ne danto, neue petendâ, neue gerendâ, neue geſtâ poteſtate. Hactenus in Leodini Magiſtratus petitione non legi veſtem fuiſſe ideò mutatam, neque pullam à murrina diſcretam: at bene Vigintiduumviros Commiſſarios ſtata annua ſub appropinquans Comitiorum tempus ſupplicatione in eundem locum conuenire ſolitos, vnde pertranſeuntia Tribuum Collegia iuſpicerent, & mutua

præter-

prætereuntium comparatione Trigintaduumviros futuros Electores animis & oculis præconciperent. Forma insuper iuramenti à Consulibus præstandi per Hynsbergicam ordinationem designata, crimen ambitus procul remouebat, nisi quidam optimis Legibus, iuxta Anaxarchis augurium vterentur, quemadmodum muscæ aranearum telis. Quia (inquit) compertum est Reipublicæ corruptionem vt plurimum à corruptelis ambientium, precum importunitate, potu, muneribus & promissis, Consulatum procedere, Lex in futurum esto, In Consules electi ante omnia coram defungentibus Consulibus & Consilio, solemni iuramento adstringuntur: quod nec dederint, nec promiserint, daturi promissuriùe sint mortalium vlli per se aut interpositam personam, triobolum, aut triobolo æquipollens.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

An Consules Leodienses habeant Armatam familiam.

DE Romanis Consulibus qui idem inquireret, historiam ne à limine quidem salutasset. Regia ijs erat, vt sæpiùs indicaui, potestas, sed annua, & Regij tituli expers. En tibi adhùc ad hanc rem verba priscæ legis, Consules militiæ summum ius habento. Cui ergò, si non Consulibus, ius armatæ fuisset familiæ? Hìnc ad munimen ornamentumque dignitatis, Consulem anteibant duodecim Lictores, cum totidem fascibus & securibus. Vbi Prætores senis fascibus, securibusque senis

tantùm, vtebantur: nisi cum Consulari Imperio quoquàm mitterentur: tum enim quasi Consules, duodeni Lictores, fascibus & securibus instructi, ipsos comitabantur. Singuli Consules Leodienses habent quinque apparitores perpetuos, gladiatos, quos Secretarios nuncupant, nullius tamen participes secreti, fascibus & securibus abstinent, quia neque fustigatione, neque capitis ademptione possunt in quenquam animaduertere. Prætor seu Villicus incedit duodecim satellitibus stipatus, secures seu bipennes gestantibus: est enim Principalis iurisdictionis administer, & Scabinalis Tribunalis Præfectus. Quæro isthic nùm Consules habeant armatam familiam, non an de facto habeant, aut aliquando habuerint, sed vtrum ius armatæ familiæ ijs competat. Nam haut me fugit primum omnium Consulem anno 1254. armatæ seditionis Ducem fuisse, & nuperrimum Plateolam armato satellitio stipatum, arma, cædem & sanguinem exspuisse, & combibonibus suis pro symbolo arma præscripsisse, quasi Clodium Albinum imitaretur, quem adhuc puerum ferunt in scholis sæpissimè cantasse inter condiscipulos.

Arma amens capio, nec sat rationis in armis,
Arma amens capio,

Et Pileatorem Plateolæ hodiernum successorem latus ijsdem latronibus (olim laterones vocabantur) habere tectum. Sed si mucroneum illud sepimentum esset veræ authoritatis signum, Peregrinus, vtriusque incentor, & Paris Troianus, qui nebulonum Sclopetariorum cohorte vallatus quotidie incedit, ius haberet familiæ armatæ per Leodiensem Ciuitatem. Eâdem fraude tyrannidem

nidem Leodij exercens, quâ Pisistratus Athenis primò satellitium, prætextu insecuritatis ab Optimatibus, sibi parauit, deinde Regnum. Negatiua igitur esto: Ius manus armatæ penès Consules nunquàm fuisse. Placitum est Philosophorum, Deum & Naturam nihil operari frustra: & Iurisconsultorum, artem Politicam, quæ est naturæ æmulatrix & imitatrix, à superfluo abhorrere. Quem in vsum id Iuris infusum aut datum fuisset Consulibus? Cum mero mixtoque & omni Imperio careant, criminum Reos coërcere, imo nec apprehẽdere queant, nisi in carceres Principis deducendos: cum belligerare nisi pro Principe & sub Principe possint, cum custodia Ciuitatis ad Principem & eius Ministros spectet? Quæ singula distinctis capitibus sequente Libro pertractare proposui. Quod si in Ministerium & opem Principis, Ecclesiæque tendere dixeris, non longè aberraueris, dum eo ipso fatebere ius Principis esse, non Consulum aut Ciuium. Vt arma sumant & ponant quoties ille maturo consilio iusserit. Speciosum & arduum est argumẽtum, quod ex Decemvirali Cohorte in Lite Spirensi ad præsentis quæstionis offuciam offunditur. Cohors est Decemvirûm ex singulis Operis collectorum, seu Denarius numerus Ciuium bis & trigesies multiplicatus. Tantam armatorum multitudinem in custodiam corporis deputari Consulibus? quantum authoritatis fastigium? Romulus trecentos Equites, Celeres dictos delegit. Scipio Africanus non pauciores, sed fortissimos quosque, qui ab eo in bello non discederent, & alio militiæ munere vacarent, aucto stipendio assumpsit, quem deinde alij Romanorũ Duces sunt secuti. Iulius Cæsar

in corporis tutelam Hiſpanos habuit, ſed ſatiùs dicens ſemel ſuccumbere, quàm continuò pauere & cauere, amotis cuſtodiis, Bruti & Caſſij coniurationem maturauit. Succeſſores, Germanorum cohortem ad cuſtodiam corporis inſtituerunt, quam Galba per auaritiam aut nimiam ſecuritatem ſine vllo commodo in Patriam remiſit, ipſe vitam amiſit, fideliſſimis ſtipatoribus deſtitutus. Subducamus velum, & quod eſt intueamur. Vici Ciuitatis in Centurias ſunt diſtributi, quibus incumbit ad portas & mænia excubare, ſi quid aut eſt aut metuitur periculi. Et quia Baſilica ſeu domus Ciuica ab antiquo ſolita eſt per Vigiles eodem tempore cuſtodiri, tanquàm in Vrbis medio & centro ſita, & cuius conſeruatio ad ipſius Vrbis tuitionem facit, è ſingulis Tribubus delecti ſunt decem, qui aliarum immunes excubiarum, in illius Baſilicæ atrio vigilarent. Si quid ſubitarij tumultus exſurgit, quia magis ſunt ad manum, & in Baſilicam Conſilium aduocatur, eodèm iubentur armati conuenire, velut Ciuicæ domus cuſtodes. Quam cohortem non eſſe familiam Conſulum, neque iis armatam vllam manum è ſatellitio eſſe debere, mecum ſentiet, qui Popularem manuſcriptum Codicem toties hoc Libro citatum, Pactaque & concordata penſitatè expendet.

Inter ea quæ Prætoris ſeu Villici Leodienſis munus & dignitatem concernunt ita verbis conceptis traditur, Ad Prætorem ſingulariter ſpectat conſtituere per Ciuitatem Leodiẽſem ad illius cuſtodiam & ſeruitium, duodecim Apparitores armatos & bipennibus inſtructos, noctu & interdiu per Ciuitatem incedentes. Tempore

Adolphi

Adolphi de Marka Episcopi, Ciuitatenses sub seditionum suarum vmbone quodam, affectabant Principis eiusue Prætoris eo in puncto authoritatem, vt quartus articulus Pacti vel Pacis de Floenne 1. Iunij 1330. palàm ostendit. Est autem iste, Item dicimus & pronuntiamus, quod Ciuitatenses tenebuntur amouere Apparitores si iam eos non amouerint, quos deputauerunt ad Vrbis custodiam, quodque posthàc Prætor Principis debebit custodire Ciuitatem pro solito & prisco more. Articulus est sententiæ arbitralis per Libertum de Landris, Franciscum de Milan & Ioannem Gasdem pro parte Adolphi Episcopi, & Antonium de Berginlet, Andream de Freris, Nicolaum Sampson ex parte Consulum, Iuratorum & Communitatum Ciuitatis Leodiensis, Oppidorum Hoyensis, Dionantensis, Fossensis, Tungrensis, Trudonensis, Tudinensis, ijsdemque adhærentium, arbitros assumptos promulgatæ. Non quod præmemorata Oppida de quoquam controuerterent; omnes enim articuli in Ciuitatem tendunt, & nullus vllum Oppidum concernit. Vnde grauitas excessuum solorum Leodiensium hoc etiam nomine proditur, qui per occasionem turbarum, soli, Principis proprij iura temerare & vsurpare nitebantur. Ordinatio, vulgò Regimentum Ioannis Hynsberghij (Nouus Iactus pariter apellatur) de mense Februario 1422. Magistris, Iuratis, Consilio & Vniuersitate Ciuitatis assentientibus in idem conducit. Cuius primo articulo statuitur, Nemini licere, cuiusuis ille fuerit conditionis, diurno aut nocturno tempore portare aut gestare in dicta Ciuitate gladios, secures, hastas, tela aut aliud

armorum genus præter Prætorem noſtrum, Magiſtros, Scabinos dictæ noſtræ Ciuitatis, illorumque Clericos (ſeu ſcribas) & famulos, Conſiliarioſque noſtros, & quotquot ſunt de familia noſtra continui commenſales, Curiales concoloribus familiæ noſtræ induti veſtimentis. Et in contrauentores ſeueræ tertio, quarto & quinto articulis pœnæ imponuntur. Solus ergo Princeps ius armatæ familiæ habere dignoſcitur, cum ei ſoli attribuatur & reſeruetur: & ſicut Scabini & Conſiliarij Principis, qui paris ibidem conditionis proponuntur, non habent armatam familiam, ita Conſules ſibi eam nequeunt arrogare.

In aduerſum forſitan obijcietur, in confeſſo apud nos eſſe, quod Prætori armatum ſatellitium competat, & eo quotidie ſtipari in publicum prodeuntem: Et ius manus armatæ penes Scabinale Tribunal eſſe, quod meri & mixti Imperij poteſtatem iudicialem exercet. Ad vtrumque parata eſt replica. Bis ſeni Apparitores Prætoris, ſymbolis familiæ Principis veſtibus tecti ſunt, & iuxta antedictam Hynsberghij ordinationem licebat iis arma geſtare. Scabinorum Tribunal, ordinarium in Ciuilibus & Criminalibus Iudicium Principis, meri, mixtique Imperij poteſtate fungitur, ideoque ius armatæ habet familiæ in rerum ſuarum iudicatarum executionem. Et Officialis Leodienſis, qui ex conſuetudine immemoriali (per quam, iuriſdictionem etiam dari & acquiri compertum eſt in iure) non ſolùm Eccleſiaſticarum & ſpiritualium cauſarum, ſed ciuilium & criminalium cumulatiuè Iudex eſt legitimus, idem ius ſententias ſuas per brachium ſæculare exequendi poſſidet.

fidet. Quem in effectum certus est satellitum Iudicialium, quos Crenkenarios vocant, numerus, qui iudicatis resistentes, per forium effractionem & resistentium capturam, vi armata compellant. Verùm de eiusmodi familiâ non hìc disceptamus, quam Consulibus non competere ex hoc certum est, quod Magistratui Ciuico vetita sit criminalis cognitio, & quæcunque ciuilis, exceptis pauciſſimis casibus inter conciues, in fœdere Tungrensi enumeratis. Territorium non habet, quod est in solidum Principis & Ecclesiæ Cathedralis, & cum solus ille Iudex habeat facultatem immittendi in possessionem, sub cuius territorio bona sunt sita, & Iubere possidere sit mixti Imperij, is Magistratus nec in possessionem mittit, nec mitti iubet: hæreditatum, bonorum, & possessionum cognitione ei per Tungrense Pactum interdictâ. Pœna in immorigeros & parere in casibus illius notioni permissis detrectantes, est interminatio & irrogatio priuationis Ciuicorum Priuilegiorum, non vlterior, quæ ad recedentes è pomærio non extenditur. Quam pœnam Albanitionem suo idiotismo dicunt. Proinde Scabinorum Collegium familiam armatam Iudicialem, non verò extraiudicialem habet, Magistratus Ciuicus neutram.

Verùm incredibilia & sensibus ipsis repugnantia eloqui me aliquis è Plebe opponet. Quid enim statis anni solemnitatibus prodeunte ad publicas supplicationes Magistratu facit longus ille ordo purpuratorum seu Paludatorum vnicolorum Ciuitatis insignibus amictorum, qui cum secretarijs decem anteëunt Consules accincti gladiis? an ea familia non est armata? & qui iis armatis

stipan-

ſtipantur familiam non habent armatam? Magnus equidem & ſplendidus eſt ijs diebus præſertim, Conſulum comitatus: puta Bombardariorum, & Portariorum qui vltrà ordinarios Apparitores ſeu Secretarios antecedũt, vbi Syndici, Scribæ, Receptor, Centuriones Decemvirûm & Præfectus armamentarij omnes ſymbolâ Ciuitatis penulâ tecti Conſulem proximè ſequuntur. Non ideò tamen ius iis armatæ familiæ euincitur. Ad ſplendorem & pompam per eos id fuit introductum. Quia Bombardarij, id eſt qui maiorum tormentorum bellicorum curam habent, illorumque Præfectus, Portarij, quorum onus aperire & claudere demandatas portas, non minùs quàm cæteri ſuprà memorati, è publico ſtipendium accipiunt, & ob hanc ipſam actionem, ſtipem peculiarem merent, non immeritò, vt integræ olim clientelæ priuatos etiam patronos honoris ergò comitabantur, Conſulibus tunc præſto ſunt, & eos honore honeſtant. Quî autem fiat, quod Bombardarij, Portarij, & Secretarij antecedant, cum inferiorum & famulorum munus eſſe potius videatur ſequi, quàm præcedere, nonnullus curio inquiret. Conſimilem quæſtionem mouent Canoniſtæ quoad virorum Eccleſiaſticorum collegia, ex quâ ſcilicet causâ in proceſſionibus, Capellani Canonicos, & iuniores Canonici ſeniores Canonicos, Archidiaconos, Decanumque & Præpoſitum anteëant: eamque vltrà alias reddunt, vt Prælati in præcedentes, tanquam Paſtores in proprium gregem inſpicere poſſint, & cum curâ aduigilare. Memini certè Protodecanum Maioris Eccleſiæ præcurſoriam illam ægrè tuliſſe, quaſi iſtiuſmodi ornatus, & concolorum ante-

anteambulonum tractus, dignitatis Consularis cancellos transcenderet, & suo aliquandò tempore à Magistratu in aliquod singulare decus posset detorqueri. Ego in hac sum sententiâ, quod talis consuetudo, vetus an recens sit non disputo, inualuerit ad imitationem Collegiorum Ecclesiasticorum tam Regularium quàm sæcularium, in quibus Consules cernebant Oblatos, Nouitios, Iuniores & reliquis Ordine sacro aut dignitate inferiores, ante digniores ijsdem in supplicationibus progredi, ideoque in consonantiam idem obseruasse. Nisi penitiore altioreque ratione impulsos sentias; vt pro dignitate ordinem inter suos Statuerent. Cum namque locus ille dignior reputetur, qui magis ad dignos accedit, & qui proximè sequuntur sint Ecclesiasticæ personæ sæcularibus indubiè digniores, quò viciniores fierent Ecclesiasticis, famulatum illum præire iusserunt. Sed secunda ratio non foret vniuersalis, quandoquidem nonnunquàm Magistratus Ciuicus Ecclesiastici nominis virorum Collegia subsequitur. Quanquàm quod semel ex vnâ causâ incipit, persæpè absque eâ continuatur. Quicquid sit, apparatus ille Paludatorum, non est iuris armatæ familiæ efficax indicium. Omnibus etiam minoribus Magistratibus olim ius erat prætextæ, quibus non ideò ius familiæ armatæ.

Valerius Consul in oratione quâ aduersus Legem Oppiam & M. Porcium Catonem collegam disseruit, clarè ostendit: Purpurâ, inquit, viri vtemur, prætextati in Magistratibus, in Sacerdotijs; liberi nostri prætextis purpurâ togis vtentur: Magistratibus in Colonijs, municipijsque, hìc Romæ infimo genere Magistris vico-

rum, togæ prætextæ habendæ ius permittemus, nec id vt viui solùm habeant tantum insigne, sed etiam vt cum eo crementur mortui, fæminis duntaxat purpuræ vsu interdicemus? Et cum tibi viro liceat purpurâ in veste stragulâ vti, matrem familias tuam purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus speciosiùs instratus erit, quàm vxor vestita? Porrò paludamenta & purpureas prætextatasque vestes Magistratus in publico luctu deponebant (sicut alij in priuato mœrore, aut dum Rei fiebant: nam tum sordidati togam mutabant). Quò respexit Lucanus

——— *Ferale per vrbem*
Iustitium, latuit plebeio tecta amictu
Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.

Iterùm insistet contradictor, me fortiùs nodum nectere, dum studeo dissoluere: sic imprudentes vicia aliqua declinantes incurrere in contraria. Si enim catapultarum & machinarum ignitarum Ciuitas Leodina ius habet, & artifices aut Peritos eiaculandi stipendiarios, quid attinet obstinatè inficiari ius satellitij armati? In maiore enim, iuxta vulgatam Legum regulam, inest minus, & cui plus licet, non vetatur minus. Et maiora tormenta bellica quæ Leodij extant esse Ciuitatis, inde probari, quia pleraque Consulum iussu & publico sumptu confecta sunt, & Magistratus de ijs tanquàm publicis disposuit & sua nonnunquàm insignia apposuit. Quemadmodum anno 1579. obsesso per Alexandrum Farnesium Parmæ Principem exercitus Regis Catholici Ducem Traiecto, magna catapultarum ignitarum

tarum pars (in totum erant quatuor & quinquaginta maiora tormenta quæ in obsessos explodebantur) commodatò ab Vrbe Leodiensi fuit accepta.

Quem scrupulum amoueo. Vrbs, vrbisque custodia & muri sunt Principis, vt iam ante ex parte docui, & secundo Libro sum confirmaturus. Catapultæ igitur & tormenta in defensionem Vrbis comparata, etsi ærarium Publicum sumptus, aut Consules curam impenderint, ad Principem & Dominum Vrbis pertinent: cum in gratiam Vrbis, eiusque tuitionem sint procusa. Fatetur id schola Iurisconsultorum aientium, eiusmodi machinas, quæ ad perpetuum arcium aut Oppidorum vsum, & munimen habentur, pro immobilibus reputari, & Domino arcis Oppidiue cedere. Neque anno 1579. vim illam Æneorum Tormentorum Magistratus Leodiensis Duci Parmensi commodauit, sed Princeps Gerardus de Grosbeeck S. R. E. Cardinalis Eminentissimus, cuius tanquàm Principis Leodiensis, & ea in qualitate pro indiuiso cum Duce Brabantiæ Traiectũ ad Mosam possidentis, intererat, suum illud Oppidum reassererе in manum, & in priscam, Nouatoribus expulsis, vendicare libertatem. Magistratus ipse perlubenter in rem illam consensit, ijsdem rationibus inductus, præhabita restitutionis commodatarum machinarum securitate. Assensus perquisitus fuerit, tam solitâ humanissimi Principis solertiâ subditorum animis se insinuantis, quàm quòd non esset æquum ijs inconsultis aut sanè inuitis instrumentum bellicum ad communem Ciuitatis Ciuiumque salutem asseruatum foràs prodire: &, vt incerti sunt Martis euentus, periclitari, aduersanteque

fortunâ iacturam amissorum armorum nouis suis expensis supplere. Ciues namque, & incolas in submini-strationem eius generis instrumentorum, æquè ac Vrbis propugnationem teneri conferre persuadeor. Rescriptum est Imperatorum Gratiani & Valentiniani, Ad portus & aquæductus, & murorum instaurationem, siue extructionem omnes certatim factâ operarum collatione instare debent, neque aliquis ab huiusmodi consortio, dignitatis priuilegiis excusari. Necnon Arcadij & Honorij ad Cæsarium Præfectum Prætorio, Omnes Prouinciarum Rectores literis moneantur, vt sciant ordines atque incolas vrbium singularum muros, vel nouos debere facere, vel veteres firmiùs renouare: scilicet hoc pacto impendiis ordinandis, vt adscriptio currat pro viribus singulorum; deinde adscribãtur pro æstimatione operis futurâ, territoria ciuium, ne plus poscatur aliquid quàm necessitas imperauerit, neùe minus; ne instans impediatur effectus. An iure aliqui aliquandò Consules procusis Machinis priuata sua insignia incidi fecerint, an verò inter vsurpationes id sit accensendum, non vacat impræsentiarum indagare. Formidabile est Theodosij, Arcadij, & Honorij Augustorum fulmen ad Rufinum, Si qui Iudices perfecto publicis pecunijs opere suum nomen sine nostri numinis mentione inscripserint, maiestatis teneantur obnoxij. At insatiabile quosdam tenet apparendi cacöethes, qui nomen suum quibuscunq; operibus præfigi exardeant, herbæ Parietariæ titulo non indigni. Nempe vt pronepotes per nebulam intelligant eos in dignitate tantillùm vixisse. Quos vmbram pro corpore sectantes, digniores

niores commiseratione quàm inuidia existimauerim. Aliter Cato superior, qui in tanto Statuarum alijs viris erectarum numero (nam aureæ, argenteæ, eburneæ, æreæ, marmoreæ, curules, equestres, pedestres Romę visebantur) cuidam interroganti, quid ita statuam cum alijs non haberet, respondit, malle quæri cur non meruisset, quàm mussitari ob quam causam obtinuisset. Quod si apud Athenienses licuisset Magistratui publicis operibus nomen suum apponere, Pericles ab ijs iratis in concionem vocatus ob nimiam pecuniæ vim in opera & ornatum Vrbis impensam, non obtulisset conditionem, priuatim sibi ferre quæcunq; expensa, modò nomen suum priuatum ijs inscriberetur. Vide interim in toto populo magnitudinem animi, qui impendia cuncta è publico maluit depromi, quam nomen Periclis inscribi. Ad has minutias insperato diuertit calamus, & sat oportunè. In suo enim processu Spirensi, pro re magna proposuit Ciuitas, quod tormenta bellica cudat & recudat, de quibus arbitratu suo disponat. Quo alio fine quàm vt fumum faciat alicuius Iuris armorum, quod est è primis Regalibus? Atqui impressio signorum & nominum Magistratus, vsurpatur seu contorquetur in Dominij demonstrationem, ad eum ferè modum quo merces internoscuntur ex impressis signis quorum sint mercatorum. Sed vt in mercimoniis, nota mercatoris non est idonea & plena probatio ad arguendum, quod merx illius sit, cuius signo notatur: quod interdùm alterius signo, de eius consensu quis vtatur & alienæ rei alter suum apponat signum inscio absenteque Domino, vel nonnunquam indatur non in Domi-

nij fidem, sed in nudam rei agnitionem: Multò minùs Consularia, vel Ciuitatis insignia in æs Catapultarum incisa, aliquam directi Dominij aut Iurisdictionis scintillam produnt. Vel enim absente aut ignaro Principe insculpta fuerunt, vel vt inde discernerentur, & commodatò traditæ Machinæ, aut alio casu penès alios repertæ ex deprehensis notis repeti possent, aut denique ex adscriptis Consulum binorum nominibus, sciretur procusionis tempus. Sicuti apud priscos Romanos pangebatur clauus, & ex impactorum numero clauorum, numerus discebatur annorum. Nam quoties alia sumi potest coniectura, vel absente Domino signum inijcitur, cessat præsumptio Dominij etiam inter mercatores ex plano & æquo agentes, quæ ex impressis aut incisis signis resultaret. Amabò, Opificibus Princeps permittit Leodij sclopetorum, ensium, hastarum, galearum, loricarum, & integumentorum militarium fabricationem, ideonè Opifices ius habent armorum? Imperatores olim vt non cuiuis curam, opusve fabricandorum armorum concedebant, certum tamen genus hominum ad id peculiariter habebant: quos publicis fabricis alligatos, à fabricandi peritia, ac non vulgari industria conficiendorum armorum apellabant fabricenses. Quibus interim iuxta Arcadij & Honorij constitutionem stigmata inurebantur siue in seruitutis indicium, siue vt à cæteris artificibus dignoscerentur. Constantinus Cæsar in Cremonensi solùm municipio fabricenses, ad id opus tantùm assumptos vt fabricam armorum exercerent, habuisse commemoratur. Agesilaus non tantùm Ærarios & Ferrarios Fabros Ephesi arma cudere voluit,

sed

sed & Lignarios, & Coriarios, & Fullones. Et apud Romanos, Vegetio teste, Legio habebat Fabros Lignarios, Structores, Carpentarios, Ferrarios, Pictores, reliquosque artifices ad Hybernorum ædificia construenda, ad machinas, turresque ligneas, cæteraque quibus Oppida vel oppugnantur vel defenduntur. Seruius Tullius qui censum, rem saluberrimam, instituit, ex ijs, inquit Liuius, qui centum millium æris aut maiorem censum haberent, octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum (prima classis omnes apellati) seniores ad vrbis custodiam vt præsto essent, iuuenes vt foris bella gererent. Arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære: tela in hostem, hastaque & gladius. Additæ huic classi duæ fabrûm Centuriæ, quæ sine armis stipendia facerent, datum munus, vt machinas in bello ferrent. Cusio igitur & recusio ignitarum Catapultarum perperàm fuit Spiræ articulata in iurisdictionis argumentum. Maximè, quia iussu, imò expressâ Lege Principis actitatur. Vigesimus sextus articulus Constitutionis Hynsberghicæ 1424. in eam rem est dilucidus, Publicorum prouentuum Quæstor idoneus, quamdiu officio rite fungetur, idem esto. Is quotannis coram binis Consulibus, quatuor Consiliarijs, Trigintaduumviris, & Tribuum Deputatis rationem receptorum & impensorum reddito. Residua, si quæ supersint, in Tormentorum bellicorum confectionem, actutum Erogantor.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Vrbi Leodienſi nullam Iuriſdictionem competere.

SPartanus de Lacedæmoniis finibus interrogatus dixit, quò iaculi ſpiculum pertingere poſſet, fines eò protendi. Veriùs de Leodienſis Magiſtratus iuriſdictione quæſitus dixerit, nullam alibi, nec aliam eſſe quam vſurpatione paratam: Nullum ius, ſi quod habet, niſi ab iniuriâ metiri. Naſcenti Vrbi nullum adnatum fuiſſe imperium, ignarus & doctus iuxtà ſciunt. Si naturam inſpicimus, omnes ea liberos homines fecit, vis dominos & ſeruos diſtinxit. Nec tamen vt mutis animantibus natura diues & præpotens peculiares ſtatim dotes indidit, ita humano generi virtutem ingenerauit; ſemina tantùm impreſſit, quæ per animorum culturam foràs prodire & adoleſcere poſſent, Leo vngues, aper dentes, cornua taurus armorum vice ſunt ſortiti, nendi

& mellificandi induſtriam, bombyx & apicula. Videmus etiam pares telas aranearum, par in fauis apium angulorum omnium foramen. Ex æquo venit, quod natura diſtribuit, Inæquale eſt quicquid ars tradit. Ius commune non eſt hac in re in Vrbes aut Ciuitates, munificentius: quo proditum eſt penès nullam Ciuitatum vel Vrbium meri mixtiuè imperij quicquam ineſſe, niſi priuilegio aut præſcriptione legitima comperiantur acquiſiuiſſe. Vrbem vrbium Romam, iuxta legem primam in Digeſtis, De Officio Præfecti Vrbi excipiunt Doctores, à quaſcaturigines iuriſdictionum ductæ; & Longobardiæ Ciuitates quibus per Pacem Conſtantiæ merum mixtumque imperium fuit conceſſum. Addo non inferiori iure plurimas in Germania vrbes, quibus aut ex Cæſarum beneficio aut ex vetuſtiſſima poſſeſſione, poteſtas vtraque conuenit: quæ nec immerito inter Status Imperij computantur, & cum alijs ordinibus ſeſſionem in Comitijs habent. In reliquis vbi priuilegium, & æquiualens priuilegio inueteratum tempus abſunt, regula communis quæſtionem decidit. Ciuitates enim, & vrbes, (quæ pro eodem hîc accipiuntur) priuatorum loco habentur, inquit Caius Iuriſconſultus ſub titulo de verborum ſignificatione. Quod non eo ſenſu tantùm accipi velim quo pridem inter famoſos Iuriſperitos Lotharium & Azonem emanauit diſputatio. Dum Lotharius apud ſolum Principem contendebat merum reſidere Imperium, & Azo illud etiam cæteris Magiſtratibus à Principe ad capitalia inſtitutis proprium eſſe profitebatur. Altercatione eò vſque erumpente, vt, Henrico Romanorum Rege in id tem-

poris

poris Bononiam aduentante, vterque ex sponsione equum apud sequestrum depositum, Regemque quæstionis legitimum deciſorem adiuerit; quem ferunt pro Lothario pronuntiasse, eidemque tanquàm victori ex conuentionis lege equum cessisse Azonis: non pro omnium tamen voto: cum & tunc & diu postea in fabulam scholasticam in æquiuoco abiuerit, Lotharium quidem abstulisse equum, sed Azonem tenuisse æquum. Illa enim disceptatio circa merum iuris apicem & subtilitatem vertitur, & perplures adhuc hodie, prout olim, victo Azoni adhærent. An scilicet ius ipsum meri imperij in solo Principe resideat, Magistratibus non nisi nudum meri imperij exercitium obtinentibus, vt erat Lotharij sententia: an verò ipsum etiam ius illius potestatis competat Capitalium rerum Magistratibus. Neutro namque modo, neutrum imperium, merum mixtumue, Ciuitatibus ex iure communi competit. Vnde lis illa celeberrimorum Iuris Antecessorum, in solos Scabinos, Principis Prætorium, quadraret: an Princeps solus habeat ius meri Imperij, & Scabini ipsius Iudices, vsum & exercitium illius duntaxat. Equidem ex ijs quæ præcedente Libro circa Leodiensis Vrbis constitutionem operosè examinauimus, notum euasit, quod Leodium ante Diui Huberti tempora non extiterit, & conditor in oppidum conditum iurisdictionem habuerit, iurique dicundo, Pares, Scabinos & Allodiales Iudices instituerit, quorum tribunalia adhuc vigent. Proinde si Magistratus Ciuicus potestatis aliquid obtendit, doceat quando à quo & quemadmodum acceperit. Nam cum duæ sint iurisdictionum

ſpecies, vna ordinaria, altera delegata. Hæc quæ à delegante datur & dependet: illa quæ à lege, Principe, vel Republica conceditur. Si delegatam exiſtimat, delegantem edat neceſſe eſt. Sin ordinariam; vbi eſt toto Corpore Iuris, Lex aut ſanctio vlla quæ ei iuriſdictionem tribuit? Quin potiùs non leges tantùm, ſed integri tituli in Iuſtinianæo Corpore compilati, De defenſoribus Ciuitatum, de Decurionibus, de Magiſtratibus municipalibus illam denegant. Vel quis Princeps aut Imperator, cuius in ea conferenda liberalitatem eſt expertus? A Republica enim deriuaſſe non potuit, cum illa poteſtatis expers, Conditorem & Conditoris ſucceſſores in veros Dominos recognouerit: & ex trito adagio, Nemo det quod non habet. Conſtat deinde Ciuicum Magiſtratum poſterioribus tantùm ſæculis incepiſſe, & ſic antequam eſſet, non habuiſſe iuriſdictionem, quod Non entis nullæ ſint qualitates. Conſtat itidem quod quo natus eſt iſte Magiſtratus anno, nempe 1254, per meram tyrannidem aduerſus legitimum ſuum Principem inceperit. Atqui priuatorum pactis non acquiritur iuriſdictio: & quæ per vim geruntur, adeò irrita ſunt vt ne confirmatione quidem Principis queant conualeſcere. Imò, quod miremur, violenta quantumuis principia ſpeciem retinuere pudoris: neque Henricus ipſe de Dionanto primus Dæmagogus, neque illius inſipidi tunc impulſores nouo huic excogitato muneri micam iudicialis authoritatis tribuere auſi; infirmiorum quendam protectorem duntaxat eſſe voluerunt. Et quia exploratum eſt Scabinos fuiſſe inuentores & architectos huius præcipitati officij, lubet credere

credere quod legum iuriumque periti, ad exemplum Defensorum Ciuitatum in iure Romano notissimorum, Burgimagistros introduxerint. Quæ cura defensoribus illis incubuerit, & quam arcta potestas, Valentinianus, Gratianus & Theodosius Cæsares Theodoro Defensori perscribunt, Imprimis parentis vicem plebi exhibeas, descriptionibus rusticos vrbanosque non patiaris affligi, Officialium insolentiæ, & iudicum procacitati (salua reuerentia pudoris) occurras, ingrediendi cum voles ad iudicem habeas facultatem, superexigendi damna vel spolia plus petentium, ab ijs quos liberorum loco tueri debes, excludas. Vtili ratione perspectum est (vt ijdem rescribunt) vt innocens & quieta rusticitas, peculiaris patrocinij, id est Defensoris locorum beneficio perfruatur. Et Valentinianus ac Valens Senecæ etiam Defensori, Si quis de tenuioribus, & minuscularijs rebus interpellandum te esse crediderit, acta conficiat: Cæteras verò quæ dignæ forensi magnitudine videbuntur, ordinario insinuato rectori. Non minus apertè Iustinianus noster. Hoc Defensorum nomen (inquit) demonstrat antiquitatem aliquos præposuisse rebus, quatenùs ex omni eas iniustitia vendicarent liberas. Et propter hoc paternâ voce Defensores eos vocamus, quatenùs eripiant à malis iniustitiam patientes. Hoc autem Defensorum nomen valdè conculcatum est multis nostræ Reipublicæ partibus, & ita contemptum, vt in iniuria potiùs, quam in qualibet iaceat honestate. Ita ille. Qui Defensores ex honestissimis & optimis erant eligendi, & aliquantùm à municipali Magistratu & Decurionibus differebant,

neque è decurionatu assumebantur. Andræas Alciatus studiosus antiquitatum indagator scribit ternos fuisse defensores, cum Burgimastri Leodienses sint bini. Licet autem Iustinianus clarè disponat Defensoribus non licere quicquam eorum, quæ iurisdictione egent, & ex ipsâ iudicum authoritate pendent, non abnuit nihilominùs posse eos iudicare in causis pecuniarijs vsque ad aureos trecentos, apellatione tamen ab eorum sententia ad Prouinciæ Præsidem permissâ. Ampliùs posse leuiora crimina audire, & eos qui in maioribus criminibus capiuntur, id est in flagranti crimine deprehenduntur detrudere in carcerem & mittere ad Præsidem. Quod Burgimagistrorum institutioni perperam applicaretur: quibus nec Scabini poterant iudicialem vel in minimis distribuere notionem, nec volebant, propriæ tenaces authoritatis, quam per hos Dæmagogos auctum aut seruatum ibant, nequaquàm verò imminutum. Videndum igitur num ex priuilegio aut præscriptione potestatem sint consecuti. Priuilegia in facto consistunt, & sunt de genere earum rerum, quæ per scripturam debent probari. Illorum etiam interpretatio seu principaliter seu incidenter agatur, ad Principem pertinet. Eorundemque concessio intelligitur fieri citra præiudicium tertij: Et reuocanda sunt quoties ex post facto nociua & noxia inueniuntur. Gratiamque & priuilegium meretur amittere, quisquis concessâ abutitur potestate. Tot sunt Legum & Iureconsultorum dogmata: quibus peruincitur, si se in priuilegiis & concessionibus Principum fundent, edere illa & proferre teneri: & Principem maturè dispicere posse iusta

an

an iniusta sint, vtilia an noxia, & quocunque casu num suis excessibus & corruptelis, sese fauoribus præbuerint indignos. Addo Principem sæcularem, multo magis Ecclesiasticum, non posse alienare aut alteri concedere iura aut bona Principalis suæ authoritatis. Certè quantum priuilegiorum Leodiensium legi, nullum vidi quo aliquid iurisdictionis Ciuico Magistratui videri possit concessum. Pacta fortè (de quibus postea seorsim tractabimus) multis cædibus & diuturnis seditionibus extorta aliquam sub incerta luce vmbram ostendunt alicuius bassæ iurisdictionis inter certas personas in paucis casibus ijsque ciuilibus tantùm, toleratæ. In medio relinquo an quæ vi & armis ab inuito suo Principe immorigeri subditi eripiunt sua faciant, & successores Principes ijs alligentur Pactis. Venustum de tonsore Martialis epigramma occurrit

Quid si me tonsor dum stricta nouacula supra est
Tunc libertatem, diuitiasque roget?
Promittam, nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat, res est imperiosa timor.

Et parua sunt, nec vsque adeo præiudicij magni quæ circa modicæ & adstrictæ iurisdictionis punctum in Pactis internoscuntur; præ illis pusionibus, plusquam giganteæ sunt statuæ, quæ per efferam licentiam hodiernis temporibus eriguntur: sed breui corruerint, quia basi & fundamento destituuntur. Præscriptionem incassum etiam hic Magistratus iactitauerit, qui modicis illis pactitiis non contentus, iam Regalia ructat. Scio Iurisperitos pro iurium dominicalium & principalium

palium discrimine, præscriptionis determinationem distinguere. Quædam sunt quæ Principi debentur in signum supremæ potestatis (qualis est, inter alia, necessitas apellandi ad supremum supremi Principis tribunal) & hæc nullis annorum Centurijs aut Chiliadibus præscribuntur. Vnde Prætorium Cæsareum Spirense decidit, & inuiolabiliter obseruat, quod nullis inferiorum Principum aut Imperialium Ciuitatum Legibus vel Statutis impediri valeat recursus & prouocatio ad Cæsarem, & eius Consistorium, eaque de causa nonobstantibus tribus, quatuor, vel pluribus Instantiarum gradibus, terniſque Inferiorum tribunalium sententijs apellationem admittit. Alia sunt quæ reseruantur Principi intuitu suæ dignitatis, vt vectigalium impositio, Magistratuum & Tabellionum creatio, illegitimorum legitimatio, & pleraque similia: quæ iuxta nonnullorum opinionem, concurrentibus cæteris qualitatibus ad præscriptionem congruam requisitis possunt immemoriali tempore per vsum indesinentem & nulla variatione interruptum acquiri. Quædam sunt Principis vt Principis, seu quæ Regiæ coronæ competunt, quæ aliqui etiam scribunt præscribi centum annorum decursu, immemorialem possessionem meritò à centenaria secernentes. Nolo euehi in altum & profundum subtilioris disputationis æquor, oram & ripam tantùm lego. Etsi haud me lateat, plurium & potissimorum aliò vergere censuram, & vtriusuis generis iura & bona esse perpetim impræscriptibilia: quod Regnorum & Principatuum vniuersi quasi orbis obseruantia receptum paret. Et olim Themistocles in oratione ad Athe-

nienſem

nienſem populum pro publicis neglectim occupatis in commune afferendis habita ſic ſenſit, adiecta ratione, vetitam eſſe priuatorum aduerſus Rempublicam aut Principem præſcriptionem, vt hominum aduerſus immortale numen. Quo eodem argumento vſus fertur Cato Cenſorius publico à priuatis agros publicos reuendicans. Ne vlla præſcriptio pro parte Magiſtratus irrepſerit, meatus vndequaque occluſi reperiuntur. Non de Regalibus & meri mixtique Imperij iuribus ſolùm loquor, verùm promiſcuè de actibus iuriſdictionalibus. Nam cuncta ad præſcriptionem neceſſaria deficiunt, bona fides, tempus, aſſiſtentia aut color iuris. Malæ fidei poſſeſſorem, nullum tempus immemoriale tuetur: Fides ergo bona exigitur, qua caruerunt qui inchoaſſe, aut inchoätam continuaſſe præſcriptionem debuiſſent, cum ex Legibus etiam municipalibus, & Principum edictis, propriiſque & mutuis pactis ſciuerint Principum eſſe iuriſdictionem, non ſuam, ſeque ſubditos eſſe & vaſallos, qui citra reatum perduellionis nequeunt in obedientiam ſuperioribus debitam attentare. Ab vna annorum centuria procul abeſt vſurpatio quam gignendo iuris colori ſubſternunt. Sub Illuſtriſſimo Principe Gerardo de Grosbeeck S. R. E. Purpurato Patre nonnulla principalia iura decerpere moliti ſunt. Princeps domi & foris Pacificus, cum autoritatem armis tueri poſſet, lege experiri maluit, & æquam cum ſubditis inſiſtens viam à Sacra Cæſarea Camera Spirenſi mandatum oportunum aduerſus perturbatores impetrauit, quos tantùm abeſt vt ab inceptis deterruerit, quin audaciores & ad peiora

promptiores lentum & quietum illud remedium effecerit. Lis dictata vsurpationem præpediebat, & tollebat vsurpata; dictatæ litis color obtentui fuit ad vlteriora vsurpandum & in vsurpatis sese confouendum, auctis à cunctatione & mora iudicialis processus, animis, qui in hunc diem vertitur indecisus. Itaque ab anno 1571. in hanc horam præscriptio exoriri aut initium capere non potuit, & si quam antea inceptassent, fuisset per Spirensis mándati impetrationem & subsecutam litispendentiam interrupta. Ante quem annum 1571. fingi retrorsum nequit præscriptum: quod in anno 1477. Paulinam sententiam 1465. latam Leodienses acceptauerint (pro cuius etiam Paulinæ implemento Ioannes Hornæus Princeps, qui Borbonio successit executoriales à Iulio secundo Pontifice 1504. Kalendis Nouembris impetrasse reperitur) & quicquid ab inde in Magistratu & circa eum egerunt, precario & iuxta conditionatam permissionem gesserint, quæ in omnes sequentes actus influxisse censetur. Actus enim præsumitur gestus in vim præcedentis causæ, & possessor titulo præambulo possedisse. Insuper nec temporis immemorialis obseruantia suffragatur ad præscriptionem, quoties de titulo inualido & vicioso principio constat. Dehinc qui alieno nomine aut precario agit aut possidet, ne miriade quidem annorum præscripserit. Postremò adminiculum aliquod iuris, sine quo possessio improba dicitur, subiecti aduersus suum superiorem, nec possint nec audeant prætexere. Vndequaque ijs ius resistit, dum inuestiturarum instrumenta, Priuilegiorum imperialium tenores, fœderum formulæ

mulæ Episcopum decantant Dominum & Principem Leodiensem, & Leodienses eius subditos, quos proinde Domino & Principi suo parere est necesse, non vnà cum eo imperare. Fædius hydra monstrum fuerit, & priscorum hyppocentauro, millecipitem populum Principis vnius subditum, cum suo Principe proponere regnantem. Quo pectore Romana grauitas lasciuientem hac in re plebis cum Principe suo de Imperio certantis insolentiam ferret, cum laudibus decoratum reliquerit posteritati Septimium Seuerum Proconsulis Africæ Legatum, qui Leptimanum hominem plebeium contubernalem olim suum in amplexus ex insperato occursu irruentem flagris cædi iusserit, cum hoc præconis elogio, homo plebeius Magistratum populi Romani temerè amplecti noli? Vel Xenophon proximus à Platone fælicis ac beatæ facundiæ gradus, qui scribit non conuenire Principi cum priuatis decertare, ne maiestatem vulgare videatur, si vicerit, loco admirationis, conflaturus inuidiam, si succubuerit, irridendus. Cæterùm cupido incesseret exquirendi ex quo fonte ventitatam suam iurisdictionem hauriant vel quis sit condus promus, & è quo depromat penu? Et à quo Principe illam recognoscant, quo loco & tempore? Nam riuuli scaturigines & ora sua habent, & nihil ex se ipso gignitur. Solus in imperio Imperator fons est & caput iurisdictionum fluentium ab eo & ad eum refluentium, vt à mari flumina exeunt, & eodèm redeunt. Ecce Diuus Rudolphus Primus Imperij sui anno primo die decima nona Ianuarij assidentibus quàm plurimis Principibus & in eorum numero Henrico

Episcopo & Principe Leodiensi in hæc verba pronuntiauit, Quod nulli altam tenere vel exercere iustitiam liceat infra ambitum Regni nostri, qui eam à nobis aut ab alio ipsam à nobis tenente iustitiam non teneat memoratam. Faceſſant ergò paratragædiationes plebeiorum gloriantium de imaginarijs iurisdictionibus, quæ non sunt nisi somnia delirantium. Et beatiores profectò fuerint obsequendo, quam ventum & auram fictitiæ potestatis aucupando. Quibus pro Xenio Platonicum istud donatum velim, Existimare de hominibus id quisque debet, quod qui nunquam bene seruiuit dignus Dominus esse non poterit: Ideoque gloriari quemque oportet magis quod bene seruiuerit, quàm quod bene fuerit dominatus. Primum quidem legibus, quibus qui seruit, Deo seruit; deinde senioribus qui honestè vixerunt.

CAPVT SECVNDVM.

Consulum authoritatem & Iurisdictionem ab vsurpatione Prodiisse.

FErunt canem grauidam angulum tugurij à pastore precariò petiisse vt pareret, quo aduersus imbres & frigus defenderetur. Misericors pastor casæ viliorem partem concessit, & partu edito, cane iterum obsecrante vt ibidem tenellos catulos educare posset, credulus & incautus annuit: verum adultis molossis mater audacior domestico fulta præsidio herum expulit, & domus

nus proprietatem sibi vendicauit. Dionisius Syracusanorum tyrannus regno pulsus ad Locrenses antiquo hospitalitatis iure diuertit, sed breui hospitali fide violata arcem primum, deinde vrbem & imperium occupauit. Consules Leodij incepisse non indulgentia tantum sed opera Scabinorum à recto tunc aberrantium, quos tanquam opiliones & pastores ad Principis iura conseruanda aduigilare oportuisset, supra docuimus. Etsi simul ac in lucem fuere editi turbas per suum Henricum de Dionanto latrantium molossorum instar dederint, herilem tamen domum expulso domino sibi asserere non præsumpserunt, ab vsurpatione iurisdictionis abstinentes. Non tamen à via facti, quasi vnumquodque ijsdem artibus retineatur quibus gignitur; quandoquidem ipso intrusionis anno nouatores suos Scabinos, Principis iudices, iteratò in iactitatam libertatem iurare differentes Henricus vrbe excedere iusserit. Crescente, progressu annorum, temeritate magnam dominicalium iurium partem inuaserunt per Pauli Secundi Pontificis Maximi sententiam enucleatè designatorum. Extincto per Ludouicum Borbonium & ciuium renuntiationem Consulatu, facta fuit ijs rursùm precaria facultas creandi Burgi-magistros, quam dùm permissu Principum exercent, tanquàm propriam arrogare, arrosis permittentium iuribus, non erubuerunt, sensim à paruis initijs ad maxima gradu facto. Vetitorum & noxiorum ea est conditio, leuibus & neglectis in montem malorum assurgere. Prudentiùs Etæas Scytharum Rex, qui cum Philippus Macedo aditum sibi in Scythiam parans, amicè nuntiaret

vouisse se in Byzantina obsidione statuam in Istri ostio ponendam, pacatum ideò accessum ad Dei Religionem petens, dolum subodoratus responsum dedit, posse statuam mittere, quam tutam & inuiolatam esset collocaturus, exercitum autem fines ingredi, negat passurum, at si inuitis Scythis eam ponat, eo digresso sublaturum, versurumque os statuæ in aculeos sagittarum. Procul est vt sub primis Consulibus, quos quasi nouos Brutos libertatis assertores improuida sæpedictorum Scabinorum ambitio excitauerat, iudicij aut tribunalis meditatio apparuerit, quin ne Magistrorum quidem (quod nomen Consules obtinuere) Pax Walburgica meminerit, quæ anno 1256. post lapsum ab institutione biennium cum Leodiensibus nuncupatim fuit pertractata. In Pace quidem Clericorum posteriore annis triginta, Præpositus, Decanus, Archidiaconi & Capitulum cum Ciuitate contrahentes, cum Scabinis & Iuratis Magistros admisere, sed nullam in ijs aut Ciuico Consilio iurisdictionem. Nam mutuo conuentum est pacto, Si Ciues aut famuli Ciuium in Canonicorum ædes deliquerint, Alta Iustitia Episcopi iudex esto. Vicissim de excessibus seruitorum nominis ecclesiastici apud Prætorem Episcopi, vel Præpositi apparitorem vulgò Præpositalem Prætorem dictum, querelæ deponuntor. Nulla ibi Consulibus potestas cognoscendi adscribitur, quæ præterita non esset si competiisset. Et ne in futurum gliscceret, ibidem lege cautum perpetua, quod neque statuto neque priuilegio vllo paciscentes ab hoc fœdere recedere possent. Si verò temporis ordinem insecuti intueamur famosam illam

illam Pacem de Fexhe anni 1316. quam Leodienſes velut Palladium venerantur, fateri habent neque de eo tempore aliquam fuiſſe Conſulum in iudicando facultatem; quandoquidem coram ſolis Scabinis aut Paribus Curiæ decernitur iudicio certandum. Vnuſquiſque (inquit) pro facti exigentia nullibi quam apud Scabinos aut Pares lege contendat, exceptis caſibus ad Altum Epiſcopi officium pertinentibus. Cuius rei haud fertiliorem inueniemus Pacem de Wihoingne ſolo decennio recentiorem. Nam licet indulgente Principe Ciuitatenſes aliqua ſtatuta circa vrbanam Politiam illic condant, data ijſdem licentia eligendi quotannis viros quatuor & viginti qui de præuaricatoribus ſtatutorum cognoſcere valeant, Principis ea eſt iuriſdictio, non deputandorum viginti-quatuorvirûm. Eaque delegatio vnà cum ipſis ſtatutis intra quindecim annorum cancellos concluſa. Et quò minus laſciuirent, liberum remanſit delatoribus & accuſatoribus, ſtatutorum eiuſmodi infractores coram Scabinis conuenire. Sic vt delegata illa iuriſdictio quantumcunq; ad annos quindecim reſtricta, ſit cumulatè ad ordinariam Scabinorum iuriſdictionem conceſſa. Aliam anno 1330. iniuere inuicem Pacem authore & aſſentiente Principe, quam de Geneffe & de Wotemme à loco apellarunt, cuius decimus quintus articulus huius eſt ſubſtantiæ. Nemo ciuem eccleſiaſticum aut laicum indicta cauſa carceri per viginti quatuor horas mancipato: Qui ſecus faxit exilio perpetuo mulctator, nec ad quadraginta milliaria Ciuitatem verſus accedito; in contrauentorem Prætor & Scabini pœnam capitis irroganto. Proximo de-

cimo

cimo tertio sancitum fuerat, Quisquis prophani, aut religiosi status hominis, corpus aut ædes violasset, secundum atrocitatem criminis à Principe puniendum. Viden' Magistratum Consularem ad iurisdictionem appropriandam paulùm tunc aspirasse, cum corpora & domos Ciuium solius Principis iurisdictioni agnoscant submitti? Sub Engelberto de Marka in Pace de Varoux 1357. articulis decimo & vndecimo sancitur. Scabini, & præter eos nullus, vindiciarum iudices sunto pro rata excessuum & qualitate personarum Statutorumque dispositione; octo non pauciores Scabini dum de pœna capitis agitur, Iudicanto. Vnde manifestum fieri videtur quod anno 1357. capitales ciuium cognitiones penes solos Scabinos erant, nec se ijs Ciuicus Magistratus immiscebat. Sub eodem Engelberto anno 1362. in Programmate quod Literam Articulorum dixere, quartus articulorum istius est tenoris. Ad solum Principem mulctæ & emendæ in iudicio delinquentium spectanto. Si qua iurisdictione Magistratus Ciuicus prævaluisset, mulctas in tribunali suo incursas tenaciter sibi arrogasset. Sub Arnoldo de Horne Episcopo in Emendatione Legis Nouæ anno 1386. (quo eodem tempore Scabini tredecim à Scabinatu per Principem amoti fuere, vnico Guilielmo Proest viro nobili innocente reperto) luculentioribus exprimitur verbis: Consules & Consilium Ciuitatis Leodiensis, aliarumque Vrbium nequeunt cognoscere aut iudicare de vlla causa criminali, neque de re aliqua Legem Patriæ aut Curiam spiritualem concernente, sed tenentur eam cognitionem relinquere Iustitiis & tribunalibus ad ius dicendum

cendum institutis quibus id competit, salua suis ciuibus, statutorum, franciſiarum, & libertatum antiquitùs vſu receptorum, conſeruatione. Arnoldo de Horne anno 1389. vita functo Ioannes de Bauaria ætatis ſeptemdecim annorum Princeps, ſummæ ſpei iuuenis ſucceſſit, turbulentiores rati ætatem minus maturam nouandis rebus oportunam, delibare primum, deinde occupare pluribus in punctis authoritatem principalem occeperunt: vnde meritò offenſus tranſtulit Curiam ſuam Eccleſiaſticam in oppidum Diſtemienſe vbi menſibus quatuor conſedit, quibus elapſis rogatu pœnitentis populi cum ſuo conſiſtorio Leodium eſt reuerſus. Hædrotij lingua vernacula (Latina Iuſtitiæ Oſores & hoſtes) parùm quieuere, quin maiores quàm prius turbas concirent: qua occaſione Magnanimus Princeps rursùm tribunalia ſua partim Hoyum, partim Traiectum pro idiomatis diſcrimine euocauit. Conſilio ſuorum poſtmodùm cum ſubditis tractaturus in ſedecimuiros, octenos hinc inde deputandos compromiſit. Compromiſſarij Tungros conuenerunt & die 18. Auguſti 1403. arbitramentum vulgauere, quod nunc Pax Sedecimuiralis à numero arbitrorum, modo Tungrenſis à loco nominatur. Quantula fuerit Magiſtratus huius iuriſdictio ab hoc Tungrenſi Pacto, ſi quid eſt ſolidi, eam accepit. Operæ proinde ſit precium primum articulum eo conceptum plenè oculis ſubijcere, Imprimis circa primum articulum ex parte Domini Principis exhibitum, Ne deinceps quomodocumque coram Magiſtris ſeu Conſulibus lis & proceſſus vllus agitetur, Conuenimus pro bono pacis & nutrienda concordia quod

futuris temporibus Magistri abstinebunt iudicio nec patientur coram se, coram Iuratis & Consilio, aut ipsa Communitate Ciuica quenquam litigare, ratione prædiorum & fundorum, testamentorum, pactorum dotalium, vel rerum ad Ecclesiam pertinentium, personarumue Ecclesiasticarum, neque executionum, aut quorumcunque casuum ad forum Ecclesiasticum, aut temporale spectantium. Sed in omnibus ijs casibus & materiis remittent partes collitigantes ad Iudices ordinarios quæstionum eiusmodi competentes. Verum quo ad alios casus concernentes Statuta, Francisias, & Libertates Ciuitatis Leodiensis, necnon debita & mercaturas, extra casus præscriptos, poterunt Consules permittere coram ipsis litigare Ciues suos in iudicium vocatos, qui citra remissionis declinatoriam iuri ibidem stare tenebuntur, exceptis Clericis & personis Ecclesiasticis, viduis & innuptis mulieribus mercaturam non exercentibus ad Iudices ordinarios quoties petierint remittendis. Similiter liberum erit Ciuibus personam actorum sustinentibus ratione debitorum, rerum conuentarum & mercium debitores suos lite pulsare Coram Officiali, Prætore & Scabinis, aut coram Consulibus, optione data. Ita arbitri, quorum sex fuere Canonici & duo Scabini ex parte Principis electi, edixere, seu metu, seu leuem offam tricipiti Cerbero porrigentes, vt latratum & ingluuiem cohiberent. An vulgari vulgarium Politicorum opinione, qui in Republica practicandum putant quod Pragmatici passim ore versant, De minimis non curare Prætorem, Et modica vix in considerationem venire? Marsilium Ficinum si

tunc

tunc legiſſent, Platonis habuiſſent exemplum, qui cum adoleſcentem alea ludentem increpaſſet, & ille tam parua reprehendi miraretur, reſpondiſſe ſcribitur, Si alea ſemel ludere parum eſt, at non eſt parum conſuetudo. Poteſtas & iuriſdictio eſt inſtar gemmarum & pretioſorum lapidum, quorum minimæ particulæ & fragmenta ipſa ſunt in precio, de qua vbi plebs bibere incepit, pluſquam Tantalea ſiti vritur, & cum famelico Eriſichtone

—— Quod Pontus, quod terra, quod educat aër
Poſcit & appoſitis queritur ieiunia menſis,
Inque epulis epulas quærit:

& vt ille profundam gulam expleturus filiam vendidit, ſic in ſitim proferendæ iuriſdictionis increſcentem, in turbas cum vitæ periculo irruit. Imperium enim cupientibus nihil medium inter ſumma & præcipitia, Veſpaſiano teſte. Quid hæc laxatio niſi rimam primo, tum ianuam patefecit corruptelæ? Creuit Hædrotiis audacia, & tactu fimbriæ ineſcati, manus veſti iniecerunt, & in arma proruerunt triſtia ijs & funeſta. Secutum ab inde aliud compromiſſum in Duces Brabantiæ & Bauariæ, qui ſua ſententia Conſules, Iuratos, & Miniſteriorum Gubernatores poteſtatemque omnem abrogarunt: vt diſertim in ordinatione anni 1416. (quæ vulgò appellatur Regimentum) continetur. Quorum loco Princeps ſuffecit ad tempus tredecim Conſiliarios, qui inter ciues intra vrbem aut pomæria commorantes, exceptis cauſis Capitalibus & mutilationis membrorum, ius dicere poſſent, lege dicta vt Capitulum denominaret

duodenos, & Scabini totidem, è quibus Princeps hos tredecemuiros assumeret. Ioannes Hynsbergius qui secundus à Ioanne Walenroda Ioanni Bauaro succeſſit, non pauca annis 1422. & 1424. edixit, multa ex parte Leodienſibus pergrata, quorum aliqua ſuis locis attingemus. Ad Ludouicum Borbonium pergit calamus, ſub quo extinctum fuit Magiſtratus Ciuici munus, non minus iudicio, (Paulinam ſententiam intelligo) quam infælice bello expugnatum. Statim ac vrbs è ruderibus & ruinis caput exerere potuit, libello ſupplice quem anno 1477. Principi præſentauit, per vndecimum illius articulum ſic infit. Placeat Principis, Capituli & ordinum Patriæ Deputatis ſupplicare ſuo nomine Principi, vt, attenta pluralitate Tribunalium, quæ pendentibus bellis curſum habuerunt per ſuam patriam, prouideat in futurum vt vnuſquiſque noſtrum iuridicè tractetur coram Scabinis Leodienſibus & Hominibus (id eſt Paribus Curiæ) ſecundum facti contingentiam & prout præmemoratus Dominus Princeps & ipſius ordines decreuerint. Et ne poſthac Officiati Principis quenquam indebitè coram alio quam competente Iudice moleſtent in præiudicium Pactorum per Principem Iuratorum. Per quam petendi formulam (nulla ſpe Regiminum Hynsberghicorum, & Tungrenſis Pacti) ad ſolum fædus de Fexhe ſub ijſdem ſupplicæ verbis conceptum & per Principes inauguratos iuratum, retroflexum apparet. Rigido iure Tungrenſis Pax, quam ſupra omnes cenſeam valere ad aliquem ciuicæ iuriſdictionis colorem, deſiit legibus per Borbonium datis, ſed qua præcipua Reges & Principes benefica clarent clemen-

clementia, arbitror rebus restauratis, vt plurimum Consulibus licuisse iuxta Sedecemuirale Pactum prætenui illa vti iurisdictione. Enimuero ex quo fasces Consulares suscepi habeo compertum meis interpolatis & prædecessorum Consulatibus fuisse eatenus obseruatum. Nullo publico aut priuato malo, & nonnunquam magno bono, quoties Consules, sui nominis æthymologia admoniti, in commune consulunt, aurem, Iustitiæ magis, quam populari auræ, præbentes. Fateor, Romanos Consules libera Republica tam contentiosam quam voluntariam iurisdictionem habuisse, & Capitalium rerum fuisse iudices, etiam sine prouocatione. Quam Valerius Publicola, hoc idcò nomen meritus, ad Populum à Consulibus permisit, & in signum superioris potestatis in concione fasces Consulares submisit, & secures sibi, & successoribus, vt quidam authores sunt, ademit, sed postmodum Largius Dictator restituisse dicitur, ea tantùm lege, ne in caput ciuis Romani iniussu populi adhiberentur. Nec diffiteor, quin aliquorum litteratorum sententia sit, quod vetere Roma per excellentiam, prolato simpliciter in Senatusconsultis & Plebiscitis, iuxta subiectam tamen materiam, Iudicum nomine, significarentur Consules; quod de medio tempore facile admiserim, nec Liuius dissentit: sed à Romanis ad Leodienses Consules nec Vergilianus quidem Corydon illationem fecerit: tantum & amplius illi in iurisdictione his præcellentes

Quantum lenta solent inter virgulta cupressi.

Consules Romani electorum Regum vices suppleuere, & Regia potestate, nomine duntaxat odiosissimo

& fatali feralique abstinentes, functi sunt, anno imperium terminantes, vt non semel hoc in opere indicamus. Leodiensium Episcopus Princeps est, Regalibus à Cæsare Sacroque Romano Imperio inuestitus. Burgimagistri verò non per se, sed per Principem lucent, & quicquid eis ineſt authoritatis ab illius fonte descendit. Vrbs Leodiensis, si ex iure communi rem gerimus, per se est iurisdictionis expers. Principi suo plenè subiecta: consequens est Consules eius, propria iurisdictione carere, nisi quam à Principe probauerint deprompsisse. Nam per naturalium nexus causarum fieri nequit vt Vrbs quam non obtinet iurisdictionem suis Consulibus impertiatur: inopia opem, carentia habitum, nox diem non generat. Rorida nubes vt Iridem figuret, radios micantis astri excipit, & vt inter crepitantes flammas rubeat ferrum, igneſcit. Capella Tholosana, cuius aureas decisiones Iureconsulti passim extollunt, quæstione trecentesima quadragesima tertia, litem pridem diremit, dum concluſit Ciuitatum Consules de iure nullam habere iurisdictionem. Et Stephanus Aufrerius qui eruditas ad Capellam elucubrationes conscripsit, Consules Defensoribus comparans infimam & simplicem iurisdictionem in leuibus casibus non inuitus ijs permittit, nequaquam verò vllos meri mixtiue imperij actus. Tinniunt aures strepitu magnifici ad speciem argumenti, quod memini aliquando excitasse non neminem, cui credidisses esse cor acetum acre in pectore: A populo Principis potestatem proficisci, ideoque scripsisse Vlpianum (quod Iustinianus ab eo fuit postea mutuatus), Quod Principi placuit

legis

legis habere vigorem, quippe cum lege Regia quæ de eius imperio lata est, populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem contulerit. Non futurum itaque absonum, si ex potestate quam populus Principi concessit, spicas aliquot ex tam vbere messe, Consulibus suis reseruauerit. Facessat sophisticus argumentator, qui tanquam Vulcani irati filius quaquà tangit amburit & æstu ipso calefacit. Quod Vlpianus & post eum Iustinianus de Romano Principatu dixere, Leodiensi non conuenit. Ab electo Tarquinio populus Romanus propriæ libertatis assertor suprema potestatis iura vsque ad Iulium Cæsarem retinuit, & vsque ad Iuliana tempora verum fuit, quod Imperium esset penes populum aut penes eos Magistratus, quibus populus ad tempus aut in parte mandasset. At posteaquàm deuicto Pompeio Cæsar libertatem oppressit, & Monarchiæ fundamenta iecit, à populo in vnum coäluit regimen & Principatus: & tandem longa antiqui status desuetudine, aut obliuione, populus legem tulit per quam in Principem omnem authoritatem transfudit. Quæ quidem lex hodie non extat, & variant scriptores quando lata fuerit. Quidam volunt quod Iulij Cæsaris æuo: quibus non assentior: neque enim Brutus eum vt tyrannum oppressisset, & pro eo tollendo coniurasset, si legitimus fuisset Princeps, translaro per populum in eum Imperio. Alij ad Octauium Augustum referunt, & quidam seriùs ad Vespasianum. In Octauium facilè inclinem, qui post Actiacam victoriam pacificè, ciuibus cunctis acceptissimus, ab vniuerso populo & senatu pater patriæ cõsalutatus, ad prouectam senectutem solo

Princi-

Principis nomine contentus regnauit, cui & Dictaturam magna vi populus obtulit, quam tamen genu nixus deiecta ab humeris toga nudo pectore deprecatus est. Leodij nunquàm apud populum rei summa stetit. Diuus Hubertus vrbem condidit, condendo suam fecit sub Cæsarum auspiciis: neque incolæ aut conuenæ Episcopum fecerunt vrbis Dominum, sed ciues hoc ipso effecti subditi. Quare vacante Principatu nullæ sunt populi circa denominationem aut electionem futuri Principis partes, solos Ecclesiæ Cathedralis Canonicos ea cura & facultas tangit: quisquis idoneus ab ijs eligitur aut postulatur, Infula Episcopali à Summo Pontifice, & Regalibus à Cæsare exornatur. Scilicet ius huius electiui Principatus insidet assidetque Capitulo Primario Canonicorum; quem Episcopum & Principem occurrente vacatione renuntiant, Episcopus est & Princeps verus tam canonicorum eligentium, quàm cunctorum subditorum. Eò fit quod vulgò Princeps vsufructuarius dicatur, & Capitulum Proprietarium, propter ius eligendi Capitulo affixum. Cæterùm legitima electio effectum sortita plenum ius electo tribuit, & quantum dat succeſſio hæredi, ijs locis vbi hæreditarij sunt Principatus. Neque enim ob id solum quod dignitates sunt electiuæ, qui eas adipiscuntur minore clarent authoritate: in his id operantur suffragia eligentium, quod in hæreditarijs generatio parentum. Non abnuo fluxisse sæculum, quo Imperatores, & inter eos Henricus Quartus & Quintus, Episcopos Leodienses pro suo arbitrio postpositis Capituli & Canonicorum suffragijs dicebant & constituebant per annuli

sub-

ſubarrationem & baculi traditionem inueſtientes. Ita enim Henricus Primus Epiſcopus, & Obertus proximus illius ſucceſſor vtiles admodùm Principes, authoritatis tamen Apoſtolicæ interueniente aſſenſu in Cathedram conſcenderunt, & Alexander aduerſus Fredericum ſuis meritis Diui nomine à morte ſua donatum eodem titulo irrepere tentauit, ſed fruſtra; Diuum enim Fridericum canonicè electum Archiepiſcopus tunc Colonienſis Pontificia authoritate confirmauit & defendit, ceſſitque Alexander, & reſipiſcentia ſua viam ſibi illuc rite perueniendi, vnde rite ſecluſus fuerat, aperuit, Alberone primo, ſucceſſore intermedio, vita functo. Simili arte contra Albertum primum Sanctorum albo relatum Lotharius ſe intruſit, & Martyrem excluſit: verùm nec pauci caſus ſunt in exemplum adducendi, nec illius æui in hiſce rebus exempla in legem vertenda: & ipſe Henricus Quintus particulari reſcripto, poſſeſſioni aut vſurpationi Epiſcopos per Imperium occurrente Cathedrarum vacatione creandi, renuntiauit. Meliore iure Carolus Magnus Imperator, à quo Adrianus Papa Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Prouincias inueſtituram accipere definiuit, à nemine conſecrandos niſi ab eo laudatos & inueſtitos: & Otho primus cui Leo Pontifex ad exemplum Adriani eandem tribuit facultatem, vt vtrumque Gratianus ſuis Decreti libris inſperſit. Quibus priuilegiis Ludouicum Caroli filium, & alios ſucceſſores Cæſares renuntiaſſe idem Gratianus edocet. A pluribus certè ſæculis electus à primario Capitulo Leodienſis Epiſcopus & debitè conſecratus, non Epiſcopatu ab

Imperatore sed Regalibus tantùm decoratur. Populi autem nullum esse in electione munus compertum est & exploratum. In primitiua Ecclesia Laicos etiam Episcoporum electioni interfuisse, & in eligendos desyderia sua direxisse ex historiis Ecclesiasticis non obscurè percipimus: at olim mos ille, aut comis tolerantia exoleuit: & districtìm sacris vetatur canonibus. Honorius Tertius ad Messanæ Ecclesiæ Episcopo viduatæ Capitulum his verbis scripsit, Edicto perpetuo prohibemus ne per Laicos cum Canonicis, Pontificis (id est Episcopi) electio præsumatur; quæ si forte præsumpta fuerit nullam obtineat firmitatem: nonobstante contraria consuetudine, quæ dici potiùs debet corruptela.

CAPVT TERTIVM.

Maiorem multò esse Politicam & extraiudicialem vsurpationem.

NEmo Consulatum & Consules ideò damnauerit quod origo aut progressus fuerit ab vsurpatione. Alioquin eodem argumento Romanorum Imperium per totum orbem extensum, quod ab vna vrbe in orbem fuit effusum, redargui posset. Vinum saluberrimum est, nec ex nepotantium & comessantium abusu malum redditur. Ipsa Consularis dignitas licet præter Scabinorum alio fine eam tunc inducentium intentionem, magnum fuit aliquando Reipublicæ fulcrum, & fortis ciuicæ disciplinæ neruus. Quod pastor gregi, rector elephanti,

Consul

Consul cordatus & impiger potest esse ciuibus. Dum bonis artibus honos defertur, & procul exulat ambitio, & eius nutrix suffragiorum corruptio, securus animo Consul, ingens est delictis corrigendis & auertendis adiumentum. Quod Alphonsus Aragoniæ & Neapoleos Rex dixit, vt herbas quasdam ad Solis motum, sic populares in Principum mores verti, quadantenùs de honestiore plebe Leodiensi, ante corruptelam à paucis annis impunè grassantem, dici potuisset. In Consulem vt in Pastorem, & communem velut patrem respiciens imitamenta ab eo sumere poterat virtutum, vt & hortamenta. Elephas inter belluas eminens in medio furoris æstu, rabiem ponit ad vocem moderatoris. Quoties ante hæc funesta tempora proborum Consulum prudentia turbas & seditiones dispulit, priusquam coalescerent, coalescentes repressit, ardentes sedauit? Quoties sanis Consulum pijs Principum suorum conatibus coöperantium consiliis & egregia fortitudine, pestifera hæreseos luës ne ab infectis quibusdam finitimis in vrbem & Pomærium furtim intraret, fuit impedita & exclusa? Absit inuidia, magnos aliquot nonnunquàm viros Consulatus dedit aut ostendit, nec priscis Romanis inferiores, si in eandem gloriæ materiam aut messem incidissent. Et nostra ætas scelerum aliàs feraciissima, non in totum fuit hominum antiqua virtute infæcunda, qui noctu & interdiu pro salute populi concrediti inuigilantes, Fidei auitæ tenaciissimi defensores, Cæsaream iurisdictionem perditissimorum quorundam clandestinis quasi cuniculis illic labantem, suis velut humeris sustinuerunt intra obedientiam Principi

debitam populum continentes,qui neutralitatis beneficium, inæstimabilem ditionis totius thesaurum, aduersus exterorum insidiatorum machinas pluribus locis intentas illæsum seruarunt, & qui pluris fecerunt esse re ipsa patriæ vtiles, quam plebi aliunde ad seditionem concitatæ assentiendo, nedum assentando, placuisse. Nunquid Tribunatus plebis Romæ à secessionibus originem & augmentum cepit? Atqui abundant historiæ & plena sunt volumina eorum Tribunorum plebis qui iustè & sanctè Tribunatum gesserunt magno vrbis suæ bono. Saturninos,Clodios & similia portenta iure etiam legentes detestamur, & fratrum Gracchorum nimis popularium vices dolemus potius, quam manibus irascimur: sed Siccij Dentati quantumuis Patribus conscriptis inuisi, Tiberij Gracchi patris, Cn Domitij, & quatuor L. Hortensij collegarum memoriam nulla temporis profunditas obruet. Abs iurisdictione ex Pacto Tungrensi nata, non sine aliqua principalis authoritatis imminutione, non tantum equidem exortum præiudicij, dummodo illis clausstris & sepimentis non egrederetur dilatandæ potestatis cupido, vt de eo magnopere querendum foret. Ciuitatum Defensoribus, ad quorum normam tolerati videntur fuisse hi Magistri, ciuilem,intra certam pecuniæ taxam & summam, competijsse authoritatem scimus: à quibus interim ad Prouinciæ Præsidem,Imperij Romani Magistratum,concedebatur apellatio. Inuerso ordine à Magistris & Iuratis ad Trigintaduumvirale Iudicium prouocatio instituitur, & ab illius sententijs Reuisio proponitur coram duobus Consularibus, Scabinis duobus, & totidem Commis-

Commissarijs & Iurisperitis. Neque gradatio tot consistoriorum iuribus Domini noxia sit, dum ea à Domino tanquam à principio & fonte promanet, & subditi eius rei controuersiam non moueant. Nam quid ingentis fluminis interest, si fluendo in plures riuos aut fluuios diuidatur, vel Solis, si radiorum multiplicatione & repercussione plura in oppositis nubibus metëora visantur? Quanquam dubito, an vt ad maiestatem Principis tribunalium pluralitas conferre potest, ita illa ad populi commodum & publicam quïetem conducat. Maximilianus Cæsar, & post auum Carolus Quintus, ex solarij seu horologij oppidorum in quæ introierant inspectione, quale esset oppidanorum regimen coniectabant, existimantes vix posse ordinatam esse bene Rempublicam in qua dissonum & inordinatum esset solarium. Xenodochiorum & valetudinariorum multitudo, sæpe denotat pauperum & infirmorum multitudinem. Quod si leges debent in Republica esse tanquam medicamenta, quæ nec multa nec varia sunt ægris propinanda, & verum est Platonis aureis signandum literis dictum, Vbi sunt plurimæ Leges, ibi & lites, itemque mores sint improbi, tanta tribunalium Leodiensium, non prophanorum tantum, sed Ecclesiasticorum multiplicis generis, varietas, non multum compendij fortunis & moribus adfert. Haud ferendum verò quod non pridem introducere contendunt, Ne cui liceat à suorum Auditoriorum sententijs ad Augustissimum Cæsarem vel suprema illius Archidicasteria recurrere, tanta temeritate vt eas realiter executioni tradant spretis mandatis & inhibitionibus Imperialibus. Qui contemptus tamen

non est perpetuus, sed solis Publicolarum nomen affectantibus peculiaris. Quibus frustra occinas, Quod per Statuta à Recognoscente superiorem condita nequeat apellatio prohiberi: Quod ius apellandi sit de reseruatis supremæ potestati, cui per inferiorem non potest derogari, Et quod à tribunalibus Principis, Scabinis nempe, & Consilio ordinario, liberè in dies ad Sacram Cameram Spirensem prouocetur, exceptis casibus per priuilegia Diuorum Maximiliani Primi & Caroli Quinti expressis: peruicacia enim aurem aduersus rationis concentum obturauit. Hæc impræsentiarum de Iudiciali contentione. In ea quæ extra forensem vsum sunt laxiùs & licentiosiùs multò irrupere. Quando familia Consularis, satellitium Bombardariorum curandis tormentis bellicis designatorum, & armata decemvirûm è triginta duabus Tribubus selectorum custodia in apricum venerint, non modo inquiro: ab vsurpatione emanasse constat. Nam lustrationes armorum, quæ stato anni die fieri consueuerunt, ortum suum debent Præsuli Erardo de Marka anno 1526, dum in decorationem festi Translationis glorioſi Martyris Lamberti annuas pridie illius diei instituit: quæ proinde ita sunt de Regalibus Principis, sicuti ludi Circenses & Consualia à Rege Romulo Romæ instituta. Satis constat ante Ludouici Borbonij Præsulatum Consules tubæ cantu & vsu abstinuisse, sub eo vti cepisse; vt permulta & potissima quæque attentata tunc exorsos. Nemo mihi persuaserit Lacedæmonios præ oculis tum temporis habuisse, quos tradunt non ante ad dimicandum descendere solitos, quam tibiæ concentu & anapæsti pedis modulo cohortationis calorem

lorem animo traxissent, vegeto & crebro ictus sono strenuè hostem inuadere admoniti. Ad pompam & apparatum tubam illos assumpsisse arbitror, quæ in bellis pluribus non fuerat ijsdem ignota. Repagula cuncta ruboris sub Borbonio perrupere, si tamen colorem pudoris tempore Ioannis Hynsbergij retinuerant. Quamuis namque Ioannes Hynsbergius Hynsbergij & Leuuenbergij Principis filius, qui ab anno 1419. vsque ad annum 1455. cathedram Episcopalem tenuit, Leodiensem Politiam pluribus instruxisset prærogatiuis, non sine propriorum iurium detrimento, fassus est ante & post Episcopalis apicis ad Pontificias manus in fauorem Borbonij tunc annorum octodecim dimissionem, tædio inuasorum per ingratos subditos Regalium, in abdicationem spontaneam descendisse. Domestici & fautores scriptores haud diffitentur, quin circa annum 1429. inuito & reluctante antistite, Gallico suasu impulsi, cõacto subitario exercitu in agrum Namurcensem excurrerint, fædè populati, Bouillis obsessis, capta & incensa Poluachia, quæ smaragdi castrum à plerisque nuncupabatur, trecentis villis, ac triginta tribus arcibus, nouemdecimque molendinis in eodem Namurcensi territorio, flamma & ferro deletis. Cumque ibidem Castrum de Holsim corona cinxissent & obsessi in compositionem veniissent in Principis Hynsbergij fidem recepti, barbaro facinore in conspectu deprecantis & illachrymantis Principis fuerint immaniter iugulati. Sed hæc præ ijs quæ Borbonius vidit passusque est vmbræ aut tenues nubeculæ sunt. O Legia quàm exlex fuisti, & vtinam fuisses tantùm? Nemo credat talem te fuisse olim, nisi

quæ

quæ hiſtoricorum fidelium penicillo depinguntur, hodie per atram ſcenam nimis tragicè repeterentur. Accipe ſummatim milleſimam eorum quæ ſub Borbonio contigerunt. Magiſtri, Iurati & Ciues Leodienſes, illorumque complices, oppida, villas, & loca, quantum poſſent, Principis occupare, carceres proprios facere, feudis veros hæredes à vero Domino inueſtitos ſpoliare, & conuento precio alios intrudere, in Officiales, Miniſtros & Conſiliarios Principis pro libidine ſæuire, illius legitimos ſubditos extra pomœrium & leucam bannalem habitantes apprehendere, & incarceratos grandi pecuniarum quantitate mulctare, domos & caſtra partibus ipſorum non fauentium demoliri, innocentes promiſcuè proſcribere, Eccleſiaſticos parùm propicios præbendarum ſuarum fructibus fruſtrari, & Capitulum ad indictiones Comitiales Statuum, propoſitioneſque arbitrarias, & Gubernatorum Caſtellanorumque deſtitutiones, & factioſorum in eorum locum ſurrogationes compellere, in improbo more habuerunt. Palàm in Epiſcopum nefariè debacchari, dominium Principatumque explodere, ad arma conclamare, miniſteriorum vexilla explicare, & manipulatim conſtrepentibus vndique tympanis ex vrbe ad pugnam procedere, confœderationes & ligas cum alienigenis facere, conuocationes authoritate Principis indictas contrario imperio rumpere, excommunicationes & interdicta Eccleſiaſtica iuſſu & decreto Apoſtolico impoſita per contumeliam contemnere, Capitulum ad interdictorum eiuſmodi prophanationem cogere, presbyteros adigere ad adminiſtrandum Sanctiſſimum Chriſti corpus

pus excommunicatis, & renuentes in Mosam fluuium præcipites dare. Horret animus ad pridem admissorum facinorum & sacrilegiorum memoriam. Quis sensus præsentium? Ne quis innocentibus aduocatus aut procurator patrocinium præstaret, ne quis fautorem Principis, alloquio, cibo, hospitio dignaretur, vetuerant edicto. Loca sacra cum prophanis eodem erant loco: illic inuasisse, percussisse, occidisse impunè erat: Erynnis solium Erigones insederat, iniuria Iustitiæ vices agebat: rerum capitalium rei per vim iudicio competenti subtracti per tumultuantes sicarios absoluebantur, Ecclesiastici & clerici ad prophanum affertum tribunal protracti nunc fortunis, nunc capite plectebantur. Præcepta inhibitoria à Minoïbus istis Tartareis in Officiales Episcopi & Capituli, in Scabinos & quosuis pro arbitrio sub indignationis, & ciuici iuris priuationis interminatione mox effectum sortitura vibrabantur. Quò non ruit excusso iugo excæcata nequitia? multis in locis, & nominatim in pago Sarsino ditionis Franchimontensis, exemptiones & franchisias concedere, & patentes desuper literas sigillo Ciuitatis munitas expedire præsumpserunt, quin etiam inibi medio foro columnis, vulgo Peronibus, Ciuitatis insignibus ad clangorem tubæ per globos armatorum erectis. Et ne gratuitò facinus inceptassent cuiusdam Collardi Plaquet vxorem, quæ virum suum crudelissimè interemerat collegiatim manu armata è vinculis exemerunt. Hoc ipso maricidæ omnes: Cum paria sint delinquere, & tueri delinquentes: nisi maius peccatum sit, viam aperire & struere peccaturis. Quid vltra recensеam?

Cum sacrilegiorum reos per Altam suam Iustitiam, & Palatij sui annulum antiquissimo iure & more Episcopus Iudicialiter esset correcturus, plebs impia debito iudicio & supplicio eripuit. In Cameram & Cætum Scabinorum causarum cognitioni & dicendo iuri vacantium Magistratus Ciuicus minaciter se immisit, & assumpta cum ijs iudicandi facultate, innoxios condemnauit, & noxios absoluit. Vnde initium & occasionem verisimilem accepit vsus, qui postea interiecto tempore inualuit, non inquiri in Ciues Leodienses, nec per inquisitiones sententiam in eos ferri, nisi coniuncta Consulum & quatuordecim Iuratorum authoritate cum Iudicio Scabinali. Sicut vsque in illam ætatem, solemnem ad Annulum Palatij iurisdictionem perseueraſſe constat, nefandis furiosorum motibus & tunc interruptam. Ab ea impudentia profluxisse id temporis prætensum ius mensæ fæneratoriæ, quod Ciuitatenses sibi proteruè arrogarunt & vsque ad nuperam erectionem Montis Pietatis per Sereniſſ. Principem FERDINANDVM solatio tenuiorum ciuium instituti ex parte practicarunt, & quidam nequam homines in eodem monte adhuc supereſſe clamitant. Si quidem ab annalibus illius temporis edocemur, quod cum Episcopus fæneratores natione Lombardos in vrbem admisisset, Magistratus iste lana non contentus in pellem inuolauerit, & carceribus mancipatos ante ingentis mulctæ solutionem non emiserit. Denique vt perpetuam esse regulam scias, Cereuisiarios seu Braxatores in omni pene seditione partem sibi vendicare non postremam, ad Coctorum istorum incoctas commotiones, Magistratus

tus sub grauissima pœna inhibuit incolis pagi Sancti Petri iuxta Traiectum legitimis Episcopi subditis, ne de cætero cereuisiam coquerent, & præcepto non auscultantes in vincula coniectos multo ære damnauit. Nimis mira, & nimis nefanda. Sed

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus, aut quis
In Meroe, crasso maiorem infante mamillam?

CAPVT QVARTVM.

De Vsurpationibus Continuatio.

APud Philippum Cominæum legisse memini quod incidente inter illum & equitem Anglum familiari sermone Gallicæ & Anglicæ gentis, Anglus ore ingenuo iudicium suum de vtraque natione interponens dixerit, Quoties Angli cum Francis belligerauerint, vt plurimum victores extiterint, Victi autem semper fuerint quoties in fœdera & Pacta coïuerint. Idem de Leodiensibus cum Principibus suis, sed alio epitheto verè pronuntietur. De Bello nequaquam. Quod enim subditi in Principem mouent, rebellio est & maiestatis crimen, non bellum. Et vasalli contumaces, perduelliones sunt, non hostes. Definiente Romano Iurisconsulto, hostes eos esse, quibus nos, aut qui nobis publicè bellum legitimè indicunt, cæteros latrones aut prædones habendos. Quoties rebellarunt, varia quidem aliquando sub inceptationem fortuna manus consertæ sunt, sed ad extremum fusi semper & fugati cum magno

sanguine, victi supplices facti, quam artem in angustijs callent, historia teste: sub specie fœderis & per conditiones Pacis pedetentim corniculam suam alienis adornarunt plumis. In quod succurrit illud plusquam Punicæ perfidiæ factum, vnius è quatuor legatis ad Ducem Carolum Audacem expugnato Trudonensi Oppido ad Leodiense pomœrium appropinquantem missis, qui tres collegas iustæ victoris postulationi annuere hæsitantes hoc scelerato dicto admonuit, vt audacter postulata quæcunque concederent, dimisso à mœnibus exercitu nihil addictorum præstituri. Et ita euenit: Dux pacatus pacta mulcta & sartura damnorum Episcopi ad sua rediit, & iuxta legati omen irrisis Duce & Episcopo, iterum impulsu Ludouici Vndecimi primæ rebellionis fotoris qui peditum sex millia, & quatuor equitum cohortes supra ingentes sponsiones submisit auxilio, Leodienses infausta arma resumpserunt, tristi, vt æquum erat damnata successu. Violato prius per eos gentium iure, oratoribus ex conuentione ad transigendum in vrbem admissis; quos statim ad necem per sicariorum manum quæsitos, vix latebræ, & vestis dissimulatio reduces fecerunt. Per Pacis quietem & silentium non ideo admordere Principis sui authoritatem destiterunt. Quieta prope fuere cuncta ab armis intestinis tempora à Borbonio. Nisi quod inter successorem Ioannem Horneum, & Guilielmum Longobarbum reliquiæ ventilarunt, huius capite euacuatæ. Itum fuit interim ad ciuicorum iurium prorogationem tacito & lento passu: vt flumini alueo suo currenti contingere videmus, quod adiacentis fundi partem imper-

cepti-

ceptibili alluuione occupat. Et vt inflatus imbribus amnis nonnunquam littora sua impetu transgressus vicinos inundat agros Nerea Cereri commiscens, sic torrentis in modum, sereno etiam tranquillitatis cælo, æstus inflatæ huius potestatis exundauit. Erardus de Marka Horneum proximè secutus, & Paci & augendæ simul ac decorandæ rei Ecclesiasticæ intentissimus, Ripariorum vastationi vrbicæ inhiantium cöercita audacia, dolens videre & ferre coactus fuit anno 1533. inquisitioni aduersus Hæreticam luem colubrinis gyris irrepentem frenos inijci, dum Magistratus iste contra sacras & ciuiles sanctiones obstitit, ne in quenquam ciuem nouatæ religionis reum aut suspectum aliter quam Consulum & Iuratorum coniuncta cum Scabinis authoritate, iudicio agi posset. Non leue principalis iurisdictionis ab inde præiudicium, & religiosi conatus impedimentum. Anno 1563. Roberto à Bergis Antistite in morbum lapso quid non inauditæ potestatis assumere tentauit & exercuit? dum orto iurisdictionum inter Ecclesiasticos & sæculares iudices conflictu, Ciuicum Consilium ad laici querimoniam Canonicos Martinianos, qui ad Officialem & Romanam Curiam recurrerant, inhibitionibus pœnalibus perstrinxit, & morem gerere detrectantibus aqua & igni interdixit, publicato imprimis pro rostris edicto, ne quis, eorum cuiquam esculenta & poculenta diuenderet, contrauentoribus quinquaginta florenorum pro prima vice, centum pro secunda & pro tertia proscriptionis pœna præscripta. Princeps Gerardus de Grosbeeck purpureo per Pontificem galero insignitus, qui inter medias circumiacen-

tium Prouinciarum turbas in auita Religione Catholica, & Sacri Romani Imperij obseruantia ditionem suam puram & intactam seruauit, etsi fœderatorum statuum legationibus, minis, ac postremo armis petitus, intestinarum non ideo expers curarum. In id temporis claues portarum Ciuitatis penès Principem, & eo absente penès Primarij Capituli Decanum asseruabantur, illarum obseratio & reseratio penes illos erat, repente anno 1566. die 29. Septembris, collubuit Consulibus in suo Senatu decernere custodiam clauium & portarum in potestate Consulum futuram, donec Princeps in aduersum de iure suo docuisset. Non examino nunc momenti magni quæstionem, quam postmodùm separato capite sum tractaturus, cuius sit Custodia Ciuitatis & Claues: Decreti formam vel inde accuso quod possessor indicta causa possessione non sit exturbandus, ne vero quidem colore. Quid aliud est eo fuco surripere Principi & Capitulo claues, quam furem imitari, qui vestem tuam tibi surriperet quasi tua non esset, tamdiu retenturus donec tuam esse probasses? Omnes scire debent (inquit Imperator) quod suum non est hoc modis omnibus ad alios pertinere. Offenderat indubiè humanitatem & patientiam optimi Principis temeraria subditorum vsurpatio, & dum in tempus remedium differt, aucta per tardiorem dissimulationem audacia in aliud euasit attentatum. Lata anno 1571. ad populum Rogatione vt Scabinorum nullus deinceps in Consulem eligeretur. Mansuetudinem Principis, an ciuium procaciam mirari magis oporteat, animi pendeam. Obuiam tumultui in proxima Consulum electione metuendo

iturus

iturus, edixit ne Scabinus eo anno denominaretur; & seposita vltionis commeritæ via à Supremo Spirensi Prætorio oportunos processus impetrauit. Consilium Pacifico Principe dignum, sed lentitudine sua huc vsque irritum. Cui assimilem? Cato Macedonas liberos pronuntiauit, quod teneri non possent. Et eius exemplo Adrianus Imperator omnia trans Euphratem & Tigrim intacta reliquit. Phocion militibus suis agmine turbato inordinatè fugientibus, hostem fortiter ferire & prosequi, non fugere doctus, quo tamen suorum dedecus velaret, fugæ ducem se ostendit. Obuersabantur oculis Antistitis, mores temporum, & pericula motuum ex contagione aut imitatione vicinorum; & cum suo dispendio conniuere, quam improficuam correctionem impendere maluit. Gnarus quàm crebro corruisset ægra rebellionis morbo Ciuitas, medicum & monitorem aspernata. Æquum & lene remedium, quod sanare vlcus debuisset, exasperauit. Subditi insolentiores effecti, quot inde & quanta in hunc diem attentata contexuerunt, quæ etiam (pudor & rubor vbi estis?) huius litis prætextu excusant. Velut alterius lunæ eclypsim per vmbræ terrestris interpositionem inducturi, aut veritatis Solem interiecta mendacij nube obscuraturi. De quibus locus erit dicendi in libris sequentibus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De Crebris Rebellionibus Leodiensium aduersus Principes.

CYrus omnium militum suorum nomina, Mithridates duarum & viginti gentium, quæ sub regno eius erant linguas, didicisse traduntur. Et Themistocles singulorum nomina ciuium memoria comprehendisse. Ego Principi subditorum mores ante omnia noscendos existimo, non minus quam nauclero qualitates ventorum, & medico corporum complexiones. Hinc Galba Imperator, Pisonem in filium & Imperij successorem adoptans, prudenter admonet cuius sint subditi conditionis, Imperaturus es, inquit, hominibus, qui nec totam seruitutem pati possunt, nec totam libertatem. Quanquàm regnante Tiberio tempora adeò infecta & adulatione sordida fuisse legamus, vt quoties is Curia egrederetur Græcis verbis in hunc modum eloqui sit solitus. O homines ad seruitutem paratos? Interest scire quomodo populus cum Principibus suis olim egerit, vt experientia præteritorum mederi queat præsentibus. Ea causa subijciam oculis aliquot, non omnes, rebelliones. Phidias Athenienſis vastam Leonis molem ex vnguibus, & Pythagoras Herculei corporis magnitudinem ex vestigio, plantaque coniectauit. Vt Tages qui primus Hetruscos artem (si ars est & non humanæ mentis ludibrium) diuinandi docuit, ex gleba aratro proscissa secundùm Poëtas ortus, dicitur ex tempore prædixisse futura,

futura, attonitis agricolis; sic nato Leodij Consulatu turbæ ad statim & pugnæ sunt exortæ. Ipso anno 1254, qui natalis est, ductu & impulsu Henrici de Dionanto, in Henricum de Geldria Episcopum insurrexerunt, & vrbe cum Scabinis & maiore Canonicorum & Clericorum parte, abesse prauis suis factionibus cõegerunt. Quanta cum irreuerentia, argumento fuerit, quod iniecta compositionis mentione, Episcopum suum securè iuxta lapidicinam in agro pertranseuntem, quindecim Leodienses operarij ex improuiso inuaserint, sanguine & nece Principis sui manus aspersuri, è quorum numero cæsi aut capti duodecim, tribus aliis fuga elapsis. Redintegratum ideo prælium, & victi subditi porta & muris ad Sanctam Walburgem dirutis, arcem illic admittere sunt adacti. Verùm in alta quiete dum negligentiores vigiles custodiam laxant & nuptialibus epulis in vrbe interfunt, Ciues astu in Castrum ingressi, illud à fundamentis demoliuntur. Ioannes de Enghien (viuo & inuito Geldrensi suffectus) cuius gratia Cæsar Rudolphus Ecclesiam Leodiensem multis præmuniuit priuilegiis, paucis quibus sedit annis tranquillè egisset, si per vaccam licuisset. Quid meruere boues, animal sine fraude, deloque? Balliuus Condrosij bouem fæminam ad causam iudicati viro nobili abstulerat, vnde eques offensus prosapiam ad arma conciuit, & hinc dubij martis certamina vtrimque cruenta, non nisi Philippi Regis Gallorum iudicio sopita. Romæ Domitio Consule bouem locutum ferunt, Roma caue tibi: Mugitus vaccæ huius per omnes agros & oppida ditionis Leodiensis portentosi fuerunt & funesti. Ioannes Gui-

donis Flandriæ Comitis filius Enghienſi ſuccedens, prudentia modeſtiæ coniuncta nequiit præcauere, quin potentiorum & opulentiorum factio Clerum & populum tributis inuolueret, neque modum abrumpendæ prauitati reperit, niſi ſua & Cleri in vrbem Hoyenſem ſeceſſione. Neque Adolphi de Valdege Præſulatus parium ſeditionum fuit immunis: dum maturior ætas in ſe pudore retenta per adoleſcentes ingenui generis, vnicolores & vnicognomines (Pueros de Francia ſeſe muſſitabant) vectigalium abuſum renouauit. Theobaldus de Barro antequam Henricum Imperatorem anno 1310 cum alijs Imperij Principibus in Italiam & Romam, vbi fortiter dimicans occubuit, comitaretur, grauia à Leodienſibus ſubditis ſuis fuerat perpeſſus: & cum in præcipuos ſceleris authores iure in loco de Vothem (priſco more) per Scabinos Iudices procedi mandaſſet, armatæ plebis rabiem ſenſerat. Quæ deinde ad mortis eius nuncium longè truculentior exarſit, ordinibus de interrege creando (Mamburnum vocant) diſputantibus. Exorta inter Nobiles & Plebeios rixa, cum illi inter pugnandum in Macellum, aut Lanionum caſas ignem forte conieciſſent, hi confluente viliſſimorum quorumcunque multitudine inflati, in ducentos nobiles (tot erant) iunctis viribus irruere, quos numero multis gradibus impares in ædem collegiatam Diui Martini in monte Publico ſitam cedentes, & incluſos, flamma, aut fumo crudeliſſimè necarunt. Nunquam modum tenuit plebs efferata: citius leones, pantheras & tigrides cicuraueris, quam commotam & victricem plebeculam deguſtati ſemel ſanguinis auidam & ſitientem.

tem. *Nullus semel ore receptus Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.* Vltra vitam indignatio est, non cineribus parcit, in tecta inanimata, in mutos lapides sæuit, & nihil sanctum à quo dexteram cohibeat. Adolphum de Marka Principem fortissimum binis & amplius lustris continuatæ peruersorum Ciuium discordiæ exercuerunt. Per annos vndecim armatum & pugnantem Legia vidit. Sub Principatus auspicia partim propter peccantium multitudinem, partim benignitate, populum conciliaturus, credens dogma illud Leodij verum futurum, *Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis*, Martinianam cædem & conflagrationem dissimularat, restauratione ædis imperata, sed subditorum insolentiam & sui contemptum potiùs auxit. Concitatus praua quorundam suggestione, vt assolet, populus corripit arma aduersus imparatum & inexspectantem, & Hoyum ideo se recipientem. Furorem dementiæ mixtum considera & tritum postea versiculum non mirabere?
Annis vndenis rabie fit Legia Lenis.

Rabidus populus Mamburno ad arbitrium electo, mensæ Episcopalis reditus & bona diripuit, familiarium & fautorum Episcopi domos exussit, sectæ suæ & sceleratæ militiæ nomina dare renuentes proscripsit, in caput singulorum immane & è profundissima barbarie edictum promulgauit, constituta centum librarum Turonensium mercede ei qui viuum & mortuum militem apprehenderet, & qui armigerum, quinquaginta, & lixam seu calonem decem consimilium: & de facto quotquot in potestatem venerunt vltimo humanorum supplicio fuere confecti. Tunc quidem Adolphus iustis

copiis destitutus, inter primas curas habuit seditiosorum impetum sistere, communitis limitaneis ditionis suæ arcibus & castellis, Bullonio, Mohau, Franchimontensi, & Loignensi, necnon tribunalium suorum Curiis Dionantum translatis. Et pacto cum Duce Brabantiæ iuuene admodùm, fædere, eius permissu Leuuas oppidum, cum aliqua armatorum manu, se contulit, vnde tanquam è propinqua specula insanientes subditos repressit: donec reciproco bellicorum vtrimque incommodorum tædio descensum est anno 1316. in famigeratam illam Pacem de Fexhe. Euripus, Aristotelis sepulcrum, septenis per diem cursibus & recursibus mobilis, non tam inquietus est, quam inconstans & instabilis Plebs susurronum flabello commota. Sæuiebant tunc maximè ciuilia & atrociſſima bella duodecim Nobilium familiarium patriæ Leodiensis à paruis incepta principiis, ad annos triginta octo extensa, duorum & triginta millium hominum sanguine, ob mulierem raptam, aut ductam non satis ingenui generis, seu manus mortuæ, loci Domino inconsulto. Vt infælix iste sexus, non suo sæpe facto, materiam bellorum & motuum præbuit. Dum in duello quadraginta validissimi cecidissent, & in homicidas Adolphus vellet animaduertere, pertinax populus reos protegere, & Principi obsistere præsumpsit: qui iterùm in vrbem Hoyensem se recepit, & eodèm breui secutum Cathedrale Capitulum. Accessit paulo post nouus incentor, & ardentis seditionis fax Petrus Andricas Ciuitatis Magister, prauè eloquens, qui priuilegiorum sueto Nouantibus obtentu, iras suorum consatellitum in Principem exacuit, ministros

eius

eius in compedes dedit, in Hoyenſes eiuſdem Epiſcopi receptatores caſtra mouit, occupatis prius & expilatis abſentium canonicorum domibus clauſtralibus. Occurrit inferior numero, ſed cauſa & virtute ſuperior Princeps, & quò ſuis animum adderet, relicto equo pedes ſtrenuè dimicans binis ſeditioſorum Ducibus magnanimis (quorum nomina ſi pro iuſta cauſa pugnaſſent non eram præteriturus) trucidatis, cæteram leporinam turbam in fugam conuertit, & à cæde fugientium inſecutores victores continuit, vno immortali dicto, Satis eſt, Deus dabit forſitan eis intellectum vt conuertantur & viuant. Sed ô obduratam in completo perduellionatu contumaciam? Altero die in loco eodem retentant Martis aleam æquè damnoſam & pudendam. In reparationem virium poſteà multiplicant tributa, quæ Clerus ſecundarius iuramenti præſtiti memor declinaturus Hoyum tandem confugit. Et ne exiſtimentur conſternati, & mente fracti, proſcriptis impunitatem ſpondent, nouum militem conſcribunt, ſtipendiarijs, fugitiuorum Eccleſiaſticorum domicilia aſſignant, caſtra & turres de Heer, Hardemont, Vilrou, Obir, & Landris in odium Dominorum Principi adhærentium, diruunt. Quid multa? Propinquorum & amicorum vnitis auxilijs docuit poſteros maiorum ſaltem exemplo ſapere. Deploro tantam Principis neceſſitatem, cui & pati, & facere neceſſe fuit. Sed dubitem, an Engelberti de Marka nepotis & ſucceſſoris melior aut pacatior hac in parte ſors fuerit, qui ne Eccleſiæ ſuæ iura imminui, & Eccleſiaſticos rebus ſuis ſpoliari tacitus & inultus cerneret, togam temporaneo ſago commutauit, & collatis

signis, ferentibus ei Brabantiæ & Geldriæ Ducibus suppetias, ad quindecim millia ciuium, aut auxiliariorum cecîdit. Ioannem d'Erkel dicerem fortunatiorem, eò quod vulgi in Clerum coniurationes cælitùs auersæ & oppressæ traduntur, conciliata sacerdotum reuerentia, etiam apud plebeos, dum efficacia exorcismorum dæmoniacos Tartareis geniis liberant: nisi ob occisum ab aulicis quendam Ioannem Hartis Tudiensem Burgimagistrum multa in Principem iniuriosa debacchantem, & occisi cadauer à factiosis in Ciuitatem deportatum, vt sulphureæ tædæ è calentibus cineribus ignem facile concipiunt, sic ad fœdum istud spectaculum Leodina Plebs nulla mora interposita rursùm arma amens cepisset in attonitum Præsulem, creato sibi in belli Ducem Mamburno, & canonicis in societatem vi inductis, & tributo militari grauatis. Et altrinsecùs dolens viderem Episcopum ad Traiectenses vt in tutum asylum confugere, ac ab inde Auenionem ad Gregorium Vndecimum Pontificem, à quo interdictum Ecclesiasticum tanti rigoris emanauit, vt ipso Sanctissimi Pascatis die à diuinis cessari debuerit officiis. Ab eo certè casu Vigintiduumvirale Iudicium Leodij in lucem prodiit, non sine occasu authoritatis principalis: de quo aliàs differemus. Fæliciora sub Arnoldo Hornæo tempora fuere, verum Papam Vrbanum, à quo Arnoldus confirmationem obtinuit, ab Antipapa Clemente secernentia, neque tamen ab omnibus turbis pura. Reuerentior Principis sui populus, linguarum mucrones in Scabinos vertit, & tredecim solio deiecit, quod cum Episcopo Imperator delictis ita exigentibus

ratum

ratum esse voluit. Et insuper reapse ostendit idem populus, intra obedientiam tamen contentus, in alijs non culpare rebellionem, quandoquidem Gandauensibus Ludouici Flandriæ Comitis iugum tunc excutientibus & fame laborantibus, in annonam sexcentos currus frumento farinaue onustos subministrauerit. Sed Deus immortalis? Ioannes Bauarus Bauariæ Ducis, Hollandiæque & Hannoniæ Comitis frater ab Hornæo proximus Episcopus, quibus procellis & tempestatibus fuit exagitatus? Septemdecim annorum duntaxat fuisse supra scripsi dum in Episcopum postularetur, & quia sceleratorum hominum, quos à vicio proprio Hædrotiorum epithetum dehonestauit, conatus, iurisdictionem principalem decerpentium irrito cadebant euentu, alias in eum direxere machinas, aut Sacerdotio initiandum, aut renuntiandum Episcopatui. Ad impudentiam & nimiæ Cæcitatis tenebras stupeo, & mecum calamus, dum hæc scribo. Indicto conuentu Leodienses Henricum Peruuisium in Mamburnum deputant, & eius filium Theodoricum Canonicum, proclamant Episcopum, omnibus Ecclesiæ Primariæ Canonicis, vnico excepto & plerisque Secundariarum, & triginta Parochiarum Curionibus clam dilapsis & vero Principi adiunctis. Et iniquitas intrusi patrocinium eiusdem iniquitatis inuenit: scilicet Petri de Luna Antipapæ, qui se Benedictum vocari volebat, qui improbam electionem approbauit. Cuius approbationis obtegumento residuos Ecclesiasticos, quà minis, quà incarceratione in verba sua adiurauit, fugitiuos proscripsit, & proscriptorum beneficia familiaribus suis contulit, vtriusque ordi-

ordinis & nominis viros,& in ijs duos nobilitate & fidelitate pari equites è familia de Horion,capite imminuit. Monentur multoties ſubditi paternè vt reſipiſcant,ſubſannant & irrident monentem. Nunquid cæleſtis Iuſtitia dormiebat? Sed vt Valerius ethnicus ad Chriſtianum guſtum de Dionyſio tyranno dixit, Lento gradu ad vindictam diuina procedit ira, tarditatemque ſupplicij grauitate compenſat. Iis penè artibus retinetur imperium, quibus eſt quæſitum: addo, & ijſdem amittitur. Protectoris pater, & Epiſcopi filius titulos, ablandiendo & complacendo plebi occupauerant, vt eidem non diſpliceant, vtrumque titulum, & vitam vnà perdunt. Princeps Bauarus aliquot lectiſſimas cohortes è Germania & promtiſſimos peritiſſimoſque Ductores in ſubſidium acceperat, quibus fretus hoſtes iteratò ab obſidione Traiectenſi profligauerat,ac poſtmodum iuxta Oram gallicam (pagus eſt inter Leodium & Traiectum medius) decem Tribuum legionarios, magno factioſorum tumultuantium mœrore. Qui Perwiſium & adulterinum Epiſcopum timoris & puſillanimitatis arguentes, crebra pugnæ efflagitatione euicerunt vt dato certaminis ſigno in manuum conſertationem deueniretur. Vno prælio debellatum fuit,vbi in prima acie ceciderunt Perwiſij ambo & rebellis turbæ tredecim millia, quamuis ſint qui occiſorum numerum duplicent. Vno prælio dixi: ſi tamen prælium dixerim veterani exercitus cum vrbana turba congreſſionem. Ioannes de Walenroda Principis Bauari ſucceſſor, antea Rhygenſis Archiepiſcopus, per breuitatem temporis (totos vndecim menſes non regnauit) & quod

ſub

sub ipsa auspicia, ciuibus adempta priuilegia restituisset, turbarum expers fuit. Non absimili exemplo, quo Tullius Cicero in Consulem in fine anni per sex horas meridianas suffectum fertur iocatus, Consulem habuimus tam seuerum tamque censorium vt in eius Magistratu nemo cænauerit, nemo dormierit. Equidem optimus Princeps humaniore erat fato dignus: veneno sublatum constat. Ioannem Hynsbergium, alterum Numam Pompilium paci, & rebus domi componendis natum intestina parùm attinuêre mala, externorum plusquàm vellet particeps inuitus, & spectator. Nec legibus dicendis, & salutaribus statutis cùm religiosis tùm prophanis, quibus valde incubuit, dicacis & ingratæ plebis immurmurationes euasit. Culpabat in tanto Præsule quod frequentior in aula Philippi Boni, verè boni, Belgarum Ducis appareret; vt in Pompeio Magno Zoïlus, quod digito vno caput scalperet: Eò progressa temeritatis, vt ab aula, aut ab Episcopatu abeundum cantillaret. Qua improbitatis licentia offensus, & assiduæ vsurpationis Regalium suorum fastidio iam capto, creditur resignationem in Ludouici Borbonij gratiam maturasse. Sub hoc, quamuis inuito, atrocia Leodiensium in Namurcenses exarserunt bella, quorum solita catastrophe dedecus & commeritarum pœnarum deprecatio. Gratia flagitanti pro populo Principi data. Pacis die 15 Decembris 1431 initæ caput fuit. Quod Princeps Leodiensis viginti Statuum trium Deputatis comitatus, altero genu flexo, subditorum nomine veniam à Duce peteret, Duci in expeditione contra Pragenses semestri spacio Leodienses militarent, &

cum ijs Princeps ipse trecentis stipatus armatis, pro refrigerio animarum interfectorum capellam, & in ea missam quotidianam fundarent, turrim Montis-superbiæ cis Dionantum nunquàm restaurandam, vetus discordiæ seminarium, demolirentur, & in damnorum illatorum satisfactionem, centum millia nobilium Angliæ intra biennium penderent. Ingentis tessera amoris; eò Principem pro subditorum salute adduci potuisse. Quæ deinde, & quàm indigna in Borbonium Principem admissa fuerint succinctìm proximo hìnc capite memoraui: & vt forma sua historiæ quoad præsentem articulum constet, debeo subijcere quid in propriam Principis personam obuenerit. Mare præter naturalem motum concutitur ventis, & æstus reciprocationes aliunde, & iuxta multos à Luna viciniore Planeta accipit. Erat iam Leodiensibus antiquus suus facilitatis ad seditionem genius, quos Ludouici Vndecimi sydus in maiores fluctus, & læthales scopulos perpulit. Meierus pro me loquatur. Vt Leodienses infestent Hannonios, Rex Franciæ promittit eis se missurum ducentos cataphractos, nullamque pacem se facturum cum Burgundis, nisi in illa Leodienses comprehendantur. Eheu? Stulta & credula multitudo audet Philippo bellum denuntiare tanquam hosti Ludouici Vndecimi cui essent confæderati, quibus amicè, non hostiliter Dux respondit eam denuntiationem non ad se, sed ad Carolum filium, cui cum Rege Gallo bellum sit, pertinere. Moderationem enimuerò Bono Philippo dignam, & non imparem responsioni alterius Philippi Alexandri Magni Patris, qui Demochari legato Athenienſium, à quo

pro

pro ſumma humanitate inhumaniſſimum dicterium receperat, vices neutiquam rependens ad alios collegas tantùm dixit, Nuntiarent Athenienſibus, impotentiores eſſe qui laceſſunt, quàm qui iniurias comiter audiunt. Breui eos facti pœnituit, & per Legatos Bruxellis ſupplices facti veniam petierunt & impetrarunt: ſed incredibili inconſtantia (Suffridum Petri populareм ſcriptorem cito in teſtem) ſubſidijs freti Gallicis, vtpote quibus Rex ſex millia peditum & quatuor centurias equitum auxilio miſerat, iterùm ad arma concurrerunt, Hoyum, Principis receptaculum oppugnarunt, quo is diſceſſit Namurcum & inde in Brabantiam, quem etiam mille & ducentæ Hoyenſium ciuium familiæ ſunt ſubſequutæ. Magnum fidei conſtantis ſymbolum. Denuo icta & reſarcita Pax, Leodio arctè prius per Carolum obſeſſo, & in duriores redacto ob præterita conditiones. At influente eodem æſtuantis ſali aſtro citra longam comperendinationem quaſſata & tantùm non naufraga nauis in pluſquàm decumanos fluctus impegit. Operæ putauerim hanc rem exponere ipſis Philippi Cominæi verbis, qui primùm Duci Carolo Audaci ac poſtmodùm Ludouico Regi à ſecretis fuit conſilijs, & vltimæ in Leodienſes expeditioni & quaſi emortuali diei præſens. Poſteaquam Peronæ inter Regem & Carolum ventum eſt ad collocutionem, & aliquò vſque facta eſſet progreſſio, grauis eſt allatus & intempeſtiuus nuncius è Leodiorum finibus. Nam cum Peronam Rex iret, de ſuis Legatis, quos Leodium miſerat, ſeditionis excitandæ cauſa, non cogitabat; & hi quidem iniunctum ſibi munus diligenter obibant. Inſtigati

enim ab ipsis Leodij (seu Leodienses) Tungrorum vrbem, in qua tum erat Episcopus & Imbercortus & circiter duo hominum millia, ex insidiis capiunt, familiares aliquot Episcopi trucidant, ipsum & Imbercortum captiuos abducunt. Inter eundum Imbercortus paciscitur cum nobili quodam viro, in cuius fidem & potestatem receptus, multitudinis insaniam euasit; quæ tanta fuit, vt inter alios Ecclesiastici Ordinis viros & Canonicos, Robertum quendam Episcopi necessarium membratim conscinderent, & per ludibrium deinde frustra conijcerent alter in alterius caput: breuiter quò longius progrediebantur, eò magis incruduit ipsorum furor. Certiores autem facti de collocutione Principum, Burgundionibus aliquot captiuis dimissis, præ se ferebant quicquid eius rei feciſſent, aduersùs Episcopum modò feciſſe, quem & vinctum abducebant Leodium. Hactenùs Comminæi verba. Fidat nunc aliquis concitatæ Plebi, quam Regius sanguis, & proprii Principis maiestas ad miserationem non inducunt! Armatæ forsan duntaxat imputes? Inermis vrbem introeunti obuiam cum facibus progressa per subsannationem, & salsissimam ironiam gratulata est aduentum. At lictor in carcerem ad M. Marium interficiendum submissus, maiestate & castigatoria voce, Tu Marium sexies Consulem interficies, perterritus, abiecto gladio intactum dimisit: Et vos in Principem & Episcopum vestrum manus inijcitis, vincîtis, & captiuo illuditis? Aduenit interea vindex Carolus Rege volente nolente comitatus, & appropinquante mænibus exercitu dum tumultuosè eruptionem oppidani faciunt & ab obsidentibus repelluntur,

euadit

euadit Episcopus & se Carolo adiungit, omnibus etiam eum modis studens pacificare. Aliquot interiectis postmodùm annis cum Guilielmus Longobarbus proscriptus cum bis mille circiter armatis iuxta vrbem obequitaret, & ciues poscerent Principem in ductorem, hic cum paucis equitibus, vrbana pedestri militia ponè subitura, egressus, à quibusdam proditoribus inter itineris angustias interimitur. Ioannes Hornæus prædecessoris sui necem non reliquit inultam, simulata aliquamdiu cum authore amicitia, quem incautum, & stratagemate captum, Traiecti capite damnauit. Et licet nihil ei armorum cum suis ciuibus interuenerit, suæ tamen mortis approperatæ causam ijsdem debet. Anno namque 1505 tumultuantibus aduersus ipsum ciuibus conscensâ festinanter rhedâ ne in ipsorum manus incideret, dum Traiectum laxis habenis properat, quassatione carpenti oblæsus post biduum exspirauit. Cur Hornæus iste Princeps non adeò gratus Leodiensibus fuerit, non ita assequor. Sunt qui ideo eueniisse existimauerint, quod is Traiecti, quam Leodij residere appeteret. Alij quod anno 1504 in executionem Paulinæ sententiæ literas executoriales à Iulio Pontifice Romano impetrasset. Tertia queat etiam esse & communis ratio, quod ad exemplum Macronis, cui Tiberius exprobrauit quod oculos ab occidente Sole auerteret, reuereantur Principes eligendos, contemnant electos. Erardus à Marcka Hornæo succedens, qui sui plura monumenta ære perenniora Leodij maximè, & in multis patriæ castris & & locis reliquit, bis internæ partim & externæ plebis commotionem expertus, fæliciùs discussit. In domo

Ciuica post meridiem excitato forte per priuatos tumultu, & Senatu peiora metuente è feneſtris auxilium poſcente, Præſul animos furibundæ multitudinis placaturus, opificum domos conſcendens fixo minus cautè veſtigio lapſus de gradibus, crus ſibi confregit. Quo caſu Plebs in commiſerationem verſa iras poſuit, & conquieuit tempeſtas. Sic Legiones Romanæ, inferioris Germaniæ apud Vbios deceſſu Auguſti audito, quæ Centuriones, Tribunos & Legatum male mulctarant & rabie ſeditionis, ne Germanici quidem caſtigantis reuerentes, exardeſcebant, poſteaquam Agrippinam vxorem, & paruulum Caligulam filium è çaſtris ad Treueros amandari viderunt, veniam deprecatæ, ſe totas Imperatori permiſerunt. Riparenſium, incolarum de Tileur & de Iemeppe ad Moſæ ripam ſedentium intra vrbis pomærium, acrior longè anno 1531 & maiori cum diſcrimine motus exſiliit. Tria ruſticorum millia præter mulieres numero & temeritate non impares ſpecie moderationis annonæ verſus vrbem perrexêre, eò periculoſiùs quod immenſa egenorum vrbanorum copia breui foret ſe ijs ad prædam conſociatura. Solerte conſilio & dexteritate Conſulum turbo diſſipatus; non armis, quorum ob internam diffidentiam incertus fuiſſet euentus. Patuit tunc quàm verum illud, *Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia.* Sedato tumultu poſt aliquantum autores primarij pœnas luerunt. Cornelius à Bergis ſucceſſor Riparios ciuicis iuribus reſtituit, & paucis quibus rexit annis, non omnia tuta habuit, in hoc ſibi & patriæ fælix quod nefarios conſpiratores, qui de prodenda dedendaq; Ciuitate Ductoribus & internuntiis

Regis

Regis Galliæ conuenerant præuenerit & in eos animaduerterit. Georgius Austriacus omnibus dotibus summo Principe dignis instructus illi coadiutor & breui successor datus externis magis quam vrbicis fuit agitatus molestiis. Quippe qui ante inaugurationem ex Hispania per Galliam ad Ecclesiam suam Leodiensem properans, Lugduni iussu Regis Galliarum in carcere duobus & viginti diebus attentus, non exsolutus fuit nisi sub lytro viginti quinque millium aureorum: & eodem Principatum fæliciter regente, Gallus crebris excursionibus & depopulationibus agrum Leodiensem infestauit, & Bullonienſe castrum ingenio loci munitissimum deditione pessima perfidi Gubernatoris in potestatem suam redegit. Roberti à Bergis quinquennale imperium supra priuatam infirmitatem neque vsque adeo tranquillum extitit. Cum enim edicta prædecessorum suorum Erardi à Marka, Cornelij à Bergis, & Georgij Austriaci aduersus hæreticos edita renouari & anno 1562. in mense Martio publicari feciſſet, Ciuicum Concilium solito priuilegiorum & franchisiarum obtentu palam reclamauit, emissa nullitatis protestatione, & ad terrorem, solemnem ciuium lustrationem à Præsule Erardo profesto Translationis Lambertinæ institutam, diu tamen intermissam, decreuit resumendam. At multò asperius in canonicos Martinianos insurrexit, quibus in lite quadam per Dinastam de Emal coram tribunali sæculari dictata iuri stare aut parere detrectantibus, Ecclesiasticisque Officialis Leodiensis, & Romanæ Curiæ inhibitionibus sese tutantibus, præcepto ad domus Ciuicæ cancellos promulgato aqua & igni interdixit, ne quis cui-

quam

quam eorum esculenta, poculenta, rem vllam humanis vsibus requisitam, aquam, ignem submministraret, sub interminatione grauis pœnæ pecuniariæ & ad extremum exilii. Parum memor aut reuerens Pacti Tungrensis, non solùm quoad insolitæ pœnæ irrogationem, sed quamlibet in eiusmodi casibus iurisdictionem penitissimè vetitam. Ne scilicet tribunalium Ecclesiasticorum prophanorumve cognitioni vnquàm intercedat. Interdictionem aquæ & ignis fuisse priscis Romanis vsu receptam scimus, qui rerum capitalium reos interdicto aquæ & ignis vsu damnabant, lenta eos tabe plectentes, & oculos interim ab vltimi supplicij spectaculo præseruantes. His potissimum prohibentes elementis, quod sicut calore & humore cuncta viuunt, ita illorum subtractione credebant non posse subsistere. Cuius pœnæ impositio actus erat supremæ potestatis: & sicut in illius locum deportatio insulæ successit, ita ea de maioribus est Regalibus, quam solus Princeps, & Præfectus Vrbi (addo & Prætorio) irrogare potuit, Præses verò Prouinciæ nequaquam. Vlpianum de pœnis respondentem audio, Constat postquàm deportatio in locum aquæ & ignis interdictionis successit, non prius amittere quem Ciuitatem, quam Princeps deputandum eum in insulam statuerit: Præsidem enim deportare non posse nulla dubitatio est, sed Præfectus Vrbi ius habet deportandi. Nam prorogato latè per orbem imperio interdictionis pœnam in mitiorem adhuc conuerterunt, nempe in deportationem insulæ alicuius sub imperio existentis, quæ hodie perpetui est exilij pœna. Metuo vt Alexander qui tributum Persicum ignis non tulit, & ea occasione in

Persas

Persas bellum mouit, parùm tulisset igneam hanc proscriptionem à subditis exerceri, qui à Rege fieri non permisit. Multò minùs Persarum Reges, peculiare ignis dominium sibi asserentes, quibus fato functis toto regno extinguebatur ignis, ab inaugurato successore redimendus. Præter palatum mulieris Plautinæ dictitantis, Solem, Lunam, aquam, ignem, argento non emimus, cætera Græcâ mercamur fide.

CAPVT SEXTVM.

Operæ & Ministeria seu Tribus.

OPifices & artium mechanicarum etsi non omnium professores statim cum nascente Leodiensi vrbe fuisse & incepisse non ambigo. Inter eas enim artes quædam ad humanæ vitæ necessitatem, aliæ ad vtilitatem, non paucæ ad mutuam hominum inter se societatem, aut commerciorum vsum tendunt. Quarum vltimæ quamuis abesse à Republica possint, prout eas Lacedemonij finibus suis arcuerunt, ne peregrinorum contagione corrumperentur, non parùm tamen quæstui & opulentiæ conferunt. Et experentia docemur, eas potissimum hodie florere Ciuitates vbi mercatura generis omnis viget. Adhæc quibus non est alius quàm ars sua census, ex opificio se & familiam alunt, & operando, negotiando quilibet ciuis ab otio recedere potest, quod est mortale mortalium malum. Iuxta illud Marci Catonis, Nihil agẽdo homines malè agere discũt.

Ob quam causam Gymnosophistæ, nudi illi Indiæ sapientes, acriùs otii quàm negotii rationem à discipulis exigebant, desidem & inertem cibo frustrantes. Pari ratione Lex erat apud Ægyptios, qua singuli tenebantur apud Magistratum nomina sua, & qua arte quouè lucro viuerent, edere: mortis pœna in impostores & illicitum quæstum exercentes imposita. Perbenè. Nam vt cum Horatio dicam, Otium Reges, simul & beatas perdidit vrbes. Si enim Legislatoribus & prudentissimis Principibus curæ semper fuit mechanicorum operum ratio; Diuus Hubertus vrbis huius conditor & legislator, vt sanctissimus, ita Prudentissimus Princeps, quam volebat esse Episcopatus sedem, nolebat incremento magnitudinis destitutam. Alexandrum Seuerum legimus plurima mechanica opera Romæ instituisse, & negotiatores præmiis & exemptionibus inuitasse: Et ante illum, Neruam Traianum, qui ita operibus delectabatur, vt seu publicis seu suis priuatis nomen suum inscribi faceret, quo herbæ parietariæ agnomen est adeptus. Multò antiquiùs Solon sanxerat, filium patri decrepito posse alimenta denegare, à quo nullam artem accepisset: & à Dione prohibebantur maiorum sepulchris inferri, qui omnis artis essent expertes. Plato qui cunctis, non Antimacho tantùm poëtæ, deberet esse instar omnium, in Legibus suis, Opificum accuratè meminit, quos diuinus iure dictus plusquàm humanis præmunit præceptis. Vulcano (sic scribit dialogo vndecimo de Legibus) & Palladi genus opificum, qui artificum opera, qui vitam nobis suis artibus instruxerunt, consecratum est. Hi profectò Deos

autho-

authores veriti neminem mendacio decipere debent. Si aliquis in tempore ſtatuto opus per malitiam non abſoluerit, operis, quod in tempore non fecit, mercedem perſoluat, ac ab initio rursùs in eodem ſpacio temporis opus gratis efficiat. Qui pauperi mercedem tempore quo pactus eſt non obtulerit, duplum reddat. In hoc itaque Operarum & Miniſteriorum themate non in dubium voco mechanici operis in oppido vetuſtatem: dum enim conderetur, cæmentarios fuiſſe oportuit, qui argilla, ſi non bitumine quo carebant, parietes incruſtarent, carpentarios qui ligna aptarent, lapicidas qui lapides eruerent, fabros qui ferramenta ſuppeditarent; verùm quando ij artifices in corpora & collegia coaluerint. Artifices enim quantouis ſint numero non faciunt nec ex ſe facere poſſunt collegium: Quod eſt plurium in vnum cætum legitima conuentio à ſuperiore comprobata. Romæ (qua ſimilitudine aduerſus faſtuoſam Plebem lubens vtor, & doctioribus reor oblectamento potiùs quàm tædio futuram) Tribus fuiſſe quinque & triginta hiſtorici conueniunt. Initium obſcurius videtur. Scio quod à raptu Sabinarum, & vna ex duabus gentibus Ciuitate poſt ictum fædus facta, Romulum diuiſiſſe geminum populum in triginta Curias, & raptarum prȩcipuarum nominibus eas Curias apellaſſe: ſed Seruium Tullium aliquid immutaſſe, prudenter cauto, ne vt antea eadem vi & iure ſingulis ſuffragium eſſet, & Tribus à tributo per eum vocatas. Seu idem ſub Romulo qui ſub Seruio numerus Tribuum fuerit, ſeu variauerit, video quod exactis mox Regibus Appius Claudius (non parua Romani Senatus acceſſio) ab Re-

gillo magna clientium comitatus manu transfugiens, Claudiæ Tribui occasionem dederit, & ea addita, Tribus vna & triginta sint factæ. Et progressu Arnienſem ac Terentinam, Pomatinam & Stellatinam additas. Fateor & Sabbatinam inter recens adiectas à Liuio recenseri, & nihilominus ex eodem disco non fuisse Romanas tribus vltra quinque & triginta, dum Liuium Salinatorem censorem scribit præter Metiam Tribum quæ se nec Consulem condemnasset, neque condemnatum Consulem aut Censorem feciſſet, populum Romanum omnem, quatuor & triginta Tribus ærarios reliquisse, quod & innocentem se condemnassent, & condemnatum Consulem & Censorem feciſſent. De institutione & augmentatione Romanarum Tribuum sat liquet: dicat nunc quisquis iura & priuilegia Leodiensia satur crepat aut eructat, quis Ministeria Leodij erexerit, quis approbauerit, & aliquid authoritatis in Principis proprij detrimentum insufflauerit? Quis Deucalion lapides à tergo iactauerit, ex quibus isti Brontes, Steropides & Pyracmones subitò eruperunt fabrilem ferrariam Tribum composituri & è fornace ius igneum dicturi? Hæc scilicet Vulcania soboles primum præ aliis Tribulibus vult sibi locum vendicare! Cathedra per euocationem Guidonis de Cabilione ad Bisantinum Episcopatum iussu Papæ factam vacante circa annum 1300, Capitulum Primarium Scabinis & illis adhærentibus offensum, stetit à partibus Plebeiorum, quibus vt animos adderet, duodecim confraternitates Operarum seu Ministeriorum probauit conceſſis etiam libertatibus nonnullis. Plebem per se ferocire scimus;

quid

quid si dux seditionis adsit, aut turba in vnum collecta corpus excitetur impunitate propter delinquentium societatem? Quidam Ioannes Prez se ducem seditioni obtulit, & armatis celeriter bis senis Confraternitatibus nouè erectis in forum descendit, & nemine satis resistente, effractis Consistorij Scabinalis ostiis (in angulo fori tunc Auditorium existebat) in iuramentum vnumquemque adegit quod deinceps ab exactione vectigalium supersederent. Paucorum intercapedine annorum Theobaldus de Barro (nam Adolphus de Waldege inter ambos medius non diu vixit) nouitatem harum Societatum & simul priuilegiorum adempturus in Pagum de Wothem (veteri prædecessorum more) cum Scabinis Iudicibus secesserat plebeis eò in ius vocatis, sed didicit minore negocio non concedi, quam concessum tolli. Sub manipulis & signis duodecim Ministeriorum Tribules armati eminùs apparuêre, armatas nihilominùs preces pecuniariis pollicitationibus miscentes. Motum dicunt Principem, seu virili apparatu, seu promissis; & ad Scabinos circumstantes conuersum, Et hi, non minùs ac vos, homines mei sunt, satius censeo confirmanda illis Priuilegia, quam abroganda. Vix enim absque vexillis, quoties res feret, possent pro me & mecum in hostem tendere. Quo dicto mutata damnandi voluntate, Collegia & Priuilegia à Capitulo indulta roborauit. Ante quod Capituli beneficium, non extat quod sciam vllum apud Leodienses Operarum huiusmodi monumentum. Apud Tungrenses ijs longè vetustiores facilè admiserim. Et illùc interpretor quod in Tungrensi historia sæpiùs occurrit de Septuaginta

duabus Congregationibus & aliquando Nationibus, & totidem Parochiis & Ecclesiis, per Congregationes intelligens Opificum Cætus. Eò promptiùs quod Pontus Heuterus non vana coniectura iter credulitati sternat, dum Ambiorigis Eburonum Reguli nomen à voce Germanica, Ambihtriic, deriuat, quam docet significare Artificibus & Opificibus multis imperantem. Quemadmodum, inquit, Catiuulcus (alter tempore Iulij Cæsaris Regulus) à dictione, Katisfolt, Populum Calamitosum significante. Quale est vt plurimùm opificum genus, miserum & egenum. Septimus articulus Pacis nuncupatæ de Geneffe & de Wothem decima Iulij 1331 per ipsosmet Ciuitatenses permissu Adolphi de Marka contractæ Ministeria præsupponit, numerum tacet, ad authoritatem tamen Principis circa illa admodum facit. Vetitæ, inquit, erunt in Ministeriis Confraternitates nisi à Principe aut Principis iudicibus fuerint approbatæ. Qui contra fecerit, biennium exulet. Regimentum anni 1416 authoritate Ioannis Bauari Principis & Capituli Cathedralis publicatum circa militarem ordinem & disciplinam, videtur eundem duodenarium numerum Collegiorum adhuc innuere. Nam postquam proximè statutum est, quod in posterum, vt promptiores sint in vsum Principis & eius in Principatu successorum Ciues Leodienses necessitate exigente ad arma, Ciuitas habebit primarium vnum vexillum Rubeum in quo à parte dextra erit Imago deaurata Deiparæ Virginis, & à sinistra Beatissimi Lamberti patroni cum Pinu Rotunda etiam deaurata in medio (Peronem vulgariter dicunt) & ab vtroque latere Insignibus

bus Principis, quod quidem vexillum asseruabitur per Prætorem nostrum, Scabinos, & Consiliarios tredecim, in vnam cistam reponendum: ad statim subiungitur, quod vltra illud generale vexillum, omnes Tribules & Ministeriales redigentur in duodecim Manipulos & Centurias, vt vnà ordinatim possint ad bellum procedere. Et singula vexilla pariter erunt rubea cum insignibus Ciuitatis & Principis vt supra, necnon particularium Ministeriorum. Si enim plura fuissent approbata distinctim Ciuium Collegia quam duodecim, Princeps in totidem Manipulos & Cohortes illa distribuisset, ad maiorem militiæ regulam, & militantium salubrem æmulationem. Nec in aduersum trahit quod in illo Regimento enumerentur plusquàm duodecim Operæ, imo singulis Centuriis comprehendantur plures Operarum species: veluti sub prima, Fabri Ferrarii, Figuli, Armamentarii, & Calcarienses; sub secunda Rotarii, Carpentarii, Trabearii, & Asserum Sectores; & ita consequenter, vsque ad quadruplicationem, & quintuplicationem, & semel ad sextuplicationem. Quia vel inde colligendum puto non fuisse tunc plusquàm duodecim Tribus: ex quo facta enumeratorum illic membrorum supputatione inueniamus triginta octo, & sic sex supra duas & triginta. Aliqua etiam ibidem recenseantur, quæ modernis Tribubus nequeunt aptari, nequidem tanquam illarum artus & membra. Et vicissim omittantur quæ sunt de modernarum numero. Vt est Tribus Agricolarum seu Aratorum, quæ hodie inter præcipuas eminet. Etsi enim Agricultura non sit de genere Mechanicarum & Ignobilium artium, atque ideo

stri-

ſtrictim & propriè loquendo non ſit Opificium: nihilominùs propter Pomærii extenſionem, quod longitudine ad vnum lapidem, ſeu mille paſſus (quem ambitum vocabulo leucæ bannalis communiter deſignant) à muris porrigitur, intra quod agri coluntur per colonos & agricolas in Pagis commorantes iuris Ciuici participes, viſum fuit Principibus, hos Ruricolas peculiarem poſſe Tribum conſtituere. Abſit vt eos Opificibus per hoc aggregauerint. Cum, Cicerone teſte, omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur nihil ſit agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Et conſtans ſit omnium ſæculorum, & Iureconſultorum ſententia, eum qui propriis manibus, aut aratro agrum ſuum colit, nullum nobilitati & ingenuis natalibus adferre detrimentum. Cui rei & iſtud ſit in teſtimonium, quod multa Nobilium familiarum nomina ab agricultura proficiſcantur; Fabii, Piſones, Lentuli, Iuuenci, Porcii, Tauri, Vitellii, Capriani, & alia ducenta. Et a bobus & aratro deuocati ſint, quibus Conſulatus & Dictaturæ vltro deferebantur: quos tantùm abeſt, vt prioris vitæ pœnituerit, quin peracto ad quod aſſumebantur munere, incunctanter ad agros ſuos eadem arte & manu recolendos rediuerint. Vt Marcus Curius Dentatus victis Sabinis, Fabricius ſuperato Pyrrho, & Cincinnatus intra decimum & ſextum dictaturæ ſuæ diem, debellatis hoſtibus ad rura ſua remearunt. Et inter Imperatores Diocletianus, olera & lactucas ad Salonam, purpuræ & ſceptro prætulit. Duodecim nec plures fuiſſe anno 1416 Leodii Tribus, edocet alterum einſdem Principis Bauari ſub vltima die Aprilis inſequentis

quentis anni 1417 Regimentum. Quo eæ augentur & ſupplentur ad decem & ſeptem. Ita enim primo articulo, Erunt in Ciuitate ſeptemdecim Miniſteria, & quodlibet illorum Miniſteriorum, loco duorum Iuratorum qui hactenus fuere in ſingulis Miniſteriis, eliget binos Conſiliarios viros probos, idoneos, & cunctorum capaciſſimos, qui conſilio iuuabunt duos ſupremos Ciuitatis Conſiliarios quoties rogabuntur. Et articulo quarto, Præfatorum ſeptemdecim Miniſteriorum Conſiliarij triginta quatuor, eligent octo viros è Ciuitatis Primoribus, qui cum totidem Principis & Capituli Deputatis eligent binos ſupremos Conſiliarios. De his duobus ſupremis Conſiliariis dixi etiam antehac, & in locum Conſulum ſuppreſſorum fuiſſe ſurrogatos. Cæterum abdicato per Ioannem Bauarum (matrimonium cum Duciſſa Luxemburgenſi Wenceſlai Romanorum Regis filia contrahentem) Epiſcopatu, Ioannes de Walenroda qui ipſi ſucceſſit, imprimis viginti quatuor Miniſteria Ciuitati conceſſit, ac poſt tres aut quatuor menſes, iterùm alia octo petentibus annuit. Ioannes Stabulaüs, qui etiam de Walenroda ſcripſit, cenſet non fuiſſe ab eo aucta aut ſuppleta Miniſteria, ſed primùm eum conſenſiſſe in renouationem viginti quatuor, ac deinde aliarum octo Tribuum, ſicut, inquit, res de facili ad ſuam reuertitur naturam. Sed præſcriptis rationibus adducor, ne à priore decedam opinione. Lectori deſuper integrum ſuum Iudicium eſto. Vetuſtiora ac Recentiora ſint triginta duo Miniſteria, quoad numerum intereſſe parùm arbitror, qui numeris Platonicis, quos efficaciſſimos volunt, nil tribuam, etſi Platonem

magni pendam. Si de origine duodecim Confraternitatum à Capitulo per interregnum dissimulatarum, vel probatarum liquet, de Tribuum exordio liquere crederem, quod antea non reperiantur in lucem exiuisse, & Græci Tribus, Fratrias apellent, quas Fraternitates, aut Confraternitates dicimus. Vt earundem disciplinarum & musarum consecranei inuicem inextinguibili amoris igne Fratrisant; aliquâ, at remotâ, similitudine, qui sub vnâ tesserâ in eiusdem artis professionem conueniunt. Pythagorici (sed quæ ad solidam sapientiam comparatio?) hoc vno erant fraterno omnes inuicem animo, quod ijsdem initiati essent mysteriis, & ignoti in ignotos ad symboli Magistralis notam, quantum quisque nostrûm pro parentibus faceret, conferebant.

CAPVT SEPTIMVM.

De Tribuum Conditione.

LEodinæ Tribus ab ipsa arte & opere Tribulium, nomen assumpsere. Molitoria à molitoribus, Pistoria à Pistoribus, Sutoria à Sutoribus, Textoria à Textoribus, Sartoria à Sartoribus, Fabrilis à Fabris, Braxatoria à Braxatoribus, Baiulatoria à Baiulis, Piscatoria à Piscatoribus, Carbonaria seu Hullaria à Carbonibus seu Hullis carbonum genere, & sic singulæ sigillatim. Et salutari Lege prouisum fuerat, vt quisquis artifex intra suæ artis Tribum contineretur, nec in aliam transire posset. Quia verò ius suffragiorum nulli competeret, nisi

nisi in aliquam Tribuum adscripto, ideoque Patricios, Iureconsultos, literatos homines, & suo censu viuentes, pro illius iuris vsu & fructu, necesse erat Tribui alicui nomina dare, liberum ijs fiebat sortiri pro arbitrio Tribum, quam deinde deserere non possent. Eo verisimiliter Legislatorum consilio, vt hac nominis & Contribulis, inter diuites & pauperes, honestosque & viles exæquatione, foueretur mutuus ciuium amor, & non decresceret reuerentia. Stabilis & vnica meritò cuique Tribus, & secundùm Platonis conceptum determinantis, ne seruo quidem licere plures artes profiteri. Nam Ciuem ab opificio & mechanico opere volebat esse alienum: quod diceret potioribus eum studiis continuò occupandum, quibus salutem & ornamentum vrbis procurare deberet. Neque existimo (quod de posterioribus temporibus non affirmem) opifices pridem in Romanam tribum accitos, sed solos militares viros, aut agricolas: ob id quod ingenui soli militiæ aut agriculturæ vacarent, & mancipia, quorum immensus erat numerus, seruilibus & mechanicis operibus addicerentur, & ab infantia pro ingeniorum inclinatione aut herili voluntate, his aut illis artibus in herilis familiæ commodum imbuerentur. Idque ex Seruii Tullii instituto non obscurè edocemur, qui pro censu & fortunis classes distribuit, & Plebeios infra censum constitutos, & Capite solo censos à suffragiis non minùs ac à militia excluſit. Primus eam legem diutina consuetudine firmatam infregit Caius Marius capite censum militem legendo. Fastidiosum delectus genus in exercitibus Romanis obliterandum ducens, ne talis notæ contagio

ad ipſius quoque gloriæ ſugillationem penetraret, & à maligno virtutum interprete velut capite cenſus Imperator compellari poſſet. Plato interim, à quo abducebar, prohibitæ pluralitatis hanc dat rationem dialogo de legibus octauo. Duas artes diligenter exercere humana natura non poteſt. Hoc igitur in Ciuitate Statutum ſit, vt nemo ærarius ſimul, & lignarius faber ſit, nec lignarius faber fabris ærariis magis quam officio ſuo præſideat, ſpecioſam cauſam hanc fortè nactus quod cum multos habeat miniſtros & operarios, & ob id ex arte ſua quæſtum maiorem percipiat, meliùs autem artem ſuam exerceat, ſed ſinguli opifices ſingulis artibus vacent, & ab eis victum acquirant. A Platone aut ab eadem ratione hauſerunt Sacri & Ciuilis ſimul iuris Legiſlatores, dum diſponunt ſingula officia ſingulis eſſe committẽda perſonis. Leodii ergo, contra quàm Romæ, Collegia hæc & nomenclatura, & vſu, eum comitato abuſu, opifices referunt, & quantum penè eſt in ijs honeſtiorum hominum, adſcriptitii ſunt, vt legi morem gererent. Romanæ Tribus, vel ab illuſtribus perſonis, quæ cauſam dederunt, vel à loco vnde potior Tribulium pars, vicinis Italiæ populis Ciuitate donatis, tranſlata fuit, nuncupationem habent. Quarum nomina ſi quis curioſior ſcire aueat, Didacum Couaruuiam doctiſſimum Iureconſultum in variis Reſolutionibus libro quarto capite primo ei deſignem: etſi nõ in ea aſſentiar, quæ ipſe ſuos ſecutus authores circa Vrbanarum & Ruſticarum diſtinctionem tradit. Neque enim Liuius, qui omnium pleniſſimè & fideliſſimè hiſtoriam ab vrbe condita conſcripſit, diſcrimen illud admittit: multò minùs

minùs Vrbanas fuisse tantùm quatuor, Palatinam, Suburranam, Collinam, & Esquilinam; & cæteras Rusticas. Quodque de Prærogatiua Tribu subijcit, eam vocatam quæ prima ibat in suffragium, & quem volebat Consulem vt plurimùm creasse, non improbo, dum ad normam à Seruio præscriptam referatur: iuxta quam, Liuio testante, Centuriæ quæ priores rogandæ erant, conficiebant sæpissimè rem totam, & rarò ad inferiores deueniebatur. Ambitio tamen, cui omnia sunt peruia, eum ordinem etiam prisco æuo peruertit, sed Fabius Maximus, Maximi eapropter titulum adeptus, restituit. Liuianis verbis edam. Gn. Flauium scribam patre libertino humili fortuna ortum dixerat ædilem forensis factio, Appii Claudii censura vires nacta, qui Senatum primus libertinorum filijs lectis inquinauerat. Et posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in Curia adeptus erat quas petierat opes vrbanas, humilibus per omnes tribus diuisis, forum & campum corrupit: tantumque Flauii comitia indignitatis habuerunt, vt plerique nobilium annulos aureos & phaleras deponerent. Ex eo tempore in duas partes discessit Ciuitas, aliud integer populus fautor & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat, donec Q. Fabius & P. Decius censores facti. Fabius simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu Comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanasque eas appellauit: adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, vt Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret. Par, si non maior corruptela in Leodinas tribus irrepsit.

repsit. Vinitores & Cereuisiarii, sed hi maximè, qui cereuisiam & vina queruntur vectigalia fieri, alijs mercibus immunibus, ex compacto dispersos sese in omnes Tribus insinuarunt, & consequenter Comitiorum libertatem & successum sustulerunt. Sereniſſimus ERNESTVS Sereniſſimi FERDINANDI patruus anno 1603 Fabii Maximi exemplo eum abusum perpurgauit, & eius insistens vestigiis nepos, iteratis idem cauit edictis. Vano labore, quasi leges aranearum telæ forent, muscarum grandiorum more, cœnopolæ & braxatores huc vsque perruperunt. Acceſſit aliquot Claudiorum à recto claudicantium ambitio insatiabilis, qui quod non cernerent aliam ad optatos honores semitam, perditiſſimos quosque in singulis Tribubus esca, potu, nummis, & ficta comitate delibutos excitandis seditionibus, assuefecerunt, vt vi aut metu quiduis extunderent. De Athenienſibus id cursim dixero. Decem apud eos ab initio fuisse tribus, & post duas additas, quæ singulæ à Regibus aut Illustribus viris sunt denominatæ. Vt Tribus Cecropeia, à Cecrope, Erechteia, Ægeia, Pandionea, ab Erehchteo, Ægeo, & Pandione, & sic reliquæ. Quas in totidem Vicos seu Pagos fuisse distinctas præcitatus Couaruuias ex Demosthene & Suida conatur commonstrare. Mirum autem, at verum quod subiungo. Athenis à principio fæminas cum maribus in tribum coäptatas, & suffragii non fuisse expertes. In honorem Mineruæ, cui vrbs consecrata, & à qua nomen Athenarum promanauit, quod in certamine mulierum suffragiis competitorem superasset. In eadem Græcia Lacedæmonii, bellicosiſſima gens, plus negotiorum publico-

licorum cum vxoribus communicabant, quam illæ cum viris de re domestica. Et olim, confirmante Tacito, Germani sanctum aliquid in fœminis & prouidum putabant, nec aut consilia earum aspernabantur, aut responsa negligebant: Auriniam, complureſque alias, & Velledam sub Vespasiano venerati, tanquam Deas. Modestiùs iure Romano, eoque vtimur, quo fœminæ ab omnibus ciuilibus officijs remouentur. Et memorata ordinatione 1417. tertio articulo prouisum salubriter fuerat, ne vllus præter patrem familias dicendi suffragij ius haberet, pueris, tyronibus, famulis, & cæteris quibuscunque qui familiæ caput non essent, amotis. Contra quam improbus mos inualuit, isque perniciosissimus, vt adolescentes, tyrones, & famuli Comitiorum turbatores, clamoribus suis, maledictis & minis suffragia pro libidine venditent. Interim dum aliqua Romanarum & Athenienſium Tribuum nomina scrutari videor, Leodinas enumerare prætereo. An ad illud exemplum? Quod est ante pedes nemo spectat, cæli scrutatur plagas. Nec nimis insulsè. Quasi enim cæli & terræ spacio vtræque illæ ab istis elongantur. Sunt autem hæ. Fabrilis, Plaustraria seu Rotariorum, Agraria, Molitoria, Pistoria, Viticolarum, Carbonariorum, Piscatorum, Vietorum seu Cupificum, Saccigerulorum, Coctorum seu Braxatorum, Pannariorum, Tonsorum Pannorum, Sarcinatorum seu Sartoria, Pellionum, Interpolatorum, Nautica, Serrariorum, Materiariorum, Carpentaria, Cæmentariorum, Scandulariorum seu Tegulariorum, Calcificum, Sutorum, (à diuersitate coriorum duplicata est Calcearia Tribus) Textoria, Dealbatoria

Tela-

Telarum, Salsamentariorum & iunctim Pomariorum, Lanionum, Coriariorum, Candelariorum, Mercatorum, & denique Aurificum. An Opifices ad Magistratum sunt assumendi, si quæram, Romani tollent equites, peditesque cachinnum. Quæ nauis pro Rectore suo remigem admittat? Quo in exercitu gregarius miles, Imperatorio munere fungitur? Pastor armento præest, non pecus: & in qualibet domo priuata paterfamilias est, familiæ suæ caput: vbi si puerum aut famulum præficere quis voluerit, ordinem naturæ destruxerit. Thebanorum sanctio fuit, Nulli mercatori aditum ad honores publicos patêre nisi annos decem ab omni quæstu & mercatura abstinuisset. Rigida enimuero, & paucis locis recepta. Quo vultu illi opificem ad munus publicum admisissent? Inalphabetarius opifex, Pileator, alter quasi Marius seruos ad Pileum seu asserendam libertatem vocaturus, dum scribo, dicitur sedem Consularem implere, vtinam, & absit augurium, non compleat. Ægyptii in opificem, qui ad Rempublicam vel procul à limine, accedere, vel binas artes agere tentaret, graui pœna animaduertebant. Prudenter. Quam quisque nouit artem in hac se exerceat, nec transiliat cancellos. Quod Apelles admonuit, qui in opere suo moneri se à sutore de crepida & ansulis passus, de crure etiam disputare incipientem, supra plantam ascendere vetuit. Priscis temporibus & moribus Ciues Romani sedentarias & sordidas artes discere & exercere nequibant: Nisi togatis seu liberalibus in foro pro conciuium salute vacarēt, militiam aut agriculturam, parcimoniæ, diligentiæ & iustitiæ magistram capescebant. Per seruos & man-

& mancipia quorum erat ingens in singulis diuitum familiis numerus, & ingenuos excedebat, quæ opificiis & artibus vilibus incumbebant, domi aut in ergasteriis agebantur. Pistores, sartores, coqui, macellarii, tonsores, & comparis generis artifices, seruilis erant conditionis. Posterioribus sæculis permultos artifices ciues Romanos fuisse, & magna parte libertini generis, vel peregrinos præmiis inuitatos, non abnegem. Quod Theodosij & Valentiniani Cæsarum lex Corpori iuris inserta palàm indicat, Artifices artium breui solido comprehensarum (nomina ibi recensentur) ab vniuersis muneribus personalibus vacare præcipimus; si quidem in discendis artibus otium sit accomodandum, quò magis cupiant & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire. Verùm nequidem à limine, Honoris templum salutabant. En tibi Diocletiani & Maximiliani Lex è Codice Theodosiano deprompta, Ne quis ex vltimis negotiatoribus, vel monetariis, abiectisque officiis, vel deformibus Ministeriis, vel Stationariis, omnique officiorum fæce, aliqua frui dignitate pertentet, sed & si quis meruerit, repellatur. Meruisse illìc est, non meritis suis eò peruenisse, cum nil habeat opificium cum muneribus & dignitatibus commune, sed de facto ad aliquem dignitatis gradum ascendisse. Quî reperirentur merita in Artifice, cum prudentissimi & capacissimi quique optimis disciplinis imbuti sarcinam Magistratus grauem humeris suis reformident? Ars artium est Magistratus, & probè scit quisquis probè gessit. Non abs re Pausanias Isocratem iudicauit sapientissimũ, qui ad Rempublicam nunquàm accessisset: memor Chry-

sippi, qui interrogatus cur abstineret, respondit, quoniam si malè gererem, cælitibus displicerem, si bene, hominibus. Flauius Vopiscus, qui aliquot Cæsarum vitas bono stylo & meliore fide descripsit, posteaquam omnes Imperatores, qui ab Augusto vsque ad Diocletianum boni fuisse perhibentur, enumerauit, subdit, se à patre suo audiuisse Diocletianum Principem iam priuatum dixisse, Nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Perplures eius rei sunt causæ. Non displicet illa Xenophontis, quod homo sit omnium animalium ingratissimus, qui nihil magis oderit quam sui ipsius Rectorem & custodem.

CAPVT OCTAVVM.

Quæ sit Tribuum Potestas.

ID posse dicimur, quod de iure possumus: & quod contra leges & bonos mores fit, nec facere nos posse credendum est. Aptè proinde Terentius, Quoniam id fieri quod vis non potest, velis id quod possit. Et Comico altiùs, Macedonum Rex Antigonus, qui adulatori Cuncta Regibus esse honesta suggerenti, respondit, Sunt, Hercules, sed Barbarorum duntaxat Regibus, at nobis ea honesta, quæ honesta sunt, & iusta, quæ iusta. Quærimus isthìc non quid Tribus Eburonicæ patrent, sed quid iure & lege possint. Prolato Trigintaduûm-Tribuum vocabulo, nescio quid asperitatis sonus ignaris ingenerat, & sicuti aniculæ pueros territuræ nocturnorum

rorum lemurum mentionem inijciunt, ita Publicolæ noſtri ſeſquipedalibus verbis maieſtatem Tribuum harum attollunt, authoritatem Principis depreſſuri. Vix aliud in illorum ore crebrius, quàm, Eundum eſt ad Triginta duo Miniſteria, Principi id non licet. Priuilegia Tribuum vetant, Si id fiat, abibit res in ſeditionem, procurrent Tribus ad arma. Quo pluſquam ſeptemplice Telamonio clypeo protecti, legitima Principi & Patriæ ordinibus denegant, & praua operantur. Securi, vt putant, in hoc aſylo. Quæ ſit verò Tribuum Poteſtas, primo huius libri capite oſtenſum eſt, docto, nullam Ciuitati competere iuriſdictionem. Si enim Ciuitas hæc, vt quæque municipalis, Priuatorum iure cenſetur, & nullam à ſe habet poteſtatem, conſequitur Triginta duo Miniſteria, quæ non ſunt aliud, quam vrbs & vniuerſitas in tot claſſes diſtributa, eſſe poteſtatis expertia. Et quod ſi fateri cogimur Ciuitatem, quæ eſt omnium ciuium nobilium & ignobilium, literatorum & illiteratorum congregatio & ſocietas, eſſe Imperio & Principi ſuo ſubiectam, & ſplendorem inde petere, vt Lunam à Sole, agnoſcere magis debemus, opificũ iſtos cætus non plus Ciuitate poſſe. Videor id eleganti ſimilitudine, qua Titus Quinctius Flaminius ad milites hoſtium multitudine & incognitarum inconditarumque nationum diuerſitate attonitos, vſus fuit, repræſentari poſſe. Hoſpes, inquit, meus lepidus eſt & liberalis: dum varij generis fercula ferinæ carnis alieno à venatione tempore appoſita menſæ demirarer, interroganti vnde ſuppeterent, arridens, infit, Bubulam omnem eſſe carnem, quam peritior coquus pro condimenti

varietate diuersificauerit; Ad eundem modum, quos in exercitu Philippi cernerent vultu efferatos, habitu, lingua & armorum genere differentes, vno nomine barbaros & imbelles esse, quos perperàm miles Romanus reformidet. Triginta duo Ministeria, Pellionum, Phrygionum, Lignariorum, Pannificum, Saccigerulorum, Lanionum, Viticolarum, Nautarum, Sportulariorum (seu vimineas Sportas & Corbes conficientium) Aurigarum, Tegulariorum, Carpentariorum, Veteramentariorum, & reliqua nomina, sono & instrumentorum genere discrepant, sed vna est Opificum caro. In hoc à Ciuico Magistratu discrepant, quod Vniuersitas à Decurionibus: Et Decuriones iurisdictionem in municipiis exercent, itidem Magistratus Ciuicus in vim Pacti Tungrensis, sed Communitas eam neutrobi exercet. Quo respectu Magistratus dici potest maior Tribubus, à quibus in exercitio ordinariæ suæ potestatis, quamdiu munus durat, non est interpellandus. Tribus autem alio respectu superiores Magistratu, quod eum quotannis legant. Adijce, quod vt de iure communi certi casus dantur vbi Decurionum & Consilij Ciuici adstricta est & limitata facultas; veluti cum de alienatione aut iactura notabilium bonorum Reipublicæ controuertitur, aut alio graui præiudicio, quibus & similibus casibus, vniuersitatis generaliter conuocandæ exigendus est consensus: ita nonnulla disertim puncta Tribubus reseruantur, quorum expeditio Magistratui interdicitur. In fœdere de Geneffe 1331 per solos Ciuitatenses permissu Adolphi Principis inito, articulus tertius continet, Eo quod per Magistros, Iuratos & Consiliarios Ciuitatis con-

iunctim, aut in discordia per illorum maiorem partem resolutum fuerit, totam Ciuitatem teneri & obligari, non secùs ac omnes & singuli Ciues consensissent; exceptis, bona alienandi, vectigalia imponendi, & bellum indicendi facultatibus. Non quod penès vrbem sit potestas tributorum, aut belli, sed quod tam vigore Philippinæ, de qua libro primo egimus, quam Pacis Clericalis, voluntaria Tributa sint sublata, & superiorum temporum experientia sapere doceret Leodienses in bella incautè & infæliciter priuata Magistratus libidine protrusos, cui malo per hanc reseruationem voluêre consultum. Et vndecimus, Quod in eum rigorosè animaduertetur & capitaliter qui absque speciali mandato & consensu Magistrorum, Iuratorum, & Consiliariorum vel omnium vel maioris partis, Communitatem Leodiensem conuocauerit. Cuius posterioris explicatio subministratur per secundum articulum sæpedictæ ordinationis 1417, quo statuitur, binos Redituarios vicem & locum Duorum Gubernatorum suppressorum tunc gerentes, singulis Tribubus attributos, posse quoties ipsis lubuerit Tribus suas pro illarum necessitatibus congregare, sed extra illum casum nequaquàm; Iuramentumque subibunt quod fideliter & ritè munere suo perfungentur, neque Statutis neque Consilio Ciuico sese vllatenus immixturi. Hodie etiam diametraliter Gubernatores loco suo pridem restituti, legi huic contraueniunt. Promiscuè tribuum suarum conuocationes indicunt, & in consilium Ciuicum non solùm penetrant, vbi tanquàm auditores, non autem Consultores tolerati sunt hactenus, sed suis blaterationibus & mi-

maciis salutares propositiones & recta consilia euertunt, per factiosos, cum sint vt plurimum è fæce, vix aliquibus honestis munus illud petentibus, subornati aut suscitati. Aduerto futuram obiectionem, non Tribulium opificum qui supra opus suum, nisi aliunde dementati, non efferuntur, at venantium eorum gratiam: Pusillæ me Tribus formæ describere, & cum Pigmæis relegare Atlantes: nunquid Principis potestatem à populis nasci, & Iustinianæo iure tradi, Ideo quod Principi placuit legis habere vigorem, quod lege Regia quæ de eius imperio lata est, populus ei & in eum omne imperium, & potestatem concesserit? Paucis satisfaciam, extra metam & carceres non euagaturus. Nullo sæculo Leodienfis populus imperium & potestatem in Principem transtulit, quod nunquam penès populum constitit. Diuus Hubertus Leodium condidit, in suo largitione aduentitia, solo, non in Leodiensium qui tum non erant, fundo: subditos non inuenit, sed fecit, & imperium in illos habuit, non ab illis, vt haberet, accepit. Si quid proinde potestatis obtenderet Ciuitas à Principe accepisse doceat diplomatibus, programmatibus, chartis, aut inueterato rationabili vsu, sciente & patiente Principe, neutiquam verò probationis onus in eum reijciat. Facessat argumentum à Romanis ducere qui tantum libera existente Republica, & aliquid, sub Regibus, populo detulerunt. Tullus Hostilius P. Horatium confecto cum tribus Curiatiis fatali düello cum sororis ad aspectum paludamenti sponso donati ingemiscentis interemptorem absoluere non posset, prouocare ei ad populum permisit. Eliminato

post

post Sexti Tarquinii stuprum regno populus liber & sui iuris fuit, regimine annuis Consulibus concesso, quem vt P. Valerius Publicola in suspicionem affectati regni adductus, quod in summa Velia alto & munito loco ædificaret, tranquillum redderet, præterquam quod materiam omnem ad infimum cliuum infra Veliam transtulit, prouocationem aduersus Magistratus ad populum instituit. Decemuiri ab inde sine Prouocatione creati & ob tyrannidem & libidinem intra biennium deiecti: & roborata de Prouocatione Lex, excepta Dictaturæ necessitate, quæ vt in summo imperio eam excludebat. Ad Iulium Cæsarem Dictatorem perpetuum stetit, sub quo sepulta libertas, omni populi imperio in illum, Octauium nepotem & successores transmisso & confirmato. Cæsar potestatem populi antea liberi & gentium Domini occupauit, probante populo exercuit, & successor Augustus solidauit. Nil horum Leodij simile. Neque Prærogatiuæ nomen in vllam Tribuum istarum cadit. Pares sunt viribus & imbecillitate: Ciues omnes sunt, opifices omnes. Nec hanc potiùs quam illam prærogare debent Consules: vt liberum est patri quem voluerit de filijs primò adire. Fotor interim seditiosorum non nescius, vt in tanta Ministeriorum separatas cellas habentium multitudine, plurium dierum instertitio ad adeundum & orandum opus est, quanti referant præuentarum Tribuum suffragia, videns Ferrarios, famelica, & semimendicabula hominum genera cibariis per se & emissarios suos illecebris inescata alijs postponi, nil inausum, nilque intentatum reliquit, sed incassùm. Vbi enimuerò ordo inter adeundas Tribus

foret

foret obseruandus, non à fabris ordiendum, sed desinendum potiùs esset. Nam si temporis & naturæ ordo inquiratur pleraque opificia debent fuisse antiquiora. Panem pinsere, frumentum molere, ligneam & lapideam materiam cædere & aptare, boues & oues mactare, vestem consarcire, calceare, argillam contrectare, Nauigare, & Piscari antiquiora sunt, quam clauos, opus fabrorum istorum proprium, cudere. Si dignitas, viliſſima est, & sordidissima artium omnium. Nisi forte quia Triobolares isti clauos faciunt, Claui Pangendi ius sibi arrogare volunt, quem Romæ antiquitùs Prætor Maximus Idibus Septembribus pangebat, tanquam notam numeri annorum, quia raræ per ea tempora literæ erant; & cui figendo religione adductus Senatus L. Manlium Imperiosum aliquandò Dictatorem dixit. Quid in mediis turbarum æstibus laxante Plebi habenas arbitrario Magistratu, ab opificum collegiis exspectari aut sperari queat, coniectandum sino, si Esurionibus his & Adustis primæ partes deferantur. Iuuenalis est

Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit vna domus.

Et versus Græcus Latino per Camerarium donatus, de Elæis.

Ebria mendaxque est Elis, nam vrbs esse colentum
Qualis cuique domus, talis & ipsa solet.

Liberum fuit Consulibus Romanis in Senatu sententias priùs aut posteriùs Senatorum percunctari, quamuis quem ordinem interrogandi Calendis Ianuariis instituissent, eum toto anno plerumque conseruarent, quem

quem tamen Cæsar interrupit Consul, prærogato Pompeio, cum ante Crassum prærogasset. Et in sollicitandis Opificibus, qui non adeuntur pro consilio sed pro assensu, opus erit Ferrariorum vota precio expugnare, quàm apud cæteras Tribus ratione certare? Si ordo aliquis inter æquales foret obseruandus, à tempore peteretur; vt priùs ordinatus posteriùs ordinatum antecedit. Sic inter Consulares præferentiam Valerianus à temporis prioritate metitur, cuius Legem curiosioribus non iniucundam iuuat apponere. Antiquitùs Statutum est, Consularibus viris cæteros quidem honoratos ipsius trabeæ summitate, pares verò insulis, considerationè tantùm temporis anteire. Quis enim in vno eodemque genere dignitatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruit dignitatem! Cum posterior etiamsi eiusdem honoris prætendat auspicia, cedere tamen illius temporis Consuli debeat quo ipse non fuerit? hoc obseruato etiamsi iterata vice fastigia Consulatus aliquis ascenderet. Ne de cætero miretur Lector cur qui in seditiones sunt intenti, nouarum auidi rerum, ferreos Tribules demulcent & primos volunt in suffragia venire, resciat, abundantem esse istorum Vulcanorum multitudinem, & rudes ferocesque & quoùis per cibum & potum pellicibiles, homines esse ad ciendas turbas aptissimos. Ideoque ruminet illud Taciti, Barbaris quantò quis audacia promptus, tanto magis fidus, & rebus commotis potior habetur.

CAPVT NONVM.

De Iure Ciuico.

CIues quidam originarii sunt, alii adscitii: reliqui habitatores incolæ dicuntur. Nec enim incolatus incolam ciuem facit, nisi more maiorum in ciuium catalogum adlegatur. Nec cuiuis petenti ius Ciuitatis conceditur. Augustus certè Ciuitatem Romanam parcissimè dabat: & Tiberio priuigno pro cliente Græco petenti rescripsit, non aliter se daturum, quam si præsens sibi persuasisset quã iustas petendi causas haberet: Et Liuiæ vxori pro tributario Gallo roganti Ciuitatem negauit, immunitatem obtulit, affirmans se faciliùs passurum fisco aliquid detrahi, quam Ciuitatis Romanæ vulgari honorem. Principio conditæ vrbis non item, vt nec augendo deinceps imperio. Romulus ipse, asylum aperuit, & è vicinis, multos, etsi non optimos elicuit, & Sabinos posteriùs in vrbem pari iure accepit; hoc augmento, vt cum eo Rempublicam ordinante censa essent, non amplius bina aut vt alij terna millia peditum, & equites trecenti, moriens quadraginta sex millia peditum, & equites mille reliquerit. Tractu temporis, Albani, Latini, Samnites, Hetrusci, Transpadani, & plures populi in eandem Ciuitatem recepti. Tandem diffusum vndique hoc beneficium, & ex constitutione Imperatoris Antonini, ciues Romani facti, quicunque in orbe Romano essent. Sed iam instituto

Seruij

Seruij Tullij magnus seruorum moribus ingenijsq; Romanis longo vsu assuefactorum numerus per Dominos manumissus in hoc ius admissi, in cura & clientela patronorum futuri, non tamen æquiparati veteribus ciuibus, sed in quatuor vrbanas Tribus reiecti, vt minimum suffragijs pollerent. Quorum postea nepotes aut pronepotes ad honores promoti, teste Claudio Imperatore in sua ad Senatum oratione, Libertinorum, inquit, filijs Magistratus mandari, non vt plerique falluntur, recens, sed priori populo factitatum est. Quod vtile & initio præclarum fuit, sed succedente ætate bonis moribus damnosum, dum Syri, Cappadoces, Asiatici, Græci, Barbari & multi ex ijs scelerati, libertatem prauis artibus adepti cloacam & sentinam vitiorum in vrbem inuexerunt. Quod de libertis & libertinis non exæquatis dixi, de liberis adscitiis Ciuibus, dici, sed aliorsùm potest. Nam exteri Ciuitate donati, quacunque inter suos dignitate excelluissent, non ideo Romæ capescendorum honorum erant capaces. Summi fauoris fuit, quod Appius Clausus, postea Claudius nuncupatus origine Sabina, simul in Ciuitatem Romanam & in familias patriciorum ascisceretur. Celebre est Manlij Torquati aduersus Latinos æquationem honorum flagitantes responsum, Si in Senatum legerentur, eos se medio in Senatu occisurum. Sub Claudio Cæsare primores Galliæ Comatæ, fœdera & Ciuitatem Romanam pridèm assecuti, ius adipiscendorum in vrbe honorum expetiuerunt; studijs diuersis apud Principem certatum fuit, sufficere eos vocabulo Ciuitatis frui, insignia patrum, decora Magistratuum vulganda non

esse, & ægrè euicit Claudius, vt Senatusconsulto primi Edui Senatorum ius, in vrbe adipiscerentur. Primos Eduos intellige Galliæ Comatæ, quia iam antea aliqui nobiles ex Hispania, & ex Gallia Narbonensi eo iure fuerant donati, vt idem indicat Claudius quando ad persuadendum Senatui ait, An nunc pœnitet Balbos ex Hispania (familia Balborum erat Romæ illustris) nec minùs insignes viros è Gallia Narbonẽsi transiuisse? Vt ad Leodienses, quibus in lucem ista prælucemus, reuertamur, Alii Ciues nascuntur, alii albo adscribuntur. Illi olim Ciues apellabantur, hi Burgenses: licet hodie nomina confundantur. Ciues erant & sunt, quotquot è ciuibus intra vrbem, aut vrbis pomærium (quod franciſiam, & leucam bannalem dictitant) essent oriundi. Quam in rem confert septimus Bauaricæ ordinationis 1417 articulus, Quo copiosior sit manipulariorum Operarum numerus, & vexilla sibi constent, quisquis intra Pomærium moratur, in suam Tribum redigatur, Ciuiumque iure per omnia gaudeat, non secus ac si intra muros ipsos ageret. In programmate, vulgò litera Sancti Iacobi 1343 sub Adolpho de Marka non absimilis sextus articulus, Intra leucam bannalem commorantes, æquo cum internis libertatum iure perfruantor. Inter Ciuem & Burgensem seu adscitium Principes in Statutis suis & Legibus magnum voluerunt esse discrimen, adscitios inferioris esse condinis, & non peræquatos priuilegiis.

Ciues naturales raris dotabantur beneficiis. Non dabatur in eos iniectio manus, nisi prænio iudicis decreto. Augustum illud & Seuerum Annuli Palatij Iudicium,

Maie-

Maiestatis Principalis splendor & eminens radius, quod alios perstringebat, singulari gratia natis ciuibus abstinebat. Seuerum, inquam, quo qui damnarentur, vita & bonis exuebantur, & anathematis spirituali mucrone feriebantur hoc ipso, noxa eò vsque caput sequente, vt quo deflecterent, locus Ecclesiastico supponeretur interdicto. Amplum rursùs & extensum, quod in criminibus atrocioribus ad hoc tribunal pertinentibus iurisdictio per totam Diœcesim protenderetur. Ab hoc itaque Iudicio soluti erant & exempti ciues: & illud est quod per Philippinam 1208 enuntiatur, Ciuem Leodiensem, quamdiu is voluerit stare iuri coram Prætore & Scabinis, non esse inuitum euocandum ad Maius Prætorium. In eorundem Ciuium domos intra vrbem aut pomærium sitas etiamsi Ciues ædium Domini commisissent homicidium, non competebat Principi ius ignis, quod generale interim erat in aliorum subditorum homicidarum ædificia. E contra Burgenses, seu Ciuitate donati subiacebant euocationi ad Annulum Palatij, obnoxij, velo leuato, arestis, & ædium incendiis per homicidia. Nec eis naturalium Ciuium domus asylo & securitati esse poterant, quemadmodum vndecimo Pacis de Ieneffe & Wotem articulo 1331 cauebatur, Franciſiæ & Libertates Leodienses ascitio Ciui ob atrocia crimina Iuri fugæ seu Prosecutionis Principis obnoxio nequaquam suffragabuntur. Nisi intra triduum ex quo pro parte Ministrorum Iustitiæ, Magistri fuerint commoniti, vrbe excesserit, libera Iustitiæ sit in eum manus coniectio, & pro modo culpæ animaduersio. Formam adscriptionis mox videbimus, si, ad quem spectet,

Principemne, an Ciuicum Magistratum dixerimus. Non desunt Iureconsulti, qui in Municipiis penès Decuriones existere ius dandæ Ciuitatis arbitrantur, moti duplici ratione: vnâ quod publicè interfit pulchrè mænitas & munitas vrbes repleri ciuibus: alterâ, quod Ciues facere non sit de Iuribus Principi reseruatis, ideoque Antianis & Curatoribus Ciuitatum sit permissum. Neutra concludit. Quamuis enim ad vrbium decus ipsa inanimata ædificia conducant, in tantum vt & Sanctione Cæsarea prouisum sit, ne ædificia ita destruantur, vt publicus oppidorum deformetur aspectus; neùe illorum ornamenta in villas transferantur; quantò magis Ciuium multitudo? Nihilominùs aggregatio ista nouorum Ciuium per Principem aut illius mandato facta non minus tribuet vrbi decus, quam si per Magistratum fieret. Et licet hæc in album Ciuium relatio non sit propriè de Reseruatis Principi, & Regalibus, Regiæque coronæ intimè inhærentibus, est tamen de Principis iuribus. Quem alium quàm Vrbis & Ciuitatis Dominum decens sit legendorum ciuium suorum habere facultatem? Si hominum causa ius omne constitutum Hermogenianus verè scripsit, & in homines Leodienses merum mixtumque imperium Episcopus possidet, an non conuenit eius esse Ciues facere, quibus est imperaturus? Retrogredere ad Romanos. Reges primùm aduentitios confugas, & debellatos populos Ciuitate donarunt. Conditor Romulus tantùm sapientia valuit (Claudij est apud Tacitum) vt pleroſque populos eodem die hostes, dein ciues habuerit. Libera Republica, non Tribuni, queis Leodienses assimilant suos Burgimagi-

magistros, sed Patres Conscripti ius Ciuitatis exteris contulerunt. Imperatores postremò, vt ex Augusto recitaui. Si Decuriones in Municipiis quandoque aduenas in ciuium numerum cõaptant, non propria, sed Principis, cuius vices ea in parte gerunt, authoritate faciunt. Legem condere est actus iurisdictionis. Episcopi Leodienses circa Ciuici iuris adeptionem ab æuo leges tulerunt, præscripta admissionis formula: necesse igitur est ad illorum iurisdictionem attinere. In Pace de Wihoingne anno 1326 Adolphus in hunc modum sanxit, Nullus Burgensis ascitius acquisito iure Ciuico fruetur, nisi quotannis per semestre spacium cum vxore, liberis & familia intrà franciſiam, siue vrbem aut pomærium moretur, suumque ibi præcipuum domicilium obtineat, instar aliorum ciuium perpetuò intra vrbem residentium. Neque licebit deinceps Leodiensibus quenquam recipere in ciuem, nisi publicè facto ad Peronem proclamate antiquitus obseruari solito: talisque futurus ciuis per Præconem denuntiatus poterit intra dies quadraginta à publicatione impugnari, neque iure Ciuico iuuabitur quo minùs de præteritis excessibus valeat vt per antea puniri. Tenebuntur etiam Consules scripto tradere Principi, aut illius deputato nomina & cognomina vniuersorum ciuium præsentium, & futurorum intra mensem à die receptionis eorundem. Cui consonat articulus tertius Pacis Tungrensis sub Ioanne Bauaro anno 1403, Vt occurratur periculis & inconuenientibus, quæ crebrò euenerunt & obuenire possent in Ciuitate & Patria, Conuentum fuit, quod imposterùm nullus extra leucam Bannalem

habitans

habitans à Consulibus in Ciuem, & Ministeriis in Tribulem admittatur, nisi alta voce publicè citra fraudem publicetur ad Peronem quod talis sit in Ciuem, & talis Ministerij Tribulem admissus, vt si quisquam habeat quod in personam opponat, intra quadraginta dies proponat pro more prisco. Ciuesque eiusmodi ascitij cogantur residere aut petere à Principe veniam absentiæ secundum Pactorum tenorem. Neque mens nostra est ascitios hos ciues eximere quo minùs stent iuri coram Curia & Iustitia loci vbi degent quacunque ex causa in iudicium vocarentur, aut quenquam vocarent bona fide. Quod vltima istius articuli parte disponitur, clarè & compendiosiùs Arnoldus Episcopus anno 1386 in Additione & moderatione Nouæ Legis constituerat. Nullus ascriptitius Ciuis Leodiensis à Correctione Iudicij Pacis, nec Iustitiæ loci suæ habitationis eximatur. Idem Princeps Bauarus ordinatione sua anni 1416 nonnihil circa Receptionis methodum immutauit, & vnà enucleatiùs explicauit. Summa est; nam articulus est prolixior. Cupiens in ciuem admitti sistet se coram Prætore, Scabinis, & tredecim Consiliariis Ciuicis, fidemque faciet per literas testimoniales Iustitiæ loci vnde recessit, si commodè consequi potuerit, adiecto suo ad sancta Dei Euangelia iuramento, quod metu alicuius reatus aut sceleris perpetrati non petat ciuis fieri. Iurato etiam solemniter ibidem quod bonus & fidelis erit Nobis, Ecclesiæ nostræ, Ciuitati & Patriæ. Quo peracto intenta & intelligibili voce Præco eum ad Peronem renuntiabit, vt à quolibet intra dies quadraginta queat impugnari. Saluo quod Nobis & successoribus nostris

noſtris liberum perpetuò erit ex cauſa rationabili defectus ei obijcere. Porrò recipiendus duodecim regios iuxta illam ordinationem pendere debebat, mediatim in vſum menſæ Epiſcopalis & Ciuitatis, præter aduenam matrimonio cum filia alicuius ciuis iunctum, qui ſenos, non amplius, ſoluebat. Et ne conuenæ præ indigenis immunes ab excubiis & aliis oneribus perſonalibus eſſent, in vnam Tribum tranſire eos oportebat, quæ precio comparabatur. Sapiens, & Thalete dignum conſilium: ſed quid ſatis cautè aduerſus Legirupas poteſt excogitari? qui fabricis ſuis & dolis id agunt vt optima lex, ſolſtitialis herba repente orta, repentinò occidat. Nullo delectu colluuies ignotorum & perditorum hominum, ſine certo lare, ſine ſede vagantium, aut qui propter decoctionem, aut immane ſcelus à natali ſolo profugerũt, validorum etiam vtriuſque ſexus mendicantium, vt promiſcuè confluit, toleratur, connubia contrahere, prolificare permittitur, & in Ciuitatem recepta, licet Ciuitate non donata, potiſſimam in turbis, ſeditionibus & deprædationibus partem occupat. Ioannes Hynsberghius per 29 Regiminis ſui articulum anno 1424, Quotquot matriculæ Ciuitatis inſcriberentur, Nobiles & ignobiles, cenſitos quodammodo fecit, ſeu annui cenſus penſione in publicum ærarium inferenda grauauit. Cuius hodie veſtigia nulla extant. Ærarij illa tantùm iactura: iſta morum, & Iuſtitiæ. Cum hic Paci natus & obduratus Princeps in gratiam originariorum Ciuium annuiſſet, vt in cauſa criminali Scabinis iungerentur Conſules cum aliquot Scabinis, & expreſsìm cauiſſet in Aſcitios Ciues etiam

in Criminalibus à Scabinis solis iudicandos sine Consulum Iuratorumve consortio, corruptela tantùm inualuit, vt Nouitij isti & intrusi ciues, (quid ciues dico?) quicunque speciem habitationis præbent, profugi, facinorosi, obærati, apud inconsultos aut lucro attentos Consules, veris Ciuibus non æquiparentur tantùm, sed & è carceribus, è carnificum manu, nunc fraude, nunc vi eximuntur.

CAPVT DECIMVM.

De Domibus Ciuium.

NE quis me isthìc agere architectum putet, qui Liuio Druso domum ædificaturo obtulit ita se structurum vt libera ab arbitris & omni despectu esset; cum Liuio potius responderem, ita domum meam componeret, vt quicquid ago ab omnibus inspici possit. Nam quid prodest (ait Seneca) recondere se, & oculos hominum, auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala, etiam in solitudine, anxia atque sollicita est. Nec magis de forma aut ornatu ædificiorum differere in animo est, cum nihil in eis sit rari operis, vel singularis elegantiæ & nitoris, & plures Belgicæ nostræ vrbes, si ædium contignationem, decorem, altitudinem, & symmetriam attendas, longis emineant interuallis. Cur inuidendis postibus, & nouo sublime ritu moliar atrium? Augustus qui marmoream ex lateritia vrbem relinquere gloriatus est, vt ædificantium ambitionem in altè attollendo cohiberet, septuaginta pedes

pedes definiuit in modo ædificiorum. Ad iura domuum oratio noſtra tendit, vt ex penitioribus latebris eruamus intellectum Adagij per Cerdonum & Triobolarium ſcurrarum ora triti, Ciuem Leodienſem eſſe domi ſuæ Regem, & Domino domus inuito nemini, ne Principi quidem, in domum licere.

Ædificia eſſe iuris gentium perſonant ſcholæ & fora: dummodo ſcilicet in ſuo non alieno ſolo quis molem excitet. Alioquin, quod inædificatur ſolo cedit, eorundem Iureconſultorum axiomate. Locum & totum ambitum vrbis eſſe Principis & Eccleſiæ Primariæ Leodienſis tam liquidum eſt, quam liquidiuſculus eſt Fauonius. Priore libro ineluctabilibus id ſum eluctatus argumentis. Et Plebei ipſi, quos ſuſurrones præſtigiis ſuis dementant, quotidianis epithetis imprudenter prudentes confitentur. Capitulum Sancti Lamberti, ſeu Cathedrale, vocant Fundiarium, imo ſuperlatiua dictione, Trifundiarium, & illius Eccleſiæ Canonicos, Dominos Trifundiarios. De Capitulo propriè, de Canonicis aliqua improprietate. Nam vt vſus fructus totius Ciuitatis, prout & integræ Prouinciæ eſt Principis, ita ius dominij & proprietas eſt penes Capitulum & Eccleſiam Cathedralem. Quod autem competit Collegio vt Collegio, ſeu vt Cauſidici loquuntur, Omnibus vt Collegium facientibus, non vt ſingulis, eſt quidem Collegij propriè, ſed non niſi impropriè ſingulorum. Hinc lis Collegij, non eſt propriè lis ſingulorum, nec compromiſſum vniuerſitatis, eſt compromiſſum indiuiduorum, nec vaſallus Capituli eſt vaſallus ſingulorum Canonicorum. Ex iure tamen & æquo compellatio hæc Dominorum Tri-

fundiariorum emanauit, retinendaque est: quia non tam consideratur persona, quàm qualitas Canonicatus Cathedralis, quæ à Capitulo Trifundiario est inseparabilis. Cum igitur Ecclesia sit Trifundiaria vrbis Leodiensis, est illius funditùs domina, quod non tantùm positiuè domina fundiaria, sed superlatiuè Trifundiaria dicatur. Congruitque denominatio veritati. Fundus & solum vrbis fuit primitùs Diui Huberti Episcopi donatione Pipini aut Martelli eius filij: is nouis ciuibus potestatem inædificandi fecit in noua sua vrbe, ciues inædificando dominium vtile inædificatarum ædium compararunt, dominio directo apud Dominum imperio & superioritate pollentem, restante. Et hoc quidem quoad directum dominium, quod quisque ciuis agnoscere debet Principi & Ecclesiæ in priuata quaque domo. An autem quoad vtile dominium sit aliquis eminentiæ gradus in Ciuibus Leodiensibus, supra aliorum locorum & regionum ciues, difficile est captu. Dominium enim, inquiunt, Iureconsulti, est quædam perfectio, quæ ex pluribus additamentis non intenditur. Hancque reddunt distinctionis rationem, quod etiamsi ex pluribus causis rem eandem possidere possimus, non possit tamen esse nostra nisi ex vna causa. Quia quod alicuius est proprium, amplius eius fieri non potest. Aliunde proinde quam ex gradu & excellentia dominii petenda fuerit ædium Leodiensium præconisatio. Si & quantum libertas illarum exuberet, & ordinarij iuris dispositionem transcendat, ex ipsius iuris communis principiis, quorum pauca subnecto, inuestigabitur. Hæc sunto. Sua origine, omnia ædificia sunt libera nisi

constet

constet de aliqua seruitute imposita. Domus cuique tutissimum refugium & receptaculum esse debet. Nemo de domo sua est extrahendus. Si quis domum alienam inuito Domino introierit, actione iniuriarum tenetur. Inhumanum est inuito Domino aliquem secreta domus perscrutari. Secundi & inferioris generis ista. In domo propria, aut aliena inuito Domino non posse quem capi aut arestari. Pro debito Ciuili executionem contra debitorem in domo non esse faciendam: quod posterius non esse consuetudine receptum annotat Prosper Farinacius; vti nec in debitis Fiscalibus & aliis priuilegiatis locum de iure vendicat. Pro crimine Reum posse capi in domo, etiam cum effractione ostiorum & fenestrarum. Non licere ad perquirendum furtum visitare alienam domum: posse tamen id fieri iudicis authoritate. Quibus in præambulum & præcursoriam præmissis, quod Ciues Leodienses quasi ancilia de cælo delapsa amplectuntur, insigne Priuilegium à Carolo Magno, inquiunt, profectum, Vnumquemque Ciuem esse domi suæ regulum. Haut percipio esse priuilegium, quandoquidem id sit iuris publici & communis, & Priuilegium dicatur Priuum, sed Priuatum ius. Quonàm pacto ab Imperatore Carolo Magno deriuent, huc vsque non comperi. Ordinatio Hynsberghica 1424. 18 Iunij articulo tertio meminit vulgaris illius dicti, & tantùm abest vt attribuat Carolo, quin vsurpet tanquam paræmiam vulgatam, Cum (ait) iuxta commune Prouerbium, pauper homo sit domi suæ Rex, statuimus vt quicunque vi introierit in domum Ciuis intra domum aut leucam Bannalem sitam, illumque, aut eius vxorem

vel aliquem de familia, ad sanguinis effusionem vel atrocius percusserit, hospes aut hospita conqueri poterunt apud Scabinos, aut Iudices Statutorum, vel alios competentes, optione data; & eo facto delictum secundum legum aut statutorum rigorem corrigetur & in pœnæ additamentum delinquens eo ipso incidet erga Principem & Ciuitatem in viagium vltramarinum, intra annum peragendum irremissibiliter, post lapsum triginta dierum ab intimatione. Morosus & contumax in peragendo, capite plectatur. Quis dubitat Principem Hynsberghicum, & qui ipsi à consiliis erant dum has sanctiones ederet, citaturos potius fuisse Carolum Magnum in authorem, quam assumpturos in Prouerbium, si Imperator author esset. Præsertim cum Prouerbium vsurpetur pro ratione impulsiua ordinationis. Fragmenta legum Caroli Magni, quæ in Codice Manuscripto (qui omnium manibus, nedum bibliothecis ostenditur) extant, popularem detegunt errorem. Accipe vnum & integrum articulum, Si quis ciuium mobilia sua bona obligauerit coram Iustitia, & ideò ad creditoris instantiam Prætor & Scabini velint in domum eius ingredi, mobiliaque apprehendere, casu quo debitor resistat & se illis opponat, manu & capite truncabitur. Quantis spaciis hæc prædura lex Caroli à Carolino distaret priuilegio, quo ciuis diceretur domi suæ alter Regulus, & eiusdem lege propter meram obligationem ciuilem, non solum teneretur pati executionem mobilium in propria domo, sed resistens aut impediens dexteram & caput amitteret? Prædura, inquam lex: sed non mitior illa Romanorum aduersus

Magi-

Magistratuum itidem violatores post secundam Plebis secessionem. Vt qui Tribunis plebis, Ædilibus, Iudicibus, Decemviris, nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, familia ad ædem Cereris, liberi liberæq; venum irent. Occasionem Prouerbij sunt qui ad Regem quendam referunt vt alibi memini. Quem ferunt calore venandi à purpuratis longius equo auectum, mediis & inuiis siluis oberrantem densante cælo ad tuguriolum fortè Carbonarij deuenisse, isque comiter exceptũ ignotum hospitem, explorationis ergò de industria restitantem in herili sede ad pauperem mensam collocauerit addita voce, Etiam egentissimum quemque domi suæ Regem agere. Quod si id tibi ob vilitatem Carbonarij vilescit, accipe philosophum. Is fuit Taurus Athenienſis ad quem cum Præses Cretæ Prouinciæ visendi gratia venisset & cum eo simul eiusdem Præsidis pater, & fortè non nisi vna cella in promptu esset, patrem Præsidis priorem sedere iussit quamuis renuentem & filio quod Populi Romani Magistratus esset deferentem. Pergo iura ædium, quæ studiosa indagine indeptus sum, pandere, variè tamen pro temporum varietate. Inter eiusdem manuscripti Codicis tractatus non infimus est Patronus Temporalitatis, quem ante ducentos annos vir popularis Iacobus de Hempricourt Leodienſis compilauit, vbi inter Aduocatiæ Leodienſis functiones hanc proponit, Liberum est Aduocato Leodienſi, vel eius locumtenenti cum Iustitia (Prætorem & Scabinos intelligit) visitare Cellaria & Penuaria Ciuium, & vinorum Reconditoria vt improbum à probo vino discernat: & si contingat aliquem Oenopolam occludere penu, & aperturam recu-

recusare, nisi Prætor pro remedio interpellatus prouiderit, fas est Aduocato aut eius locumtenenti ianuam perfringere. Pax Clericorum inter Capitula omnium Ecclesiarum & Ciues anno 1286 inita, quæ vltra Ecclesiasticam immunitatem, Ciuicam Claustralibus ædibus libertatem inesse fatetur, correctionem eorum qui Canonicorum domos violauerint, attribuit Scabinis Episcopi iudicibus. In hæc verba latino donata, Ædes Claustrales vltra immunitates Ecclesiasticas, domuum Ciuicarum franciſia seu libertate fruuntor: de excessibus in domos Clericales per ciues perpetratis, Alta Iustitia Episcopi, seu Scabini Iudices sunto. Pax de Wihoingne, Adscriptitii ciues priuilegii Ciuici vsu secluduntor, nisi maiore anni parte præcipuum Leodij fixerint domicilium. Locorum de Geneffe & de Wotemme Pax, à locis sic dicta, inter Ciues assensu Principis 1331 celebrata in vndecimo & decimo tertio articulis de ædibus ita effatur, Immunitates Leodienses adscriptitiis ob atrocia crimina prosecutioni principali obnoxiis, haut prosunto: qui nisi intra triduum ab interpellatione Consulum authoritate Iustitiæ facta, vrbe emigrauerint, ab inde Iustitia in eos manum inijcito, & pro modo culpæ animaduertito. Quotquot bona aut personam Ciuium apprehenderint, vel illorum ædes violauerint, pro modo delicti per Principem coërcentor. Alia Pax de Waroux 1357 inter Engelbertum Principem, & omnium oppidorum Deputatos in quinto & decimo articulo, Nemo Ciuium francarum Vrbium possit in propria domo pro debito ciuili per apparitorem in ius vocari, sed ea citatio in publica platea per

Iustitiam

Iustitiam aut illius Apparitores fiat. Quod tamen posteriore deinde lege, & contrario vsu fuit sublatum. Lex ea fuit Arnoldi Episcopi 1386 sub titulo Moderationis Nouæ legis edita his verbis, Permissa est ciuium citatio in domo illorum propria pro debito Ciuili aut Mercatura. In pacto Tungrẽsi 1403 articulus vigesimus sextus sic infit, Ob pensionem colonariam & elocatarum domuum mercedem licita est prompta executio: nec eapropter ad iudicem recurri aut aduersus creditorem opponi potest præter præstitæ solutionis exceptionem. Ne quis me Philippinam totis duobus propè sæculis anteriorem prætermittere conqueratur, submiistro quod in ea domos tangit. Non licet Villico, neque Scabinis intrare in domum in Banno Leodiensi constitutam ad inuestigandum furem vel furtum, domino domus inuito. Item in aliqua Leodiensi Ecclesia, in taberna, in domo, vetitum est Prætori, Scabinis, & eorum Ministris quenquam, vt Iudicio se sistat, euocare. Hynsbergicæ ordinationes omnium liberalissimè de illis loquuntur, vt in illas omnium munificentissimæ fuerunt. Quæ anno 1422 in Februario emanauit in octauo paragrapho in hunc sensum sanxit, Quisquis alterum occiderit, aut mutilauerit, aut cum armatis dolo malo ante domum Ciuis intra Ciuitatem aut Franciſiam existentem comparuerit, percutiens, aut iaciens in domum, vel in personas inibi extantes, vltra pœnam in quam erga nos & partem offensam impinget, tenebitur intra quadraginta dies ab admisso delicto computandos, proficisci ad Sanctum Iacobum in Gallicia. Quibus diebus elapsis, si insoluto & minimè

peracto eo viagio intra Ciuitatem, Franciſiam, & Bannum apprehendi potuerit, integro trimeſtri in carcere detinebitur ſolo pane & aqua nutriendus; & tribus euolutis menſibus quindecim florenorum Rhenenſium mulctam pendet. Vice verſa, ſi qui Ciues intra domum exiſtentes conijcerent dolo malo teli aliquod genus in pertranſeuntes, aut domo egredientes in illos facerent impetum, poterunt eiuſmodi pertranſeuntes vim vi defendere, neque defenſio ijs fraudi aut culpæ vertetur. Altera eiuſdem Hynsberghij in Iulio 1424. pœnas inuaſorum & infractorum exauget. Tertium articulum ſuperius exhibui, quem circumciſum repeto, Qui vi alienam domum introiuerit, & quenquam ibi ad ſanguinem ſaucium fecerit, vltra ſtatutariam mulctam, parti offenſæ, Principi, & Ciuitati reus eſto vltramarini itineris intra trigeſimum diem inchoandi, intraque annum peragendi: contumax capite luito. Nonum habe, Quicunque in alium eiaculatus fuerit intra domum in Ciuitate aut Banno ſitam, ſeu propria ſeu aliena ea ſit domus, vltra emendam Principi & parti offenſæ debitam, Reus ſit viagij vltramarini intra triginta dies ab inſinuato præcepto irremiſſibiliter ſuſcipiendi, crimine tamen prius legitimè verificato. Et quod ſi poſtmodùm delinquens citra viagij peractionem, aut non facta per literas teſtimoniales fide peractionis, ad Ciuitatem vel Bannum rediuerit, & apprehendi potuerit, dextra manus ei amputetur, nulla veniæ ſpe. Poteſtate nihilominùs facta inuaſis & obſeſſis in domo intra Ciuitatem & Bannum ſeſe quocunque telo defendendi abſque præſcriptarum pœnarũ formidine.

De

De Claue Consulari nostris & patrum temporibus requisita ad perquirendos in Ciuium domibus criminosos, apud antiquitatem nil reperio, & gratiam ijs debebo, qui me edocebunt. Perspectum mihi est, quod anni 1626 Consules, quibus tum primùm successi, binas argenteas claues Magistrales propter characterum debilitatem in Armarium secretius, vbi maius Sigillum asseruatur reposuerint, futurum posteris symbolum alicuius Vetustatis, & Recentes, quibus illi, & post illos ego secundùm, & successores vsi sunt, nuncque vtuntur, surrogauerint. An Alexãdri Macedonis exemplo, qui penetratâ Indiâ, alium frustra orbem pertentans, simulacra virorum & armorum solitam excedentia formam sparsit, posteris errorem & admirationem? Haut scio, nec existimo. Affirmare possum tritas vsu & lectu difficiles, sed non eo (mea sententia) senectutis indicio, vt inde venerationem acquirant maiestati. Malè Massilienſium in prisco more obseruantiam, disciplinæque grauitatem isthùc adduceremus. Vbi à condita vrbe gladius est, (Valerius Maximus de suo æuo) quo noxij iugulantur, rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta seruanda. Inter Priuilegia Diui Cæsaris Caroli Quinti (feraciſſima Cæsarum Austriaca domus vltra alios omnes Cæsares gratiosa in Leodienses fuit), in vno sub die 27 Iulij 1521, quod inædificationes aut dirutorum ædificiorum restaurationes tangit, istud habetur, Vt Ciuitates & Oppida repleantur (commune est Oppidanis omnibus) liceat vnicuique ad finem prætactum census

& reditus ex areis, locis, & domubus quomodolibet debitos redimere pro precio ex venditione percepto. Liceat similiter possessoribus & dominis, census ac reditus ex illis debitos exonerare & redimere, mediante censuum seu redituum æquivalentium assignatione super alia sufficienti hypotheca vltra tres leucas non distante. En tibi in hanc rem vniuersorum Priuilegiorum summa? Dispice & iudica num illi iure aliorum ciues Oppidorum contemnant & fastidiant, & illorum libertates plumbeas præ suis aureis dictitent? Quippini, si hodie plebeis Leodiensibus fidem habes, omnes Legiæ angulos credas esse miracula: tot Priuilegiis paupercu-las suas casas prædicant decoratas, & se illarum inquilinos beatos quosdam Regulos. Frustra prisci sæculi narratores inquiant, tantùm septem fabricarum terris attributa miracula: Ephesi Dianæ templum, Regis Mausoli pulcherrimum monumentum, Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocabatur, Iouis Olympij simulacrum, quod Phidias formauerat, Cyri Medorum Regis domum, quam Memnon fabricarat, Babyloniæ muros, quos Semiramis construxerat, & Pyramides in Ægypto. Sed philautia, & propria supparasitatio sibi ipsi imponit. Quicquid conspicuum pulchrumque in corpore toto est, quicquid admirationem ciere potest, à Principibus, ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis collegiis collucet. Aula Episcopalis, verè Regia, à Principe Erardo de Marka à fundamentis instaurata, opus est operosum triginta & duorum annorum. Non spernendum ante fuerat Palatium à Notgero exædificatum, quod sub Ioanne Hornæo Erardi prædecessore ignis neglectus absumpserat.

ſ erat. Quanta illa & ardua mirandaque moles ædis Cathedralis, quam Diuus Hubertus Deiparæ & Sancto Martyri Lamberto poſuit, & longo concrematam interuallo Notgerus ſumptuoſiorem ſplendidioremque repoſuit? In cuius choro alterum Mauſolæum, tumulum eiuſdem Erardi Præſulis, vbi precium & ars inuicem concertant, viſere liceat & contemplari. Dabit quod oculos paſcat ædes & ſedes hæc Cathedralis, quæ eodem tempore (ſub Alexandro quinquageſimo octauo Epiſcopo) tulit Canonicos, nouem Regum filios, Ducum quatuordecim, Comitum viginti nouem, & Baronum ſeptem, quorum ſingulorum nomina Ægidius aureæ Vallis in Annalibus ſuis recenſet. Septem aliæ Collegiatæ Eccleſiæ, tot ſeparata triginta Canonicorum penè vbique Collegia, quantam, & quot multiplicatis radijs lucem diffundunt? Lucem, quam non à popularibus, ſed à Principibus ſumpſerunt. Eccleſiæ Diui Petri conditor eſt Diuus Hubertus, in qua Monachos conſtituit, & in eadem ſepeliri voluit, inde poſtmodum Andainum tranſlatus; ſed Richarius collegiatam reddidit, conſtitutis inibi & dotatis triginta Canonicis.

Eccleſiam Sancti Pauli Eraclius erexit & in ea Canonicos viginti, Notgerus perfecit, decemque Canonicos adiecit. Idem Eraclius Martinianam conſtruxit & plenè ordinauit. Notgerus Eccleſias ſancti Ioannis Euangeliſtæ, Sanctiſſimæ Crucis, & Sancti Dioniſij excitauit, etſi in poſterioribus non integrum Canonicorum numerum, qui ſuccedente tempore fuit ſuppletus. Diui Bartholomæi Eccleſiam Godeſchalcus Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus fundauit, duodecim in ea Canonicis

institutis, Waso Episcopus ad alios quindecim auxit: & hæc postrema non complet ter denum numerum. Cum septena Canonicorum istorum Collegia maioribus anni solemnitatibus in ornamentis Ecclesiasticis ad Lambertinam conueniunt, Missæ intersunt, & à Missa festiuæ supplicationi cum Canonicis duplicato numero Cathedralibus; de hoc Ordine & concentu Ecclesiastico illud Ecclesiasticum potest decantari, Glorioſa dicta sunt de te Ciuitas Dei; non in Ciuitate vrbem, sed Ecclesiasticum splendorem denotando. Atqui omnium harum præbendarum ordinarius collator est Episcopus, vt & cæterarum in aliis Ecclesiis Collegiatis intra Leodiensem Principatum. Non exiguum decus accedit per irradians plurium Abbatum iubar, qui vnà cœtum statis sacrorum lustrationibus illustrant, Episcoporum munificentia vt plurimùm fundati. Certè Abbatia Laurentiana Eraclio, Notgero, Wolbodoni & Durando se acceptam referat necesse est: Iacobæa Baldrico, & eidem Wolbodoni: Ægidiana Alberoni Primo, qui Ecclesiam dicauit, & Regulares Canonicos in ea collocauit. Idem Albero Monasterium Ordinis Præmonstratensis in Castello Cornelij montis construxit; & Ioannes Guidonis septuagesimus primus Episcopus, vt Abbatem & Monachos crebris subleuaret sumptibus illiberalium & frequentium nimis hospitum, vice castri Cornelij montis, locum vbi nunc agunt, & Abbatia Belli Reditus apellatur, assignauit. Hugo de Petra-ponte cœnobium Religiosorum Vallis Sancti Lamberti excitauit & ditauit. Ioannes de Apia, sub cuius auspiciis Ecclesia Canonicorum Regularium in honorem Beatissimæ Mariæ Virginis

nis in loco antiquitùs Graueria, & tunc insula Nostræ Dominæ nuncupato, vbi hodie Abbatia Scholarium, quæ nuper erat Prioratus, incepit, Monasterium Cruciferorum, primum & initiale totius Ordinis, cuius Prior hoc ipso est Generalis, & nuperrimè Mitratus, in Oppido Hoyensi lucem fecit aspicere. Alexander Nouum Monasterium, (Abbatia est eiusdem cum Ægidianâ regulæ iuxta Hoyenses muros) cuius fundamenta Petrus Eremita iecerat, Alexander perfecit. Vt non sim hac in re prolixior; tria celeberrima Andainense, Alnense & Lobiense, me silente fatebuntur plurimum suis Episcopis Leodiensibus debere. Andainense, quod pientissimæ Heroinæ Plectrudis beneficio auram hauserat, alteram vitam à Walcando trigesimo quinto Episcopo anno Domini 817 recepit: dum ex Clericis Monachos Ordinis Benedictini reddidit, latifundiisque & amplis possessionibus adauxit, &, quod omnes Pici thesauros, aureasque Midæ gazas exluperat, inæstimabile Sancti Huberti corpus, incorruptum illibatumque in hunc diem, fuit largitus, à quo sacro pignore nomen commutauit, dictum ab inde Hubertinum. Abbatiam hodie moderatur Nobilis & Reuerendiss. Dominus Nicolaus de Fanson Archimandrita Religiosissimus, qui eam ad antiquam regularem disciplinam iuxta primæuam Diui Benedicti normam fæliciter, fauente, adiuuanteque Sereniss. FERDINANDO Leodiensi Principe, reduxit. Alnense, cuius Sanctus Landelinus fundator primus traditur, Henricus secundus Episcopus melliflui Diui Bernardi consilio (testante Ægidio aureæ Vallis) cum esset antea Ecclesia Canonicorum, &

vna

vna duodecim Abbatiarum sæcularium, quas Ecclesiæ Sancti Lamberti maiores conferebant, collocatis ibidem Monachis, Abbateque Gerardo, fundauit. Siquidem & Chronicon Gemblacense verbo, *fundauit*, vtitur. Sanctus Albertus eo nomine Primus Episcopus Abbati Lobiensi, qui quondàm in diuinis celebrandis erat Episcopi Vicarius, mitram à Pontifice eum in finem postulatam donauit, & longè prius Franco trigesimus octauus in Ordine Episcopus Lobiensem Abbatiam Leodiensi contulerat Ecclesiæ; si Molano & Anselmo Canonico adstipulamur. Si res ab origine perquiratur, Ecclesiæ etiam parochiales Ciuitatis Episcopalibus cõaluerunt expensis: aliquot edam, cæteras indagini aliorum relinquens. Templa Parochialia Sanctorum Thomæ & Remigij Nithardus; Sancti Nicolai ad muscas Reginaldus Nithardi auunculus & prædecessor; Sancti Alberti Notgerus, qui & Ecclesiam parochialem S. Mariæ ad Fontes cum vicina æde Lambertina concrematam à fundamentis suscitauit; Sanctæ Aldegundis Albero primus, idemque Sancti Clementis; Sancti Huberti Obertus, & idem Sanctæ Fidei; Sanctæ Mariæ in Bouera Baldricus, extruxerunt. Quæ ideo cumulaui, ab inutili aliàs labore supersessurus, vt penitiùs instillem immensa vndequaque Principum beneficia, & nusquam posse aciem oculorum circumferri, quin loquacia illorum appareant vestigia. Viceuersa, quàm suæ vilitatis parùm conscia Ciuitas, quæ etsi non suis sed Principum tantùm trophæis & spoliis valeat gloriari, clangit tanquam propria?

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

De foro Ciuium Leodiensium in Criminalibus Causis.

IVs in inuitum reddi, pro regula est apud Legispe-ritos. Nam quis peccandi modum faciet, si nolenti pœna imponi non queat? & à quo imponetur, si non sint qui iura reddant? Caligulæ, Claudio, & Neroni solemne fuit, quos mori destinarant, gratiam facere generis lethi. At perpende quam gratiam? Ni festinassent eligere, immittebatur carnifex omnibus cruciamentis excruciaturus. Criminum Rei & conscij non tam detestantur trabem ex qua penduli fient, quam reformidant Iudicem à quo sentẽtiam capitalem sunt audituri. Plebs Romana cur tantum abhorruit à Magistratu sine prouocatione, quæ tandem ad populum auertendis secessionibus fuit indulta? An non è corpore suo obtinuerant Tribunos Plebis, eosque complures, & Plebeium in eis Magistratum? Causam mihi tacitè recogitanti succurrit. Tribunos nullum habuisse ius, quenquam in iudicium vocandi. Etsi multi imperiti, perinde atque haberent eo vsi sunt. Nam quidam non modò priuatum, sed etiam Consulem in Rostra vocari iusserunt. Et M. Drusus Tribunus plebis L. Philippum Consulem quia interfari concionantem ausus fuerat, obtenta gula, non per viatorem, sed per clientem suum adeo violenter in carcerem præcipitem egit, vt multus ẽ naribus eius cruor profunderetur. Consules, Prætores,

& alij cum imperio Magistratus, vocationem habebant. Leodienses supra quàm Domini orbis Romani, satagunt Plebeium habere Magistratum, qui saltèm coniunctim & vnà cum Scabinis totius Principatus iudicibus ordinariis in criminalibus ipsorum causis munere iudiciali in puncto decretorum capturæ, & exculpationis fungantur. Fundamenti soliditatem exploremus ex domesticis monumẽtis. Tribunalia criminalia Episcopi fuere, Iudicium Pacis, & Parium Curiæ, Ius Annuli Palatij, & Scabinale Consistorium. Fuêre. Quia Priora duo desierunt malo fato: Annulum nodo Gordio tenaciorem nescio quis Alexander mucrone suo dissoluerit: & quod Pares Curiæ attinet, viuunt intra nudam feudorum cognitionem, eamque ciuilem concluſi. Integra Criminalium iurisdictio per illorum decrementum Scabinis increuit. Philippina Ciues à Iudicio Pacis exemptos declarat, sed non aliter quàm si Scabinorum præstolentur iudicium. Quamdiu (ait) Ciuis Leodiensis volet stare iuri coram Scabinis non trahetur inuitus ad excelsius Tribunal. Quale erat vtrumque Pacis, & Annuli. Tractatus à Patrono Temporalitatis indigitatus, in materia Iuris Prætorij, Ciues tam natos, quam Ciuitate donatos, æquè ac omnes incolas plenæ Scabinorum cognitioni subijcit. Verba vernacula Latinè reddo. Prætor indicta causa & sine Scabinorum decreto prehensionem habet vniuersorum Furum, Latronum, Sicariorum, Incendiariorum, & cæterorum de similibus excessibus infamatorum; siue naturales ij Ciues sint, seu adscripti. Quos si fortè Burgimagistri priùs apprehenderint, intra triduum Prætori tradent, & is in carcerem conie-

coniectos & tormentis suppositos secundùm suam bonam conscientiam pro qualitate & mensura maleficiorum, morte damnare poterit. Per Pacem Clericalem ijsdem Scabinis sua authoritas remanet salua in Ciues & Ciuium famulos delinquentes. Per Pacem de Fexhe soli Scabini aut Pares Curiæ Feudalis sunt omnium Ciuium, & Incolarum Iudices. Pace de Wihoingne ad annos quindecim duraturâ constituti sunt vigintiquatuorviri, qui ad requisitionem Deputati Principis cognoscent & iudicabunt de contrauentoribus Statutorum, data tamen parti offensæ facultate Prætorem & Scabinos eapropter adeundi, saluo quod erit præuentioni locus. Pace de Geneffe & Wotem, seriò prouisum, Ne duo Magistri & octoginta Consiliarij Ciuitatis, vel rem minimam iurisdictioni Principis detrahant. In Pace de Waroux continetur, Ad solos Scabinos certæ vis illatæ cognitionem spectare, quam pro modo excessus, conditione personæ, & tenore statutorum corrigent. Item, Dum de Pœna Capitis vertitur, octo, non pauciores Scabinos interesse debere. Moderatio legis Nouæ sub Adolpho Episcopo vetat, Ne Magistri & Consilium Ciuitatis, & reliquorum Oppidorum, vllius casus criminalis cognitionem vsurpent, vt nec causarum spiritualium, aut sæcularium ad Scabinos pertinentium. Pax verò Tungrensis etsi paruam rimam, si non fenestram futuræ vsurpationi videatur aperuisse, annuendo licentiam Ciuibus in causa debiti & mercimonij coram Magistris & Iuratis litigandi, notionem Criminalem procul ab ijs amouit. Ordinatio Bauarica anni 1416 tredecim Consiliarios instituit, qui de Præuaricationibus

tionibus Statutorum cognoscant, exceptis vitæ & mutilationis membrorum casibus. Hoc adhuc moderamine, quod à sententijs Tredecimvirûm circa mulctæ excessum licebit ad Scabinos apellationem interponere; rerum etiam per Tredecimviros iudicatarum executio fiet authoritate Scabinali. In hæc vsque tempora, quantum indagaui nullam notam deprehendo adiunctionis Magistratus Ciuici ad Scabinale Tribunal in criminalibus Ciuium causis. A Constitutione Hynsberghica anno 1424 exordium accepisse oportuit. Quàm modicum præ ijs quæ in longa spacia glisscente in dies abusu diffunduntur, obiecti oculis articuli docebunt. Posteriorem tertij partem expende, Delicta per Inquisitionem aut aliter probabuntur coram Prætore & Scabinis, necnon Consulibus & aliquibus Iuratis. Et vbi alteri illorum nollent, aut nequirent interesse Inquisitioni (Inquestam vulgus apellat) alterutris absentibus, aut vtrisque negligentibus, idoneè interim interpellatis, infrascripti Vicorum Commissarij dictam inquisitionem peragent. Præsens verò articulus afficit duntaxat Ciues Pagorum Pomærij, quorum Princeps & Capitulum sunt Domini vtiles & directi simul: Nam inferiora & subordinata dominia non intendimus isthìc comprehendere nisi vltrò consentiant. Quintus articulus eodèm tendit, Sancimus vt quotannis ter inquisitiones criminales promoueantur aduersus Ciues malæ famæ, & eos qui in patrimonio & censu nil possident, tabernas nihilominus assiduè frequentant, aleatores qui pecunia empti, vel aliter, quietiores prouocant, turbant, iisve minitantur. Quem in finem cum Deputatis inquisitionũ contra

leno-

senones iuxta Ordinationem nostram Noui Calculi dictam, procurandarum, Designati Vicorum vbi Inquisitio fiet, assistent. Et quod si alterum membrorum, vel vtraque membra, Prætor scilicet & Scabini, aut Magistri & Iurati nolunt aut nequeunt interesse, causante illorum rite interpellatorum absentia aut negligentia, dicti Designati Vicales inquisitionem complebunt vt supra dictum est. Constito dein malæ famæ homines esse de excessibus eiusmodi abundè inculpatos, per apparitores Prætoris aut Magistrorum apprehendantur & in carceres Prætoris protrudantur, quo loco debitè examinabuntur, si Ciues fuerint, in præsentia Magistrorum & eorum Consiliariorum ad id vocatorum, si comparere velint, & pro modo criminis, supplicium irrogetur. Ne iurisdictionem Criminalem Magistratus Ciuici quisquam primo occursu colligat, ex eo quod per suos apparitores valeant criminosos repertos apprehendere; scrupulum soluam. Reipublicæ expedit, scelera non remanere impunita: vnde scripsit Bartolus, quod etsi leges pœnales sunt regulariter odiosæ & strictæ interpretationis, tamen quæ ad emendanda & corrigenda crimina latæ sunt, fauorabiles censentur, & extendendæ, quoties excessus non sufficienter coërcerentur. Adeò vt mirum videri non debeat si apparitoribus Ciuicis permissa sit apprehensio, sed inde inferendum non venit, actum illum esse iurisdictionalem, cum apprehensos teneantur in Prætoris ergastulum compingere. Priuato tantundem liceret in subsidium & fauorem Iustitiæ, dummodò intra vigintiquatuor horas carceribus publicis sistat, iis elapsis carceris priuati pœnam non

euasurus. Addo facultatem prehendendi non esse idoneum imperij meri aut mixti argumentum. Quod Varronis distinctio clarum facit. Sunt Magistratus qui habent vocationem, sunt qui prehensionem, quidam neutram. Qui vocationem habent, ijdem etiam prehendere, tenere, & apprehendere possunt; quia maiori inest minus. Et huius generis Magistratus erant apud Romanos, Consules, Prætores, & cæteri imperium habentes. Apud Leodienses verò Prætor & Scabini: nam de Curia Officialis Leodiensis non est mihi sermo. Prehensionem habent quicunque Viatorem habent: de quorum numero erant Tribuni Plebis: & hodie Leodij Consules, qui quadantenùs ad Tribunos Plebis accedunt. Neque vocationem, neque prehensionem habent, qui neque lictorem habent, neque Viatorem: vt Quæstores, & Ædiles olim apud Romanos, quamuis posteriùs Ædiles ius prehensionis vsurpauerint. Magistratus etiam in maiores & minores diuidebantur: cum enim nihil facerent inauspicatò, & soli Patritij haberent auspicia, in duas diuisa potestates, quia Consulum, Prætorum, & Censorum maxima erant auspicia, Consules, Prætores, Censores, maiores Magistratus dicebantur. Reliquorum Magistratuum, veluti Quæstorum, & Ædilium Curulium minora erant auspicia, ideo minores Magistratus apellabantur. Tribuni Plebis, quod à Plebe crearentur, cui non erat ius auspiciorum, in hanc non cadebant diuisionem. Maiores Magistratus Centuriatis Comitiis fiebant, minores Tributis Comitiis. In adeptione honorum ibatur per gradus, non saltuatim. Gradatio hæc erat, Quæstor, Ædilis, Prætor, Consul.

Nam

Nam Censoria dignitas non erat tam promiscua, vt eam adipisci fuisset ante Consulatum necesse: spectatissimis Senatoribus & Consularibus viris exactæ vt plurimùm ætatis deferebatur. Sola igitur prehensio iurisdictionem non tribuit, nec inesse declarat. Verùm profundior est quæstio, an non hoc ipso tribuatur Consulibus & Iuratis criminalis Potestas, quod Inquisitioni Criminali vacent ex Statutaria Constitutione Principis. Aliquam in præparatoriis iurisdictionem ex illa Principis lege exsurgere opinor penitùs. Lex enim imitatur naturam, & nihil frustrà operatur. Dum vult certis in casibus Consules & nonnullos Iuratos adesse Inquisitionibus in facinorosos Ciues agitatis, non existimem eam loqui de præsentia quadam marmorea & mere passiua, vt scilicet præsentes sint sine iure suffragij, sed iudicum aliquale munus obituri. In Præparatoriis inquam: quia Hynsberghica Constitutio videtur officium illorum restringere ad Punctum Inquisitionis, quo peracto & per decretum sequens finito desineret, ita tamen quod in examine Rei inquisiti liceat Consulibus, si modo eis lubeat, comparere cum aliquibus à consiliis suis. Quod hanc constitutionem dixi esse velut primam radicem à qua pullulauerit Ciuici Magistratus in Criminalibus vsurpatio, non nego Iuratorum mentionem sub Adolpho de Marka fieri, in litera Sancti Iacobi nuncupata, anno 1343, dum Princeps Thrasybuli amnistiam secutus, abolita murmuris & seditionis memoria, tres tantùm criminum species reseruauit, quibus adhuc cognoscendis Iuratorum præsentiam admittit. Tres casus excepti. Pulsus Albæ Campanæ, (classicum

conuo-

conuocationis popularis), Vexillorum expansio in forò aut alibi in Ciuitate ad excitandum populum, & Inclamatio ad arma per Ciuitatem: tria delicta capitis supplicio expianda. De quibus Iacobæa illa Adolphi litera sic inquit, Quod si vllum è Ciuibus nostris contingeret aliquod è præscriptis tribus sceleribus commisisse, Volumus ne Prætor & Scabini nostri in ciuem inculpatum Inquisitionem faciant, nisi præsentibus duobus Consulibus, & septem Iuratis Magnatum, & totidem Iuratis Plebeiorum, qui tamen si congruè moniti non comparuerint, liberum esto Prætori & Scabinis solito more inquisitionem peragere & ius dicere. Differt verò ab Hynsbergica, quod magis temporaria sit, & limitata ad tres rarissimosque casus, scintillas, si non incendia armatarum seditionum; quæ quouis precio benè sopiuntur. Et vtrimque apparet ambos Principes plus respexisse ad formandi Processus securitatem in Ciues ex Ciuici Magistratus assistentia, quod rerum arduarum incœpta sint discriminis plena, quàm ad causæ terminationem. An aliqua Tribunorum Plebis similitudine? Qui ante Curiæ valuas positis subsellijs, decreta Patrum Conscriptorum attentissima cura examinabant, vt si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Vnde veteribus Senatusconsultis T. litera subscribi solebat, eâque notâ significabatur, ita Tribunos quoque censuisse. At matura deliberatione opus Principibus, antequam de iure suo aliquid demittant. Vt periculosum est committere furioso ferrum, sic Principem Plebi aliquid suæ permittere authoritatis. Si plebi pomum porrigis, arborem arripit, si annulum vnum offers, torquem

quem integrum extorquet. Dionysius Diuûm templis pateras & coronas aureas quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur tollebat, & eas se accipere non auferre dicebat, perquàm stultum inquiens à Diis porrigentibus nolle sumere. Ille etiam Ioui Olympio magni ponderis aureum amiculum detraxit, reposito laneo pallio, dicens aureum esse æstate graue, frigidum hyeme, laneum aptius ad vtrumque anni tempus. Quid aliud indulgentia prædecessorum apud plebem peperit, quam vt postmodùm non contenta fimbriis tollat aurea Principis paludamenta, Regalem nimirùm illius iurisdictionem velut patulis manibus præbitam, & aurea detracta chlamyde superponat laneam, dum hodie spurcissimo rictu in triuiis & popinis, vtinam non in Comitiis, passim Principi illudit, ius & nomen Principis demit, & nudum Episcopi epithetum imponit, velut Ecclesiæ, & Ecclesiastico Præsuli aptius? Sensit suo mœrore & publico Orthodoxæ Religionis malo Erardus de Marka Princeps operibus suis immortalis; qui anno 1532. dum aduersus Lutheranæ hæreseos, nouitate & licentia quibusdam arrisuræ, sectatores iuxta edictum Cæsareum inquiri mandat, fortiter piis & iustis suis conatibus obsisti reperit. Magistratus namque Ciuicus velut præfatorum priuilegiorum pertenax statuit, ne in quenquam ciuem in materia damnatæ Religionis procederetur, nisi prius per Legem & Franciscam de dictis factisve hæreticis fuisset conuictus: neque Antistes quà authoritate, quà suadela aliud potuit obtinere; & ne res in seditionem abiret eam inquisitionis viam contra ciues tolerauit. Grande quidem est necessitatis

robur, & satius nonnunquàm flecti, quàm disrumpi; verùm excussis nubibus & reducto sereno, æquum fuisset remedium futuris temporibus prospectari, & vsurpatæ potestatis abusus resecari: quos nunc in exemplum cient, & ab exemplis legem formari volunt. Cæterùm præsentiam Consulum & quorundam Iuratorum non fuisse antehac aliter quam in puncto fabricandæ inquisitionis introductam, & id argumento est; quod ad nostra tempora pro quibuscunque criminibus Prætor & Procurator Principis possunt etiam contra ciues accusationem instituere & peragere coram solis Scabinis. Cur inquisitionem non item, cum inquisitio surrogetur in locum accusationis? Circa decisionem par ratio, in ea verò inchoanda & promouenda videntur Principes ideo admisisse, seu meliùs permisisse præsentiam Consulum & Iuratorum, quia inquisitio fit secretò & inaudita parte, vt oculati testes & exploratores fierent rectitudinis iudicum in procedendo aut cognoscendo.

CAPVT DVODECIMVM.

De Iuratis Quatuordecim in Criminalibus Inquisitionibus.

IN quaque Operarum Tribu binos vt plurimum fuisse Iuratos obseruare est ex Constitutionibus, Statutis & Pactis: qui tamen ad tempus fuere aliquando suppressi, seu in aliorum apellationem officiorum mutati. De illis in genere nunc non agimus, sed de ijs tantum qui

qui vacant aperturis Inquisitionum Criminalium quà Ciues concernunt. Qui sunt numero quatuordecim vltra ambos Consules. Cur præcisè vsus introduxerit istos Quatuordecim-viros, causa in abdito est. Iureconsulto sufficeret, Non omnium quæ à maioribus constituta sunt rationem reddi posse. Si Philosophica foret exquirenda, Platonici & alij Numerales ad septenarij vim & energiam confugerent, quod numerus decimus quartus sit septenarius duplicatus. Cuius varias illi prædicant virtutes, quod septem sint Pleiades, septem Planetæ, quater septenis diebus Luna cursum suum perficiat, septimo mense partus humanus sit vitalis, septem diebus Alcyone in mari niduletur, quod discrimina morborum per septenarios discernantur, qui ideo Critici dicuntur, ætas climacterica multiplicatis annorum hebdomadibus confletur, & id genus non pauca. Sed si quid inde dignitatis flueret, numero bis septenario Scabinorum, qui pluribus sæculis Iuratos omnes præcessêre, conueniret. Ad quorum similitudinem hi Criminales Iurati, videntur inducti, ne Scabinis cum quibus concurrerent, essent numero inferiores. Consulibus quasi extra numerum collocatis, quod vnum corporis caput repræsentent aduersus Prætorem, Scabinorum Primatem: vnde hebetioribus inter Iuratos, non semel ore excidit, ambos Consules in Inquisitionibus vulgandis vnico pollere suffragio. Admissi ad inquisitiones precariò fuere, partim vt eò diligentiùs instruerentur, partim vt Plebe ad Franciſiæ, seu libertatum personationem aut eructationem assueta, pro commodis Plebis excubantes, operam præsentes adhi-

berent, ne Franciſiæ Ciuium detrimentum paterentur. Ipſa nuncupatio indicat: dum vt Scabini ſub nomine Legis veniunt, ita Magiſtri & Iurati ſub nomine Franciſiæ. Sic paſsim fantur, Inqueſtas authoritate Legis & Franciſiæ promotas, Ciues per vtrumque membrum Legis & Franciſiæ iudicatos, aut per membrum Legis tantùm. Non ex vano Principes Pacis & quietis amantes in hanc Popularitatem inclinaſſe autumem. Aptè Iuſtinianus noſter, Legiſlatoribus continuam Legiſlationis occaſionem, emergentium cauſarum dat varietas. Et (vt alter) Nulla iuris ſanctio quantumcunque perpenſo digeſta conſilio ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes eius inopinabiles ſufficit. Quoties Comitiis Conſularibus, non vis, non corruptela irrepit, & tres calculi per Tribus ſingulas Trigintaduumviro & binis Iuratis creandis deſtinati idoneos ſortiuntur, & conſequenter probi & vigilantes Conſules, & honeſti intelligenteſque Iurati obueniunt, neque duplicatio numeri, neque muneris vnà cum Scabinis obitio, Iuſtitiæ remoram aut inuerſionem adfert. Expertus loquor: vidi per Conſules & Iuratos ſepoſito Ciuium & quocunque affectu in Criminum perſcrutationem, Reorumque deprehenſorum emendationem iri, non trepidè, nec tepidè, & aliis bono exemplo præiri. At quando Plebecula ex ſe inſolens, & alienis ſeducta technis ſuffragiorum diſpoſitionem ſibi attraxit, & plerique Iurati ſunt Plebei, & Plebeiorum arbitrio Conſules regunt, ſi non reguntur, Criminales iſti Quatuordecimviri magno ſunt nocumento aut impedimento. Cùm procedendi modo, tùm & præcipuè propria

propria culpa. Modus est sine methodo. Non capaciores aut probiores ex eis Iudicandi munus affectant, sed illiterati, opifices, sordidi, & ijsdem crebrò aut maioribus maculis inquinati, quàm in quos inquiritur. Hi vel Inquisitis genere aut familiaritate iuncti, vel nummis aut poculis præuenti, ingerunt se & præoccupant, exclusis cæteris, qui expleto semel Quatuordecimvirorum numero retrocedere coguntur. Quid Iustitiæ tunc sperandum? Sylla allato capite Marij Iunioris, superioris Marij cognati, qui cum Papirio Carbone Cõsulatum imprudenter gesserat, exprobrasse dicitur, Remigem prius esse oportere, quàm ad gubernacula manus admouere. Inter Carolinæ legis fragmenta, districtim interdicitur, Ne opifex inter Scabinos aggregetur. Tulisset Carolus opifices Iuratos dari Scabinis Censores, quales agunt imperiti, aut sanè collegas? Adrianum potius Imperatorem fuisset imitatus, qui cum seruum suum inter duos Senatores ambulare prospexisset, misit qui colaphum impingeret & diceret, Noli inter eos ambulare, quorum potes esse seruus. Idiotæ, quibus causam gallinæ, nisi ad esum, committeres, comitia alieni capitis agunt, & laqueo moribus suis pridem digni, abs merentibus peruicaciter eum auertunt, in immerentes, si possint conuersuri. Altera ad prauam æmulationem patens est ianua. Consules & Iurati in separatum à Scabinis Consistorium discedunt, seorsìm inter se de negotio disceptant, in vota eunt, & resoluunt: & cum eueniat persæpè sententiis à Scabinis disceptare, quos Scabini sicarios iudicauerint, Francisia innoxios censet, & aliquando vicissìm. Vt crebro dici possit,

—— Multi
Committunt eadem diuerso crimina fato,
Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.

In mitiorem scilicet partem, formula iuris sic dictante, res componitur; Et noxius ab altero tantùm Tribunalium nocens declaratus, pro innoxio habetur; & inter eiusdem sceleris Reos ille Ægidianum montem cruore suo funestauit, alter ad Popinas & Comessationes pristinas liber recurrit. Vt meritò diceret Cato, quosdam miseros latrones in compedibus, alios beatiores in auro vitam ducere. Cui malo forte potuisset occurri, si Lege sancitum fuisset, Neminem de catalogo istorum Quatuordecim-virûm futurum, nisi qui Iurisprudentiæ aliquamdiu studuisset, aut saltem in foro versatus; omni spe opificibus adempta. Hac vna superaddita moderatione, vt Scabini & Iurati simul cognitioni & iuri dicundo vacarent, vnumque in istiusmodi Inquestis Tribunal conficerent. Et vt altercationum præscinderetur ansa, quæ stante vtrimque numeri paritate facilè emergerent, Iurati ad Septemviros redigerentur. Inualuit præterea grauissimus abusus è Republica Catholica, quantum potest, eliminandus. Ecclesiastici Leodienses Ciuium numero & iure censentur in fauorabilibus, & in hanc sententiam Pace Clericali pactum fuit, domos Clericorum vltra Ecclesiasticam immunitatem frui Ciuica. Iustè quidem. Sed ex hoc sano principio læthale morbi genus serpit. Vt optimum & saluberrimum vinum dum auidiùs aut intemperantiùs bibitur, valetudini officit. Discoli quidam clerici (nam in tanta multitudine aliquos reperiri non per omnia culpæ extorres

haut

haut mirum) ne à suis Iudicibus Ecclesiasticis corrigantur, Ciuicam hanc Franciſiam implorant, negantes aliter inquiri aut condemnari posse, quam Legis & Franciſiæ authoritate. Ita iudicium competens eludunt, & sub asylo aut prætextu incompetentis, ab omni iudicio soluuntur. Si quandoque enim eueniat ob crimina per clericos & sæculares simul patrata inter Reorum nomina, coram Scabinis & Iuratis, Ecclesiasticos referri, laici iudicantur, & à Clericis superſedetur. Et penitissimè est superſedendum vtroque, Canonico, & Ciuili iure, seueriſſimis aduersus Iudices sæculares, qui iuriſdictionem in illos sibi arrogarent pœnis fulminatis. Sic vt neque iureiurando possint se ad temporale Iudicium adstringere, qui sunt in Christi sortem adlecti. Quos tantùm abest vt negligentiæ, vel conniuentiæ dum in eos sententiam abstinent ferre, redarguam, quin magnoperè laudem. Illud abominor & deteſtor, quod delinquentes illi ne à suis conueniantur Iudicibus, inueniunt non rarò patrocinantium turbam. Illuxit dies (nubibus & denſis tenebris cõopertum oportuiſſet) quo Magiſtratus Ciuicus Iudices Ecclesiasticos in solos Clericos ipſis subditos inquiſitionis officium exercentes proteruis & pœnalibus mãdatis compeſcuit, eo colore solo, quod illos Ciuium numero ducendos diceret, & violari Ciuicam Franciſiam, niſi Franciſiæ iudicium subiuiſſent. Si Paulinæ sententiæ similia vetantis aut irritantis ingratus est odor, reuocetur saltem in memoriam mutuum Tungrense Pactum, cuius articulo secũdo, Ne aliorum iudicum authoritati intercedat, aut suis eam inhibitionibus interturbet, ictum fædus esse voluit. Veniat

in

in mentem Constantini Magni nullis silendum sæculis factum, qui porrectos sibi clericalium controuersiarum à compluribus Prælatis libellos, ne legendos quidem à se censuit, quod Ecclesiastici à Deo solo, & Episcopis, Summisque Pontificibus Dei Vicariis sint iudicandi. Vetustior eo Sabacus Ægiptiorũ Rex, oraculo admonitus tum fælix regnum suum futurum si sacerdotes tolleret, sceptro, Ægyptoque carere elegit, quàm cum pernicie sacerdotalis disciplinæ imperium firmare. Regredior ad Ciuium tribunal, quod ad Franciſiæ anchoram attinere illi satagunt, quod olim ignotum erat, pœna in eos statuta qui Ciuem alibi quam coram Scabinis ciuili criminalive iudicio pulsarent. Ex Statutis Leodiensibus sub Adolpho depromptus est sequens articulus, Quisquis conciuem Leodiensem in vrbe residentem coram alia Iustitia sæculari, quàm coram Scabinis Leodiensibus in ius euocauerit, ni se obstrinxisset ad standum alibi iuri, in mulctam quadraginta solidos pendat sub pœna biennalis exilij, damnaque parti resarciat intra dies quindecim sub eiusdem banni pœna: Saluo quod si Ciuis sit fugitiuus, aut ob æs alienum à Ciuitate recesserit, tunc enim vbiuis locorum & coram qualibet iustitia poterit impunè conueniri. Similiter si à die insinuatæ citationis differret per bimestre comparere in iudicio, Magistri Ciuitatis ad partis instantiam debebunt eum coram se sisti facere, eidemque præcipere vt creditoris animum intra duos menses captet.

CAPVT

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

De Iure Franciſiarum, ſeu Libertatum.

POſt infælicem & propè interneciuam ad Cannas cladem cum ex inopia liberorum capitum, octo millia iuuenum validorum ex ſeruitiis empta publicè Romani armaſſent; & eorum opera Sempronius Gracchus aduerſus Pœnos proſperè pugnaſſet, omneſque ideò ex Senatuſconſulto liberos eſſe iuſſiſſet, Volones Pileati, aut, pileorum penuria, lana alba velatis capitibus, ludibundi Beneuentum introierunt, vbi epulis in propatulo ædium fuere excepti. Quæ res viſa Graccho digna, vt celebrati eius diei ſimulacrum, poſtquàm Romam rediit, pingi iuberet in æde Libertatis, quam pater eius in Auentino dedicauerat. Leodienſes multis priuilegiis (quæ ipſi Libertates, & ſuo idiomate Franciſias, quia vernaculè Frank liber dicitur, vocant) à Principibus, aut ab Imperatoribus interuentu & contemplatione Principum donati, non in templo, ſed in foro, in circulis, popinis, Comitiis, Conuenticulis, Monopoliis & alibi, præacuto linguæ ſtilo depingunt; in hoc laudandi, ſi benefactores à quibus illa accepêre extollerent: cum, vt benefacientis eſt, non exprobrare, ita eorum qui beneficio affecti ſunt, perpetuùm eius meminiſſe. At procul abſunt ab acceptorum beneficiorum commemoratione; quaſi pudeat authorum, quicquid habent ſibi ipſis acceptum ferunt. Quibus ſi cauſa

Athenis dicenda foret, vbi conuictus à Patrono Libertus ingratus iure libertatis exuebatur, audirent intonantem Iudicem, Abite, & estote serui, quoniàm liberi esse nesciistis. Libertas in iure definitur, Naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut iure prohibetur. Vis ab ea facultate excipitur, quia nihil magis contrarium libertati, quàm vis. Quod autem lex prohibet, libertatem non infringit, cum non dicamur posse, quod eâdem vetatur. Ob quod Cæsarea illa in Iustinianæo Codice promanarunt oracula, Digna vox est maiestate regnantis Legibus alligatum se Principem profiteri, Et nihil tam proprium Imperij est, quàm Legibus viuere. E contrà luxuriat Plebecula libertatibus & libertatem putat, licentiam impunè cuncta gerendi, sub Priuilegiorum prætextu. Annales manuscripti continent Carolum Magnum in suo reditu ab Ecclesiæ Regalis Aquisgranensis sacratæ per Leonem Quartum Papam dedicatione, Ciuibus originariis Leodiensibus propter bellicam virtutem indulsisse, versicolorum vestium, nodorumque argenteorum vsum, necnon facultatem insignia gentilitia vsurpandi. Cuius indulti notam nusquàm reperi, & subuereor rem esse fabulosam, quemadmodùm est altera narratio, quàm suprà attigi, de Ciuicarum ædium Franciscia, quam vulgus iactat ab eodem concessam. Et dubitarem an fuisset donum tanto Monarcha dignum, & fortibus viris, si ob fortitudinem fieret, conueniens. Ornamenta vestium ad mundum muliebrem pertinent

Fine coli modico forma virilis amat.

Mulie-

Mulieres Romanæ, vt earum pudicitia honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura vsæ sunt, & quò formam suam concinniorem efficerent, capillos cinere rutilarunt. Interrupit C. Oppius Tribunus-plebis, legem ferens, Oppiam ab eo dictam, Ne qua mulier plus semi vncia auri haberet, neu vestimento versicolori vteretur. Ad modestiam, non ad luxum & fastum Carolus Principibus præibat, procul est vt Plebeis ludum ad ea vicia aperiret; conscius, Imperium in virtute, non in decôre consistere. Non minor illo Carolus Quintus, in omni vita permodicus in cultu fuit, & in primo eius & solemni ingressu Mediolanum, vmbella aurea per Mediolanenses exceptus, in lanea atra penula & vili pileo sub eam se dedit. Ante eum Rudolphus Primus, vestitu vix à Plebeio differebat, & Ottocarum Boëmiæ Regem auro, & gemnis nitentem tectus cinerea seu grisea veste ad fidem seu homagium admisit. Augustum imitatus, qui non temere aliâ quàm domestica veste, quam vxor, soror, & filia, neptesque conficiebant, vtebatur. Facultatem insignia portandi, si tamen est Caroli, non autumem priuatis factam, sed Vrbi, in Vexillis, Manipulis, & Signis: ad exemplum quo Ioannes Bauarus Princeps Centurias ordinauit & insignia concessit. Si tamen id priuatos concernit, Sagatos & tempore expeditionis bellicæ tantummodò eos respicit. Vt ignaui à fortibus, pugnantes ab ociosis discerni possent. Fuit antiquitùs frequentatum à viris nobilibus, qui ne otio domi torperent in aperta Martis pericula pro Deo, & Ecclesia ruebant, vt in scuto insignia

per quæ dignoſcerentur, geſtarent. Magnanimi noſtri Argonautæ Heroïs Godefridi Bullonienſis Ducis ad terram ſanctam ſocij idipſum factitarunt, effigiatis vt plurimùm Leonis, pro differentia tamen colorum, figuris, Leonum robore aduerſus infideles belligeraturi: quæ inſignia in hunc diem non paucis familijs, imò Prouincijs, perdurant. Veræ Libertates & Gratiæ ſunt. Quod ius manus mortuæ, quod Principi & Eccleſiæ in pleroſque de Plebe competebat, fuerit remiſſum. Ante quam abolitionem, homines manus mortuæ non erant homines plenè liberi, multum de conditione ſeruili participantes. Et qui ſentiet epithetum Franki, ſeu Liberi ab ea largitione apud Leodienſes incepiſſe, quod ex tunc liberi eſſent & dici poſſent, me habebit applaudentem. Sunt & hæ permagnificæ, quamuis inferioris ſubſellij. Natos Ciues à Iudicio Pacis, & Annulo Palatij eximi: nec inuitos alibi, quàm coram Scabinis conueniri. Item, ſpecialiſſimi affectus & fauoris Principalis teſtimonium, Ciuem, cui cenſus & patrimonium honeſtè ſuppeteret, potuiſſe priuatam ſibi Curiam conſtituere, ſeu Tenantes, ſic adhuc vulgò in Eccleſiaſticorum Collegiorum Curiis apellatos, coram quibus acta, & recognitiones bonorum fierent. Quod meritò pridem exoleuit. Philippina, aut Albertina potiùs (quandoquidem Epiſcopus Albertus Secundus contuliſſe enarrata illic Priuilegia ſcribatur) eſt alterũ Cornucopiæ pro Plebeis ſimul & Patriciis. Concedit mancipiis vtriuſque ſexus (itáne anno adhùc 1208 Plebeiorum multi erant ſerui?) liberam diſpoſitionem bonorum, proſibus tamen, ſi quæ ſint, intra herilem remanentibus poteſtatem. Vt liber & ſer-

& ſeruus capitalium criminum conuicti, mortis ſubeant pœnam, at non bonorum proſcriptionem, quæ vxori, prolibus, & propinquis, immobilia & mobilia cuncta, erunt ſalua. Excepto ſcilicet Maieſtatis reatu. In quo ſolo hodie & nouiſſimo Authenticorum iure locus eſt confiſcationi. Ne deinceps Ciuis vllus Leodienſis vir aut fœmina pro exceſſibus ſuis Præpoſitali authoritate ad Ædem Deiparæ Mariæ citari aut excommunicari, quàm per Synodalium (erant certi morum Iudices) ſententiam poſſint, niſi tantum ſit crimen, quod ſit ſuprà illorum notionem. Frequens erat illis ſæculis telum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ad quod meritò pauebant cum vix alia ſit maior pœna, quàm verſari inter homines, & hominum carere ſuffragiis. Interdicebatur adſcriptitio Ciui, & cuicunque pugili Ciuem Leodienſem prouocare ad monomachiam & ſingulare certamen, ſed ſi iniuriam ſibi quereretur illatam, à Scabinis in Ciuem Iuſtitiæ præſtolari tenebatur adminiſtrationem. Peregrina forsàn pluribus videbitur hæc à Düello immunitas, cum omni iure prohibitum ſit Düellum: neque priuilegio opus ſit, vt quis ab improbi facinoris perpetratione excuſetur. Vt prudenter Auguſtus ab Antonio Triumviro prouocatus reſpondiſſe videatur, Sat multas eſſe læthi ſpecies, quarum vnam capeſſere queat, vbi mori decreuerit, nondum ita furere, vt eo genere inſaniat. Et anteriùs Scipio, ſe à matre, non bellatorem, ſed Imperatorem genitum. Sed periti nouerunt, priſco vſu etiam inter Chriſtianos in atrocioribus & occultioribus criminibus Purgationem per Düellum vſurpatam, cum quarundam conditionum con-

cursu. Quibus extantibus Principes soliti erant indicere aut approbare Monomachiam inter delatorem & accusatum. A quo pugnæ rigore soluebantur Leodienses, accusatoribus solitam iudicij aleam experiri coactis. Per eandem Albertinam ad dies quindecim feriæ Leodiensibus datæ, vt non tenerentur statim cum Principe & eius exercitu ad expeditionem militarem proficisci, sed lapso demum quinto & decimo die. Hoyensibus inæquales; quibus Theoduinus Bauarus à Sancto Materno primo Tungrorum Episcopo quinquagesimus tertius, qui toto penè sæculo Albertum anteceſſit, indulsisse perhibetur, ne inuiti Principem in hosticum euntem comitarentur, nisi post octauum diem à Leodiensium profectione. De hoc Leodiensium Priuilegio (quod parùm probatum fuisset Vriæ, qui religioni duxit domi suæ in lecto cubare, interim dum Ioabus cum exercitu sub pellibus agebat) vt dubitem, facit sententia Guilielmi Romanorum Regis lata Antuerpiæ sexto Idus Ianuar. 1254, qua Villicus, Scabini, Iurati, & vniuersi Ciues Leodienses detrectabundi condemnantur vnà ire cum Henrico suo Episcopo & Principe in expeditionem, & ad defensionem Ciuitatis & Terræ Haynensis, quæ est (inquit) allodium Beatæ Mariæ & Beati Lamberti, contra Comitem Andegauensem. Prout explodendum est tanquàm rationi, & iuri omni repugnans, quod in calce eiusdem Albertinæ subijcitur, Ciuem Leodiensem, qui fundum in Ciuitate acquisiuerit & per annum pacificè possederit, tutum futurum aduersus verum dominum annali præscriptione. Et contraria consuetudine eaque immemoriali obseruatur, vt

dece-

decenaria, vicenaria & tricenaria iuris communis præscriptio, in quadragenariam sit extensa; tantùm abest, vt annalis emptorem aut occupatorem securum reddat. Dignum notatu iis, qui Philippinæ plusquàm Clauæ Herculis, aut Scææ portæ tribuunt. Si namque præcipua puncta cernunt reprobata & exoleta, exiguas sciant esse emendicatæ illius Confirmationis vires, Philippinæ nuncupatæ. Non minore strepitu iactantur Franciſiæ fori recentioris, (seu Scabinorum & Iuratorum coniunctim) & Domuum Ciuicarum, ambæ Ioannem Hynsbergium habentes authorem, quibus si immorer iam eo labore functus, moram morosus quæram. Rudolphus Primus Ioanni de Enghien Episcopo impensè fauens, in eius gratiam non tantùm concessa ante priuilegia ratificauit, quod etiam post eum Albertus Primus filius præstitit, sed Rescriptis suis anno 1275 in Oppenheim datis familias Clericorum à Villici & Scabinorum iurisdictione exemit. Maximilianus Primus & Carolus Quintus, auus, & nepos, ille anno 1518 in Ciuitate Imperiali Augusta, hic annis 1521. 1529. 1530. vterque intuitu Erardi de Marka Episcopi, qui posterioris fuit Consiliarius, prædecessores Cæsares liberalitate fauorum superarunt. Prior voluit subditum quemque Prouinciæ Leodiensis coram Iudicibus & Ordinariis Iustitiis illius Patriæ in prima instantia, non alibi, conueniri, arestis & repræsaliis in corpore aut bonis interdictis, dummodo inibi pateret Iustitiæ complementum. Et vt de cætero à sententiis iudicum inferiorum, vel maiorum Episcopi non liceret ad Cæsarem aut Cæsareum tribunal immediatè apellare, sed ad

Epi-

Episcopum vel Episcopi Consilium proximè prouocaretur. Sublato etiam ad Imperialem Cameram apellationis beneficio, in sententiis Interlocutoriis vim definitiuæ non obtinentibus, definitiuis in possessorio, actionibus iniuriarum & causis breuioribus latis: necnon generaliter in causis, quarum capitalis summa in realibus & immobilibus sexcentos florenos Rhenenses, in personalibus & mobilibus trecentos non excederet. Carolus verò Quintus vltra præscriptorum ab auo datorum confirmationem, & taxæ in apellationibus limitatæ duplicationem, Statuit Scabinorum sententias in causis criminalibus latas remoto apellationis impedimento debere sortiri effectum. Et ne sub districtibus ac dominiis Episcopatus Leodiensis cuiquam liceat subditum aliquem de fuga non suspectum, aut idoneè caduere præsentantem pro leui aliquo crimine apprehendere, neque similiter pro graui aut enormi, nisi in facto præsenti, aut crimine flagranti compertum, vel nisi tale crimen euidenter constaret & publicè notum, aut mediante summaria & extraiudiciali informatione seu inquisitione, per famam publicam, aut vehementia indicia probato crimine à Iudice seu Iustitia loci captura aduersus aliquem fuerit decreta: ita tamen vt huiusmodi testimonia extraiudicialiter ad solum effectum carceris præmissa nullum causæ principali præiudicium, nequidem ad quæstionem adferre possint. Quod postremum Carolinum assiduè per omnium ora vertitur, Leodiensem Ciuem non posse apprehendi nisi priùs condemnatum, aut conuictum. Non memori erga largitorem gratitudine: Cæsarem enim Carolum,

Plebei

Plebei præsertim, silent quasi pridem ante illius tempora obtinuissent. Plura etiam alia ordinauit. Inter quæ, Ne Conseruatoriarum multitudo iurisdictionem temporalem Cæsaris & Principis per patriam confunderet, interdixit Conseruatoribus, & Executoribus Rescriptorum & Bullarum, ne inter personas laicas & de causis merè prophanis, realibus, feudalibus, & alijs ad forum sæculare pertinentibus, cognoscerent, aut Iurisdictionem exercerent. Specialiter autem approbauit Priuilegia alternatiuæ collationis beneficiorum Ecclesiasticorum in ordinariis mensibus, & taxam duarum marcarum auri puri non excedentium, in mensibus Apostolicis vacantium, à Sanctissimis Eugenio, Pio, Sixto, & alijs Romanis Pontificibus Ecclesiæ Leodiensi concessa. Ingenuè, non assentatoriè loquar. Carolum Magnum multa vt Ecclesiæ, ita Patriæ Leodiensi contulisse, notanter dum Pares duodecim instituit, diffiteri neminem decet: at Caroli Quinti in Ciuitatem & Patriam plura vigent Priuilegia. Ferdinandus Primus fratris in Imperio successor non disparem exhibuit affectum, dum rogatu Roberti à Bergis Episcopi 28. Nouembris 1562. ex præsuppositione quod à sententiis Deputatorum in causis per Viginti-duumviros in materia violentiarum cognitis ad effectum Reuisionis duntaxat, inueteratâ consuetudine non licuisset apellare, morem & consuetudinem non apellandi, gratiosè laudauit & innouauit. Incassum inuito gratiam feceris. Hoc beneficium, nèc à Ciuitate & Patriæ Ordinibus fuit acceptatum, nec apud acta Sacræ Cameræ Spirensis, ad quam ex iure & conformi consuetudine

apellationes introducebantur, insinuatum. Præmemorata Maximiliani, Caroli & Ferdinandi Indulta non Leodiensibus sunt propria, sed cæteris Oppidanis & subditis Prouinciæ communia. Sunt aliæ Franciſiæ Reales, rebus tributæ, cum præſcriptæ ſint Perſonales, & perſonas ipſas concernant. De genere Realium eſt, Lex Municipalis iuri ſcripto conueniens per vnumquodque Pomærium Ciuitatis & reliquarum Vrbium Patriæ, vſu laudabili recepta, quod fæminæ cum fratribus ſuis in bonis immobilibus intra Bannum ſitis æqualiter ſuccedant: Vbi extra Franciſiam & Bannum exiſtentia ad ſolos mares in lineæ directæ ſucceſſione excluſis ſororibus inteſtatò deuoluuntur, niſi aliter parentes diſpoſuerint. Cur tam variè, & non vtrobique ius commune obſeruetur, non comperi. Id conſtat. Sexum fæmineum ijs eſſe moribus; & tantum, pudicitia, ſobrietate, Religionis Ortodoxæ conſtantia, laborumque ad res domeſticas patientia & prudentia præpollere, vt merito non inferiores eſſe debeant maribus in hæreditatum ſucceſſione. Nec iniuria conqueritur æquam cum fratribus extra pomœrium ſucceſſionem ſibi denegari: querelæque iuſtitiam confirmat Imperator ſanciens, Inter maſculos & fæminas in iure ſucceſſionis nihil intereſſe, quia vtraque perſona in hominum procreatione ſimili naturæ officio fungitur. Alioquin non immeritò peteret altera Cæneïs à Neptuno, *Da fœmina ne ſim, omnia præſtiterus.* Si quid aliud in numeros & catalogum Franciſiarum iure redigi poteſt, Pactis aut Priuilegiis inſertum erit, & ſuis proinde locis ſeparatim attexuerim. Et quiſquis Franciſiam & Priui-

Priuilegium allegat, ni de eo doceat & per Diploma quidem, pro vano habetur. Non versamur in ludo Pythagorico, vbi Præceptoris dicentis authoritas sit pro lege, & dogmatis causam reddat discipulus, Ipse, Nempe Pythagoras, dixit. Interim quota pars baiulorum, fabrorum, cerdonum, & aliorum opificum, vel è longinquo in penetralia Priuilegiorum inspexit, aut per legendi imperitiam inspicere potuit? Quos si interroges, cuius coloris sint Priuilegia, atra an alba, à Saturninis suis instructi, quicquid proponitur quod deprauato corruptorum palato sapit parùm, vnicum pro sententia respondent, contrarium esse Priuilegiis. At sapientissimus Princeps quoties testatus & obtestatus fuit, scripto, verbo, per se, per Ministros suos, nolle apicem verorum Priuilegiorum detrahere, sed legitimis addere: videndum proinde quæ sint Priuilegia eiusmodi, & intra quos septa limites. Nihil ratione, nihil humanitate euicit: ad extremum, tanquàm ad tutissimum asylum, confugiunt ad litem Spirensem in ipsos pro sistendis & reparandis enormissimis attentatis dictatam, quam obuertunt in iuris litigiosi speciem, si non Chimæram. Vbi seditio plebem semel incessit, seu militiæ seu domi, pessimus quisque figmentis æquè ac veris calorem & colorem sceleri suo præstruit. Exsurget gregarius vnus Vibulenus apud Pannonicas legiones audito excessu Augusti per otium tumultuantes, qui Blæsum earum Legatum componēdis motibus pro tribunali concionantem interpellabit, occisum ab eo nocte proxima per inuidiam & insidias fratrem suum vociferabitur, corpusque ad sepulturam poscet, com-

militones implens consternatione, ad Legati cædem iam iam irrupturos, ni properè nullum vnquàm ei fratrem fuisse pernotuisset. Aut repetetur Ægyptiorum exemplum sub Ptolemæo Rege Romanorum socio, qui ad clamorem occisæ imprudenter per ciuem Romanum fælis, nulla ne imperij quidem Regij reuerentia, innocentem miserum millenis statim manibus discerpent. Aut furentes à morte & funere Dictatoris Cæsaris Plebei obuium casu Heluium Cinnam per errorem nominis, quasi Cornelius esset, iugulabunt, caputque eius præfixum hastæ circumferent.

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

De Iure armorum.

IVs armorum esse vnam Regalium Maiorum speciem, nemo, cui frons sit, negabit. In libro secundo Feudorum, sub titulo, Quæ sint Regalia, primum locum obtinet. Regalia sunt, Armandiæ, Viæ Publicæ, Flumina nauigabilia, Portus, Ripatica, Vectigalia, Monetæ, Mulctarum, Pœnarumque compendia, Bona vacantia, Angariarum, Parangariarum, Plaustrorum & Nauium præstationes: & alia quæ illic enarrantur. Ibi, sub voce parùm Latina Armandiæ, iuxta omnes Feudistas intelligitur ius armorum. Celebris est Lex Valentiniani, Theodosij & Arcadij Cæsarum, quæ omnibus armorum vsum inscio Principe interdicit, in hæc verba, Nulli prorsùs nobis inscijs atque inconsultis quorumlibet armorum

morum mouendorum copia tribuatur. Iustinianus vltrà perrexit, & armorum facturam, exceptis ad hoc destinatis prohibuit, Studentes, inquit, subiectos nostros, quorum regimen credidit nobis Deus, illæsos, & sine calumnia custodire, & inhibere bella, prospeximus, armifacturæ opus nullum priuatum operari, solos autem illos arma facere qui in publicis deputati sunt armificatoriis, aut qui dicuntur fabricensij: eos autem qui operantur arma nulli vendere priuato. Igitur crimine læsæ Maiestatis tenetur qui arma mouet, & constitutione Imperiali, quæ aduersus tranquillitatis publicæ turbatores edita est, qui priuata authoritate armatos congregat banno Imperiali percutitur. Quæ læsæ Maiestatis pœna iure iam veteri obtinebat, secundum Martiani & Vlpiani Iureconsultorum responsa. Illius est tale, Eadem lege Iulia tenetur qui iniussu Principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitumve comparauit, quive cum ei in Prouincia successum esset, exercitum successori non tradiderit, quive Imperium, exercitumve populi Romani deseruerit, quive priuatus pro potestate Magistratus quid sciens dolo malo gesserit. Huius istud Maiestatis crimine tenetur, cuius operâ dolo malo consilium initum erit quo armati homines cum telis, lapidibusve in Vrbe sint, conueniantve aduersus Rempublicam, locàve occupent, vel templa, quoùe cætus conuentusve fiat, hominesve ad seditionem conuocentur.

Arnoldi de Horne Episcopi in Emendatione Legis Nouæ anno 1386. die octaua Octobris articulus antehàc aliò partim allegatus, est huius sensus. Ex quo recenter aduersus iurisdictionem & authoritatem nostram

Ciuitas & quædam alia noſtra Oppida introducunt manum armatam cogere & in campum prodire, ſubditoſque noſtros aut limitaneos offendere Nobis propriis ipſorum temporalibus & ſpiritualibus Dominis inconſultis, idque notoriè vergat in detrimentum noſtræ poteſtatis & iuriſdictionis — Statuimus & ordinauimus, admiſſorum condonatione facta, quod prædicta noſtra Ciuitas, aliæque noſtræ Vrbes eo modo procedere non debeant: nec ſic procedendi facultatem habent citra præuiam noſtram authoritatem. Verùm caſu quo ſentiant aliquem è conciuibus ſuis grauari aut premi per præpotentem aliquem Patriæ incolam, vel alium, querelam & libellum ſupplicem apud nos deponant, ad quos in qualitate Supremi Domini ſpectat de remedio oportuno prouidere, quod lubentes iuxta delictorum quantitatem præſtabimus. Princeps Ioannes de Bauaria in Pacto Tungrenſi 1403. quinto articulo decernit, Quantum ad belli ſuſceptionem (quod totius Patriæ intereſt) attinet, conuentum eſt, Non licere Ciuitati, nec vlli Oppido bellum ſuſcipere contra quenquam territorialem dominum, aut limitaneum Principem abſque Principis, Capituli, Baronum, Equitum & aliorum patriæ Ordinum conſenſu: Saluo quod ſi limitanei, aut alij aliquos patriæ ſubditos in corpore aut bonis apprehenderent, aut armati agros depopularentur, tunc Ciuitas, & aliæ Vrbes, vbi eiuſmodi exceſſus contigerint, poterunt ad propulſandam iniuriam graſſatores proſequi. Idem Ioānes Bauarus Conſtitutione ſua anni 1416. per quintum articulum ſtatuit, Quiſquis in Ciuitate Noſtra ad arma conclamauerit, aut albam campanam pulſa-

pulsauerit, vexillum aut aliud militare signum gestauerit, aut explicuerit citra nostrum aut nostri locumtenentis consensum arbitrio nostro sine compositione & dissimulatione si capi possit, punietur; si euaserit, capitalis in eum sententia feratur. Octauo articulo & sequentibus vsque ad duodecimum præscribit formam expeditionis militaris, tribuit describitque primarium vexillum pro ipso corpore exercitus, & duodecim Centurias in Ministeriis Opificum erigit ad procedendum in aciem, Manipulorum colorem & Insignia designans. Si in Pyrrho Annibal laudauit quod primus rectè castra metari docuisset, eumque ideo summum Imperatorem fuisse Scipioni confessus fuit: Si in P. Rutilio Consule probarunt Romani, quod doctioribus gladiatoribus accersitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legionibus ingenerasset, virtutem arti, & rursus artem virtuti immiscens; vt illa impetu istius fortior, hæc illius scientia cautior fieret: Leodienses ingrato fuerint in Principem Ioannem Bauarum animo, nisi dispersæ multitudinis militaris accuratum ordinem eidem referant acceptum. Iterum in eiusdem Principis Regimine anno 1417 die vltima Aprilis edito quintus articulus quintum præmemoratum paucis mutatis repetit in hunc modum, Item cautum est, quod nemo pro parte Ciuitatis aut eius nomine possit absque licentia Principis aut supremorum Consiliariorum (qui à Principe creabantur) albam pulsare campanam, vexillum in foro, aut vllibi per Ciuitatem ad commouendum populum portare, vel inclamare ad arma, sub vltimi humanorum supplicij pœna. Ante prænominatos Adol-

phus

phus de Marka in litera Sancti Iacobi 1343. die prima Iulij, seditionis, quam benigniore interpretatione murmur etiam apellat, abolitionem concedens, tria hæc crimina expressim excipit, inclamationem ad arma, albi æris campani pulsum, & vexillorum gestationem, quæ priuata authoritate per Ciuitatem fiunt. Ioannes Hynsberghius in Ordinatione 1422 cuius antehac meminimus, telorum & armorum delationem seuerè Leodiensibus inhibet: procul est vt armorum ius habeant. Iidem Leodienses Ludouico Borbonio per longum libellum anno 1477 supplices facti, quarto illius articulo deprecantur, ne Princeps Borbonius non nisi præuio trium Ordinũ Patriæ totius Leodiensis consilio bellum vllum publicum gerere velit. Cæterùm ne quis fallatur circa institutionem Primarij Vexilli à Principe Ioanne Bauaro, & aliorũ Secundariorum pro singulis Centuriis factam: Vexillum illud Primarium ab eo institutum erat proprium multitudini Leodiensi duntaxat: Dionensibus, Hoyensibus, Fossensibus, Tungrensibus, Trudonensibus, Tudinensibus & aliarum Vrbium Oppidanis, & Vicanis separatim separata sua Vexilla habentibus. Primarium autem vniuersi exercitus ex omnibus ordinibus & subditis collecti aliud peculiare erat signum à Diuo Huberto relictum cum effigie Deiparæ Virginis & Sancti Lamberti, magno semper in honore habitum, & fausti inter populares ominis, antonomasticè Vexillum S. Lamberti dictum. Vexillifer est Aduocatus Hasbaniæ, cui in Maiore Ecclesia Decanus cum ritu & cæremonia illud consignat: cuius prætensum Alberti Secundi priuilegium in Philippina insertum

memi-

meminit. Verba subiungo, quia aduersus Leodienses in puncto huius quæstionis de iure armorum, clarè militant, Transactis quindecim diebus, si illud forte factum non fuit emendatum, debet Episcopus Leodiensis mittere cum quadraginta militibus liberum Aduocatum Ecclesiæ, scilicet Aduocatũ Hasbaniæ, qui armatus in ipsa maiore Ecclesia accipiet Vexillum Beati Lamberti cum impositione iuramenti quod illud portabit fideliter, nec illud nisi mortuus aut captus deseret, sic quod ipso ducente & præuio producetur Leodiensis exercitus vsque ad locum, vbi erit Episcopus, ibique cum Episcopo ciues Leodienses in armis tamdiu morabuntur, donec, si Deus permiserit, iniuria illata, ad honorem Ecclesiæ, & Episcopi emendabitur. Notaturque in Annalibus malè successisse iis qui eo abuterentur Vexillo. Velut in anno 1347. sub Engelberto de Marka commisso iuxta Waleniam inter Episcopum & Rebelles Leodienses prælio, vbi ex parte Leodiensium desyderata fuerunt decem millia vltra innumeros captiuos: vna trium rationum ob quas cæsi & fusi essent à Scriptoribus adfertur, Quia Vexillum quod quasi Sacrum seruat Ecclesia, sub quo etiam Patria pluries triumphauerat, nec à laico tangebatur, nisi pro defensione Patriæ per Decanum Maioris Ecclesiæ ferendum Marescalco (seu Hasbaniæ Aduocato) solemniter traderetur, præfata Communitas præsumpsit inuadere, vt sub illo contra Dominum proprium dimicaret: vnde Vexillifer primo congressu captus fuit. Militarium Signorum vbiùis vsus: etsi non eorundem. Apud Romanos signa olim fuere Aquilæ, in singulis Legionibus singulæ, quas qui gestabant,

bant, Aquiliferi, Centurionum primi, & Primopili, vocabantur. Manipulus præterea quilibet peculiare obtinebat signum: imò militum manipulus inde traxit nomen, quod Romulus inter suos Pastores eo feratur vsus; longâ nempe perticâ, ex qua manipuli straminis aut fæni pendebant. Placuit ijs Aquila, tanquàm omnium auium regina & eadem valentissima. Quæ Persis etiam Regale signum fuit, vt Xenophon in rebus Cyri non semel innuit. In hunc equidem diem in Sacro Imperio Aquilæ Bicipitis, quæ nota est Orientalis, Occidentalisque simul Imperij, insigne honorificum permanet: & in fronte portarum Ciuitatis Leodiensis, domusque Ciuicæ, & eminentissimè ad pinnam ædis Cathedralis Lambertinæ aurata vbique, index vrbem esse Imperio subiectam, visitur. Persæ auream iuxta Regem suum in acie ferebant; Romanis itidem in acie aurea aut argentea erat. Videntur & aliquando hi prætulisse cum Aquila, Lupos, Minotauros, Equos, & Apros secundùm Plinium. Ratio præferendi inter militaria signa Minotaurum erat, quod non minùs occulta esse debeant consilia Ducum, quàm fuit domicilium eius labyrinthus. Epaminondæ dictum erat, Nihil in Duce laudabilius, quam hostium consilia nosse. Ideoque extollitur in astra Iulius Cæsar, quod & hostium stationes & conatus exploraret, & per se ipsum præspecularetur situs locorum, si insidiosa viderentur itinera per quæ exercitum erat ducturus. Admiranda enimvero fuit Magistratuum tam vrbanorum, quàm militarium Romæ taciturnitas, vt iure merito Minotaurus etiam pro signo foret. Arcana consilia Patrum Conscriptorum multis sæculis nemo Senator

Senator enuntiauit. Non vnum sed neminem audisse crederes quod tam multorum auribus fuerat commissum. Fidum erat & altum Reipublicæ pectus, silentij salubritate munitum vndique & vallatum. Rursùs Apri & Lupi velut prævalida, aut grassantia, prædæq; intenta animalia inter signa adhibebantur. Equi verò vt bello nati & apti. Vnde Neptuni tridente percussa tellus equum effundens, visa fuit bellum parturire. At contra in exercitu Xerxis, quem aduersus Græciam comparauerat, equa leporem pariens tanti apparatus signauit euentum, quod qui mare classibus, terram pedestri operuerat exercitu, tanquàm fugax animal pauido regressu regnum suum repetere cogeretur. Fors ex præinserto Fœderis Tungrensis puncto siniſtrorsùm ex aduerso quis argumentetur; Vt nulli Prouinciæ Oppido permittitur absque Principis & trium Ordinum consensu bellum mouere, ita nec Principi licere. Siniſtrorsùm inquam. Nam à subditis ad Principem non valet negatiua argumentatio: nec qui subditis suis legem subiectionis dicit, eandem inferioritatis legem sibi imponit. Quanquam nihil de Regalibus & Dominio Principis detraheretur, si is pro belli indictione Ordinum suorum exquirere deberet assensum. Primis Romanorum Regibus inerat plena Imperij potestas, Senatorum nihilominus sententias percunctabantur. Ancus Martius Quartus à Romulo Rex, qui rerum repetundarum, & bellorum indicendorum ritus & cæremonias Fæcialibus præscripsit, id ipsum sanxit. Postquam Fæcialis populi Romani legatus in finibus eorum, vnde res repetebantur, capite filo lanæ velato, deinde intra fines qui-

buscunque obuiis, in portæ ingressu & postremùm in foro, Iouem testem inuocans, res dedier popoſciſſet, ijs non deditis, diebus tribus & triginta peractis, Iouem & cæteros Deos testatus populum iniustum esse, neque jus persoluere, adijciebat, De istis rebus in Patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur. Tunc Romam ad consulendum redibat, & Rex confestim Patres consulebat: Dic, inquiebat, ei quem primum sententiam rogabat, quid censes? Tum ille, Puro pioque duello res non deditas, quærendas censeo, itaque consentio, consciscoque. Inde alij rogabantur, & quando pars maior eorum qui aderant in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum, vt Fœcialis hastam ferratam aut sanguineam præustam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus ex præscripto verborum, bellum indiceret, hasta in fines hostium emissa. Ecce pendebat vltrò Rex à Senatoribus circa belli indictionem, nec decernebat nisi consentientibus parte maiore Patribus. Tesseram & signum militare vigilibus & excubitoribus dare ad eum pertinet, cui ius armorum competit. Quam tesseram Princeps præsens Consulibus dat, & eo absente Protodecanus, vt eo capite quo de custodia Ciuitatis agetur, trademus. Quoties necessitas expeditionem bellicam exigit in tuitionem finium aduersus incursiones militum, aut Protodecanus, aut propter ætatis prouectioris excusationem, vnus Canonicorum Primariæ Ecclesiæ aciem ducit, collectisque armatis ciuibus imperat, & tesseram edit. Et Consul non nisi secundis ab eo partibus fungitur. Eius solius est immunitatem,

nitatem, aut vacationem à muneribus concedere, cuius est imperium: nec ab alio dispensationes & Priuilegia aduersus Leges, quàm à Legislatore ritè procedunt. Nunquid Leodienses inducias quindennales, si quas vigore Philippinæ, vt contendunt, haberent, ab Alberto Episcopo eas accepissent? Et an non Hoyenses à Theoduino Bauaro Priuilegium istud hauserunt, quod Leodienses debeant integris octo diebus eos in armis præcessisse, quàm ad profectionem ipsi bellicam teneantur accingi? Nemo præter Principem & Imperatorem Leodij circa militiam leges fert, aut edicit. Princeps Cornelius à Bergis anno 1541 (ne vetustiora repetam) edicto vetuit, ne quis alteri Principi, aut Statui sine sua authoritate nomen suum in numeros referri faceret, & si quis forte iam militiæ esset adstrictus, intra dies quindecim deserta militia, in patriam reuerteretur, proscriptionis pœna in contumaces emissa.

Robertus à Bergis anno 1563 in Martio fecit Leodij publicari edictum Ferdinandi Primi Imperatoris, quo iuxta plures Imperij Recessus, vnum anni 1555 Augustæ, alterum anni 1557 Arnspurgi, tertium anni 1559. districtìm mandabat, Ne quis militem in terris Imperij conscriberet sine suo Principisque sui scitu & consensu, neve quis in Imperio arma sumeret vt inimicis Cæsaris seruiret, aut damnum vllum cuiquam intra Imperium inferret. Gerardus à Grosbeck (cuius merita toties recurrunt) anno 1573 die 27 Aprilis Cæsareas Leodij iussiones renouauit, Ne quis militem legeret, aut militiæ nomen profiteretur, nisi à se vti Imperij Principe licentia petita, iuxta Constitutiones & Decreta Imperij.

Circulique Westphalici sæpius edita & promulgata. Non immoror recitationi edictorum à Sereniſſimis Ernesto patruo, & Ferdinando à Bauaria ſucceſſore hodie regnante, quæ perplura ſunt & cunctis obuia, latorum. Et verbulo tantùm indico Tribunal & Conſilium Militare anno 1540 per antedictum Cornelium Principem erectum, quod indubiè eſt partus & fœtus iuris armorum; cui ſuus alio loco locus erit. Eiuſdem poteſtatis annuus & continuus eſt effectus, ſolemne illud iuramentum, quod ipſo Sacratiſſimi Corporis Chriſti feſto in Eccleſia Cathedrali coram toto Capitulo, Prætore, & Conſulibus præſtat armata cohors veterum Arcubaliſtarum per Regulum ſuum (is eſt qui Pſittacum ex oblonga pertica peritiùs ſagittando deiecit) quod omnes fideles erunt Eccleſiæ, Principi, & Capitulo, inque illorum conſeruationem arma & vitam quauis occaſione, parati ſint impendere. Celebrius adhùc multò magnificentiuſque eſt argumentum huius armorum iuris Luſtratio ciuium armatorum, quam Erardus à Marka Princeps anno 1526 inſtituit in peruigilio feſti Tranſlationis Beatiſſimi Martyris Lamberti faciendam. De numero eſt Maiorum Regalium, eamque Seruius Tullius Rex narrante Liuio his cæremoniis edidit, Cenſu, inquit, perfecto cum vinculorum minis mortiſque edixit, vt omnes Ciues Romani, equites, peditesque in ſuis quiſque Centuriis in campo Martio prima luce adeſſent; ibi inſtructum exercitum omnem Sue, Oue, Taurilibus luſtrauit: idque conditum Luſtrum apellatum. Alius circa rem eandem Macedonum ritus, eodem Liuio teſte, luſtrationem à Philippo factam deſcribente,

Apud

Apud Macedonas luſtrandi exercitus ſolenne eſt tale. Caput mediæ canis præciſæ, & prior pars ad dexteram cum extis, poſterior ad læuam viæ ponitur: Inter hanc diuiſam hoſtiam, copiæ armatorum traducuntur; præferuntur primo agmini arma inſignia omnium ab vltima origine Macedoniæ Regum; deinde Rex ipſe cum Liberis ſequitur, proxima eſt regia cohors, cuſtodeſque corporis; poſtremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit. Sed Erardinæ Luſtrationis ſcopus ab illis diuerſus. Illæ apparatus erant & præparamenta ad bellum, ſpecimenque quoddam belli: hæc ad oſtentationem & ſplendorem feſtiuæ celebrationis Diui Tutelaris Lamberti. In decoris illius diei amplitudinem adiecit Nundinas publicas ternis octiduis duraturas, ſecuritate exteris, aduenis quibuſcunq; interea temporis indulta.

At dum verſor inter arma, præ Marte Apollinem & Literas ne quis me obliuiſci exiſtimet, incurrit in memoriam famigerata Signorelli de Homodeis diſputatio, Vtra alteri præſtet, Militiane, an Iuriſprudentia. Calculum meum non apponam, integrum omnibus iudicium relinquens. Etſi vicem oraculi obtinere poſſet, quod ipſe Iuſtinianus ea Conſtitutione qua de ſuo Iuſtinianæo Codice confirmando agit, ambas ſororiarè facit. Altera, inquit, alterius auxilio ſemper eguit, & tam militaris res Legibus in tuto collocata eſt, quam ipſæ Leges armorum præſidio ſeruatæ ſunt. Attamen remiſſiùs Cicero dum ait, Omnes vrbanæ res, omnia hæc præclara noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria latent in tutela & præſidio bellicæ virtutis. Rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus: hæc nomen populo

Roma-

Romano, hæc huic Vrbi æternam gloriam peperit, hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Ita Tullius: de bellica nimirùm virtute, & Ducum maximè: de qua est illud Taciti, Cætera vtcunque faciliùs dissimulantur, Ducis boni imperatoria virtus est. Imperatoriæ autem virtutes sunt apud eundem Ciceronem, Labor in negotiis, Fortitudo in præliis, Industria in agendo. Verum etiam est illud Ottonis ad milites pugnam auidiùs poscentes; Diuisa inter exercitum Ducesque munia, militibus cupidinem pugnandi conuenire: Duces prouidendo, consultando, cunctatione sæpiùs quàm temeritate prodesse. Vt non falsò dictum sit, tanti esse exercitum, quanti est imperator. Quod multis exemplis omni æuo patuit. Coriolanus omnium instar sit, maximi vir animi, & altissimi consilij, iniquissimæ damnationis ruina prostratus, ad Volscos tunc infestos Romanis & sæpè victos confugit, & breui per multos victoriarum gradus, aditum iuxta mœnia Vrbis Volsco militi struxit, vt facilè appareret (inquit Romanus scriptor) Ducibus validiorem, quàm exercitu rem Romanam esse. Cæterùm vim ingenij, iudiciique pondus in Duce, viribus & robori inhæsitanter anteponam. Quod fecit apud Homerum Agamemnon, qui tres Nestoras, non tres Achilles optabat. Et vniuersus Græcorum exercitus, qui concertantibus apud mille nauium classem pro Achillis occisi armis, Aiace Telamonio viro fortissimo eodemque defuncti fratre patruele, & prudente Vlysse, cautiorem prætulit bellicosiori, & nulla necessitudine coniunctum propinquo. Quo iudicio approbauit propriam Vlyssis de se ipso commendationem,

in

in Aiacis depressionem,

Quid facis interea, qui nil nisi prælia nosti?
— tu tantùm corpore prodes;
Nos animo, quantoque ratem qui dirigit anteit
Remigis officium, quantò Dux milite maior,
Tantum ego te supero.

Sapienter pro suo more, Tacitus, Plura in summa fortuna auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri. Nam sæpè honestas rerum causas, nisi iudicium adhibeas, pernicioſi exitus sequuntur. In hoc seueri, si non crudeles Carthaginenses, qui Duces bella prauo consilio gerentes etiamsi prospera fortuna vsi fuissent, in crucem agebant: quod bene gesserant, Deorum immortalium fauori, quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes. De momento consiliorum Paterculus, Inexpugnabilis fatorum vis, cuius fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Non rarò consilia calida, & prima specie læta, sunt tristia euentu. Prudentis est cunctatoris quod Latinus ad Turnum pugnare gestientem;

— quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tantò me impensiùs æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.

Itaque non abs re, Pausaniæ Simonides, Pericli Anaxagoras, Agamemnoni Nestor, Achilli Chiron, Diomedi Vlysses, Scipioni Africano Lælius, Pyrrho Critias (cuius eloquentia plures Vrbes & Prouincias subiecit, quam Pyrrhi gladius, ipsomet Pyrrho teste) adduntur. Fælix est fortitudinis & sapientiæ coniunctio,

ctio, & Ægis pulchrum in dextera Mineruæ ornamentum. Vt humanum corpus, quantumcumque neruorum musculorum & artuum compagine polleat, à capite tamen & illius cerebro præcipuam sui ducit æstimationem: ita militia sine lege nequit obtinere perfectionem. Plato proinde diuinum in modum legum conscriptionem aggressurus, de bello potiùs gratia Pacis, quam de Pace gratia belli acturum dispositurumque se prædixit. Nec inferior præceptore Aristoteles, bellum bonum dixit propter finem ob quem fit, Pacem nempe & tranquillitatem. Quod ea bona sint quæ sui natura ad finem bonum destinantur & fiunt. At vtinam belligerantibus scopus semper esset conciliatio Pacis? Iustiùs induerentur arma, beneficio Antigones breui exuenda. Quò respexit Valerius Maximus, qui præcipuum decus & stabilimentum Romani Imperij dixit tenacissimum militaris disciplinæ vinculum, quia in illius sinu & tutela serenus, tranquillusque beatæ Pacis status acquiescit. Claudo hanc paginam vno Metelli ad Bocchum Regem monito, quod quisquis bellum spirat sibi dictum putet: Omne bellum sumi facile, cæterùm ægerrimè desinere. Non in eiusdem potestate initium eius & finem esse. Incipere cuiuis etiam ignauo licere, non deponi nisi cum victores velint.

CAPVT

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

De Custodia Ciuitatis & eiusdem Clauibus.

STupeo dum in Historicis lego quod nascentibus momentoque ardentibus per infælix Belgium (hæresi facem vibrante, ignemque subponente) seditionibus, Magistratus Ciuicus Leodiensis, vulgare prouerbium æmulatus, Bonum esse in aqua turbida piscari, in claues portarum Ciuitatis inuolauerit. Anno siquidem 1566 die Septembris vigesima tertia in Concilio Ciuitatis primùm actum fuit & concluſum, Portarum Ciuitatis claues, quæ alioquin antea apud Principem, & eo absente apud Ecclesiæ Cathedralis Decanum asseruari consueuerant, penès Consules remanere oportere, donec de iure suo quod ad eas prætendit Præsul docuisset: inde nata de custodia Clauium controuersia, quæ in hodiernum vsque diem durat. Siccine eo præcipuè tempore, quo potiùs ad restinguendum vicinum incendium accurrere oportuisset, aut alienis saltem sapere periculis, lubuit similem ludum ludere & suo Principi medias inter finitimorum vndequaque turbas mirè sollicito, iura sua eripere? Crimen tanto detestabilius, quanto atrocius est, compendium ex aliena calamitate sectari, & naufragij tempore merces & sarcinas viatorum deprædari, quàm tranquillo mari furtum admittere. Certè rerum naufragarum subtractores, aut etiam eiectarum in tempestate detentores Iustinianus

bonorum omnium proscriptione plectit, quæ in cæteros fures, aut prædones pœna cessat. At vnde ista iuris noui vafrities, & inauditæ normæ praxeos, tollere Principi claues, adiecto decreto remansuras apud Consules quamdiu is non probauerit suas esse? Sileant posthàc ingeniosæ priscorum subtilitates, quæ ad belli indicendi iustitiam, & ad præmittendum rebus repetundis Fæcialem, seu veriùs ad fucum alicuius coloris iustitiæ, aliquando sunt excogitatæ. Tullus Attius Volscorum Dux vt videretur lacessitus, non vltro bellum Romanis inferre, dum magna Volscorum multitudo spectandorum ludorum gratia Romam conuenisset, Consules monuit conspirasse Volscos & subitò aliquid hostile molituros: cuius authoritate ex relatu Consulum motus Senatus decreuit vt ante noctem Volsci omnes vrbe excederent; qui ea contumelia irritati, & versuti Ducis mendacio circumuenti, bellum priores indixere. Spurius Posthumius Romanus Consul cum exercitu ad Furculas Caudinas à Samnitibus superatus & sub iugum missus, & ne populus Romanus pace Caudina teneretur proprio consilio Samnitibus per Fæcialem traditus, ipsius Fœcialis dedentis femur ad Pontij Samnitum Imperatoris tribunal, genu magna vi perculit, clara voce inclamans se Samnitem ciuem esse, deditione scilicet factum, illum Legatum Fæcialem à se contra ius gentium violatum, eò iustius bellum Romanos gesturos. Si bonæ Laruæ, aut Lauernæ placet, promptior certiorq; multò est disciplina & doctrina, ius sibi ipsi manu dicere, possessorem de iure & possessione deturbare, & deturbato legem dicere, vt doceat ablatam rem fuisse suam, & ad

se

se spectasse! Euentus interim ausis temerariis adfuit; nam ab eo die claues omnium portarum Ciuitatis sunt penès Consules, qui quos voluerint, admittere & excludere queant pro arbitrio, si parùm syncerè versentur. Remansit nihilominùs mos petendi quotidie signum & Tesseram à Principe dum præsens est, & in illius absentia à Cathedralis Ecclesiæ Decano. Quod nonobstante Clauium vsurpatione, argumentum est perpetuum, Iuris Summi Principis in Ciuitatem. Nam scriptorum omnium consensu datio tesseræ & signi refertur inter Imperij notas. Tam Pace, quam bello, libera Republica Consules, aut qui potestate Consulari fungebantur; à Iulio Cæsare Principes, signum dabant. Nero, quem primo quinquennio dictitant bonum fuisse Principem, primo Imperij die dicitur (apud Suetonium) signum dedisse excubanti Tribuno *Optimam matrem*. Et Cassius Chærea Tribunus cohortis Prætoriæ ideo è primariis fuisse coniurationis aduersus Caium Caligulam, quod signum petenti, nunc Priapum, nunc Venerem daret. Et quod Claudius Cæsar quoties hostem vel insidiatorem vltus esset, excubitori Tribuno signum de more petenti non temere aliud daret, quam Homeri versum. Quodque defuncto Augusto statim Tiberius, quanquàm verbis Principatum abnuens signum Prætoriis cohortibus vt Imperator dederit, Tacitus non tacet. Nec Ælius Spartianus vltima Seueri Imperatoris morientis verba, Turbatam Rempublicam accepi, pacatam relinquo senex & pedibus æger; firmum Imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt, imbecillum si mali: Quo dicto iussit signum Tribuno dari *Laboremus*.

Ea sint in Pace exempla. In bello sunt. Scipionem apud Liuium militibus seditiosis exprobrare, quod ab Albio & Atrio authoribus seditionis ipso absente & ad suæ mortis rumorem, signum sit petitum. Dionem notare quod ab Agrippa Augusti genero & collega, per quem fæliciter belligerauerit, signum pariter daretur. Acceptum porrò Tribunus signum, edebat Tesserario, viro ad hoc deputato, qui traditam tesseram, seu tabellam latiusculam, vbi inscriptum erat signum, proximi manipuli Duci consignabat, & hic consequenti, atque ita per ordinem donec ad primos manipulos esset peruentum: manè autem nouissimus ad Tribunum referebat qui ab Imperatore aut Duce signum pridie acceperat, cuius erat dispicere, num à quoquam circa tesseram vigiliasve fuisset erratum. Ad eosdem Imperatores aut Duces, vel eos quibus commisissent, Clauium cura pertinebat. Hinc Martianus de re militari, Officium Tribunorum est, vel eorum qui exercitui præsunt, milites in castris continere, ad exercitationem producere, Claues portarum suscipere, vigilias interdùm circuire. Custodia Vrbis Romæ ad Principes, dum Roma sub Principibus incepit esse, pertinuit. Paulus de officio Præfecti vigilum differens, sat clarè expressit. Apud vetustiores (illius est oratio) incendiis arcendis Triumuiri præerant, qui ab eò quod excubias agebant, nocturni dicti sunt. Interueniebant nonnunquam Ædiles & Tribuni plebis. Erat autem familia publica circa portas & muros dispositа, quæ inde si opus esset euocabatur. Fuerant & priuatæ familiæ, quæ incendia vel mercede vel gratia extinguerent: deinde Diuus Augustus maluit per se

huic

huic rei consuli. Nam salutem Reipublicæ tueri nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei quàm Cæsarem. Itaque septem cohortes oportunis locis constituit vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur, præpositis eis Tribunis, & super omnes spectabili viro, qui Præfectus vigilum apellatur. Custodiam Ciuitatis esse de iuribus Principis, Leodiensibus inficias euntibus, inanimata loquuntur, quotidianus omnium manu tritus liber, & Pacta in eo contenta. In titulo de iure Prætoris, Singulariter ad Prætorem spectat constituere duodecim Apparitores per Ciuitatem telis & bipennibus armatos noctu & interdiu incedentes ad Custodiam Ciuitatis. Arbitrorum hinc inde Deputatorum sententia, aliter Pax de Floenne 1330 die prima Iunij, articulo quarto determinat, Vlterius dicimus & pronuntiamus, Ciuitatensibus incumbere, Apparitores & Custodes quos Ciuitati Custodiendæ deputarant, amouere, in quantum iam non amouerint: quodque Prætor Principis imposterùm prædictam Ciuitatem custodiet iuxta antiquam consuetudinem. Ordinatio Principis Ioannis de Bauaria 1416, tertio & decimo articulo in hæc verba sancit, Insuper statuimus quod Nos, Prætor & Scabini nostræ Ciuitatis, & Consiliarij tredecim (quos per decimum septimum articulum ibidem Princeps suæ electioni reseruatos deputat ærarij publici Thesaurarios) quotannis designabunt per singulos sex vicos Ciuitatis quaternos probos viros, qui de vigiliis & excubiis diurnis nocturnisque quoties expedire videbitur, ordinent: prout & ad custodiendum claues portarum Ciuitatis in modum sequentem. Videlicet

licet ad cuiuslibet portæ Custodelam deputetur vir probus idoneus & prudens, cui legitimum & competens salarium sumptu nostræ Ciuitatis assignabitur. Sub quo salario iusiurandum coram dictis nostris Prætore, Scabinis & Tredecimviris præstabit bonæ & fidelis custodiæ adhibendæ, quodque dietim declinante in vesperam die ad horam pro ratione temporum anni præscribendam portam rite claudet, sera & pessulis obductis in præsentia binorum vicinorum, & ad statim claues reponet in manũ vnius Quatuumvirũm per Nos, Locumtenentem nostrum, aut Scabinos & Tredecimviros denominandi; qui quidem denominandus per Trimestre id oneris subibit. E cuius potestate in singulos dies matutina hora secundum anni tempora Portarius Claues petet, portam reserabit, & munus suum impigrè fideliterque obibit. Quisquis verò Portarium ratione officij facto aut verbo læserit, duplicatâ mulctâ eidem sit obnoxius. Clausula ex magno Ciuitatis Recordio anni 1430 extracta quartum articulum Pacis de Floenne præfatum comprehendit verbis non immutatis, Insuper dicimus & pronuntiamus amouendos à Custodia Ciuitatis eos custodes quos Ciuitatenses imposuerant, nisi iam sint amoti, & de iuribus Prætoris esse, ex more prisco, Ciuitatem in futurum custodire. Pauli Secundi Pontificis sententia decimo die Ianuarij 1465 lata diserte declarat, Nullum penitùs ius ad Portarum Ciuitatis Clausuras (sunt ipsa verba) Ciuitati Leodiensi competere. Vtcunque impetuosi fluminis instar littora allidentis & sensim præmordentis Ciuitas progressu temporis in omnem intẽta occasionem, huic iuri non minus quam

quàm pleriſque alijs ſit ab inde iterum inſidiata, & aliquid anno 1532 decerpſiſſet; tamen Scabinale Tribunal per Conſules illius anni & nonnullos è triginta duabus Tribubus interrogatum, atteſtationem, vulgo Recordium, deſuper in hæc verba annuit, Imprimis Prætor Ciuitatis debet eligere & aſſumere in ſuos apparitores, viros probos & honeſtos Ciues Leodienſes, qui ſecum vigilias agant in Ciuitate & eam cuſtodiant: Quorum apparitorum nomina dabit in ſcripto Conſulibus, vt ſciatur qui illi ſint Seruitores qui pro cuſtodia Ciuitatis inuigilabunt, & ne quiſquam præter illos in id muneris ſe ingerat. Præterea hi ita electi aſſumpti & in ſcripto dati Conſulibus, dictis Conſulibus ſimul & Prætori iuſiurandum præſtabunt rectè & fideliter Ciuitatis cuſtodiendæ in modum ſequentem. Videlicet ſi nocturno tempore obuiam habeant honeſtum & probæ famæ hominem ciuem, aut peregrinum honeſtè per Ciuitatem incedentem, cuius habeant notitiam, permittent eum pacificè abire: ſi verò is fuerit peregrinus & ignotus deducent eum vſque ad diuerſorium, vt cuias & qualis ſit intelligant. Si verò reperiant quempiam ſuſpectæ vitæ, & famæ parùm integræ, hora indebita inhoneſtè euagantem, vel alteri moleſtum, poſſunt debentque manum in illum inijcere & carceri vſque ad lucem iuxta apparentem eiuſdem conditionem includere, vt manè cuius ſit conditionis appareat. Ex quo Recordio videre eſt tunc quidem Ciuitatenſes in hoc puncto nihil quoad ſubſtantiam inuaſiſſe, quàndoquidem Cuſtodia penès Prætorem fuiſſe agnoſcatur, at præfectas circumſtantiarum aliquot fibulas, dum cuſto-

dum apparitorum nomina dicuntur Consulibus edenda, & ipsi Apparitores iuramento adigendi coram Consulibus æquè ac Prætore. Quò, quàm ad Ciuitatis custodiam faciunt salutares Principum ordinationes circa partitionem & distributionem illius in regiones, vt nocturno forte tumultu, aut incendio Oriente, ciuium quisque (ne Ecclesiasticis quidem exclusis, iuxta clustra cum domesticis in armis mansuris) in assignatam regionem se recipiat, & pareat Præfecto? Anno 1540 Cornelius à Bergis Gallo bellum aduersùs Cæsarem coquente, Ordinem militarem in Ciuitate aliquamdiu interruptum instaurauit, eamque in quinque Regiones distribuit: nimirùm in Forensem, Vltramosanam, Insulensem, Sancti Ioannis Baptistæ, & Sancti Seruatij. Non quod quinque tantùm sint in Vrbe tam ampla districtus, sed quod quælibet loca vni illarum quinque Regionum essent attributa: & pro ratione multitudinis, in aliquibus duodeni Præfecti, in aliis deni aut pauciores deputarentur. Data quin etiam Ecclesiasticorum Collegiis potestate Præfectum vnum è gremio suo denominandi. In singulis verò Suburbiis binos esse voluit, ne occlusis per noctem portis ad repentinos motus suburbani trepidarent nullo certo ductore. Regionatim sic dispositis vetuit ne incendij quidem obtentu decedere loco, nisi petita obtentaque licentia, cura extinguendi incendij iis incubitura in quorum compitis & plateis exoriri contingeret; Religiosorum mendicantium ordinibus, Lollardisque in auxilium vocandis. Quem in vsum situlæ coriaceæ hauriendis continendisque aquis, & similia sedandis ignibus oportuna instru-

instrumenta vbique præsto futura: Capitis pœna in transultores murorum Ciuitatis constituta, & mulcta in eos qui æstiuo tempore post horam decimam vespertinam, hyberno post septimam nauigiis in vrbem permeärent. Ad aliqualem priscorum Massilienſium à Phocensibus oriundorum imitationem (quorum mores tanquàm probissimi æuo vetere in prouerbium abibant) qui quod vrbem suam vicinorum insidiis tentatam deprehendissent, lege cauerunt, diu noctuque, pace non minus quam bello, diligentissimè excubandum, festisque diebus (structæ ijs temporibus fuerant insidiæ) portas claudendas, agendas vigilias, statione in muris obseruante: Vtque intrare eorum Oppidum nemini cum telo liceret; destinatis qui id custodiæ gratiæ acceptum redderent exituro. Vt hospitia sua quemadmodum aduenientibus humana erant, ita ipsis quoque tuta essent. Eodem anno supremum Militiæ ttibunal in domo Ciuica, velut in meditullio Vrbis iuxta ædem primariam, & non procul à Palatio sita constituit: cui vel ipse per se præesset, vel per Deputatum. Quod tribunal composuit ex Canonicis Cathedralibus, Archidiaconis, Abbatibus, aliquot Cleri secundarij Deputatis, adiunctis nonnullis Scabinis, & binis Consulibus: Munus & potestas, circa vigilias, & vrbis custodiam. Illùc Centuriones & Tribuni regionum querelas deferrent, immorigerorum & negligentium nomina ederent, natas pro occasionibus difficultates expromerent, quid agendum foret exquirerent, cuncta ex præscripto gesturi. Quod decerneret Consistorium pro lege esse: Cæterùm corporali aut capitali cognitione, animaduersio-

neve nequaquàm competẽte. Quippe solũ tribunal Scabinale Iudex est rerum capitalium, cuius iurisdictionem Princeps noluisset imminutam; neq; Collegiũ hoc Militaris Consilij, pro maxima parte Ecclesiasticorũ, ideoq; à maiore parte Ecclesiasticum censendũ, absq; irregularitatis consulentium incursu, potuisset membri alicuius mutilationem, multò minùs vitæ ademptionem, decernere. Vnde simulac crimen adferretur grauius, cui videretur aliqua corporis castigatio irroganda, ad Legem, vt aiunt, id est, ad Scabinos, reus erat remittẽdus. Militare dictum fuit Consiliũ; quia de solis militaribus delictis & excessibus debet cognoscere: neq; tamen de ijs omnibus, sed de leuibus duntaxat: nisi incidenter, vt habita atrocitatis notitia, Scabinis cognitionem relinquat. Prouisione diuersa à iure communi, quo Præfecti & Magistri militum pro omnibus militaribus delictis in milites animaduertunt: in tantum vt & Prouinciarum Præsides, Romanis toto orbe dominantibus, apprehensos ad Magistrum militiæ merum in eos habentem imperium, sub fida custodia tenerentur remittere. Militaribus, inquam, delictis; quia vbi crimina erant communia, & non militaria, maximè si atrocia, permittebatur Præsidibus illorum coërcitio. De numero militarium criminum sunt. Fugere in bello, transfugere ad hostes, seditionem concitare, contumacia omnis aduersus Ducem, rem à Duce prohibitam facere etsi fæliciter cesserit, Valli & Castrorum aliunde quàm per portam ingressus vel egressus, & excubiarum desertio; quæ omnia summo & rigoroso iure, morte puniebantur. Nec minore supplicio plectebatur vigilum somnolentia, si dormientes

mientes deprehenderentur. Sic ipsemet Epaminondas Thebanorum Dux fortissimus idemque iustissimus, somnum dormientis excubitoris vltus fuit, eo confosso, & addito, mortuum reperi, mortuum reliqui; quasi in excubiis dormiens pro mortuo sit habendus. Ideo vigiles sine scutis vigilare cogebantur; & Paulus Æmilius qui de Perseo triumphauit, nocturnas vigilias sine armis fieri, & inermes milites excubare iussit, vt maioris periculi sensus, discusso sopore arrectiores vigilantioresque eos redderet. Luebat pariter capite, qui arma in pugna aut bello amisisset. Non me fugit esse aliquos & inter eos Guidonem Papæ in vno suorum Responsorum, qui Vrbium custodiam non ad loci Dominum, sed ad Consules spectare profiteantur: eo argumento quod murorũ reparatio Ciuibus & Incolis incumbat, Domino nequaquam, iuxta Arcadij & Honorij rescriptum, nemini excusatione, vel alia præsumptione, ab huiusmodi immunitate præbenda. Eamque opinionem firmare nituntur constitutione Honorij & Theodosij ad Anthemium Præfectum Prætorio de operibus publicis, in hęc verba erumpentium, Turres noui muri qui ad munitionem splendidissimæ vrbis extructus est, completo opere præcipimus eorum vsui deputari per quorum terras idem murus studio ac prouisione tuæ magnitudinis ex nostræ serenitatis arbitrio celebratur; eâdem in perpetuum conditione seruanda vt annis singulis proprio sumptu eorum instaurationem sibimet intelligant procurandam: Ita enim & splendor operis & Ciuitatis munitio cum priuatorum vsu & vtilitate seruabitur. Sed neutra ratio euincit quicquam. Ad reparationem mu-

rorum tenentur Ciues, quia intra muros habitant, & asylum securitatemque ijs Princeps in Vrbe præstat. Tenentur dico singuli pro suis facultatibus, In ærarij publici defectum: Si enim vrbs aliquod habeat, inde sumptus petentur. Arcadio & Honorio ibidem sic iubentibus, Ne splendidissimæ Vrbes vel Oppida vetustate labantur, de redditibus fundorum iuris Reipublicæ tertiam partem reparationi publicorum mœnium deputamus. Ius custodiæ est Domini, quia Dominus est. Pastor proprij gregis & ouilis custos est, ne succus pecori, ne lac agnis subducatur, ne lupus in stabulum irrumpat deuoraturus. Quod si principali rescripto ijs per quorum fundos murus erat ductus & quorum sumptu veniebat reparandus, turrium inædificatarum vsus permittebatur, non ideo murorum custodia ijsdem committebatur. Cum res sint separatæ & diuersæ habitatio & custodia: quæ tamen priuatis non concedebatur nisi ex speciali gratia Principis, teste Paulo ad titulum, Ne quid in loco sacro fiat, Neque muri, inquit, neque portæ habitari sine permissu Principis propter fortuita incendia possunt. Et ipsi antedicti Cæsares Arcadius & Honorius ad Seuerum Præfectum Vrbi, Si quæ opera mœnibus vel publicis operibus ita sociata cohærent vt ex his incendium vel insidias vicinitas reformidet, dirui ac prosterni præcipiunt. Adeo vt illud ad Anthemium rescriptum neutiquam intelligi debeat de turribus & muris primarij ambitus vrbis, quorum vsus nullo respectu priuatis est concedendus, sed de aliis interioribus minoris momenti. Sedula fuit Romanis contra ignium violentiam sollicitudo, præsertim à Neroniano incen-

incendio, quod sex diebus continuis, sacrorum & prophanorum, publicorum & priuatorum ædificiorum indicibili strage per vrbem fuit grassatum, nemine restinguere ignem audente, sed multis iussu Neronis, condendæ nouæ vrbis, & cognomento suo apellandæ gloriam quærentis (qui ipso flagrantis vrbis tempore iniisse domesticam scenam, & Troianum ceciniisse excidium scribitur) palàm faces iacentibus. E regionibus enim quatuordecim, in quot Roma diuidebatur, tres solo tenus regiones flamma absumserat aut deiecerat, septem aliis pauca tectorum vestigia superfuerant, lacera & semiusta; & non amplius quàm quatuor integræ remanserant. Aliud sub Tito per triduum totidemque noctes accidit, sed fortuitum: nulla tamen publica, at sola optimi Principis iactura, qui è suo damna resarciuit, & cuncta Prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit, præpositis ex equestri ordine compluribus, quò quæq; maturiùs peragerentur. Legia bustum & funus fuit externis hostibus aliquoties, & ciuilium aliàs non fuit expers flammarum. Prouida vt aptè Principis cura, non minùs conseruandæ ab incendio Ciuitati ædilitium suppleat officium, quam vigilijs & stationibus caueat contra occultas insidiantium molitiones. Imperij quidem interest, quæcunque Imperialis sunt territorij singulari studio seruari; at quæ in finibus Imperij collocata sunt diligentia egent accuratiore. A vicina enim arbore est qui lubens carpat flores, *Nec frutices omnes corpus putet esse Dearum*, quas nefas est attingere. Eapropter de locis in finibus Imperij constitutis quam sollicitè & grauiter Honorius

iterum

iterum & Theodosius præcauerunt, in titulo de fundis limitrophis & limitaneis castellis, Quicunque Castellorum loca quocunque titulo possident cedant ac deserant, quia ab ijs tantum fas est possideri Castellorum territoria, quibus adscripta sunt, & de quibus iudicauit antiquitas: quod si vlteriùs vel priuatæ conditionis quispiam in his locis, vel non Castellanus miles fuerit detentator inuentus, capitali sententia cum publicatione bonorum plectetur. Vbi sermo est de arcibus & castellis in finibus Romani Imperij constitutis, vbi legiones Romanæ ad tutelam Imperij excubabant, per cohortes suas & alas sparsæ & inter se vicinæ. Interiora namque loca rarum aut nullum, extra ciuilia bella, militem habebant, & arces nullas. Quia in arcibus nusquam præsidium aut spes posita Martiali illi populo, sed in militè tantùm & armis. Quapropter esto plusquàm Sibillæ folium, Custodiam & Claues Ciuitatis esse tantùm Domini, aut quibus is commiserit. Ex quo iuris principio fluxit, quod inter species traditionis rei venditæ annumeretur clauium traditio in conspectu rei emptæ facta, & apposita comparatis lignis ab emptore custodia, dominij sit acquisiti signum. Meminerint custodes assignatum in excubiis locum periculo capitis obseruandum: & Cæsarem decimasse cohortem custodiendis Promonæ in Dalmatia portis præpositam, quod terrore perculsa stationem deseruisset. Intelligant Soleimannum ipsum Turcicum Principem, capta Buda omnes præsidiarios qui deditionem maturauerant interfici per Genitzarios suos feciſſe, Nedastumque illorum & arcis Præfectum, quia firmiter in fide pro Cæsare & arce commissa

commissa steterat laudasse, stipendio in partes suas inuitasse, renuentemq; dimisisse. Sciant Cassium Scæuam Iulij Cæsaris militem Pompeiano bello ad Dyrrachium, in porta solum contra plures legiones pugnasse, effossione oculi, humeri & femoris traiectione, scuto centum & triginta ictibus perforato, Castellum, cui fuerat præpositus, defendisse. Flectium virum nobilem in Hispania arci & vrbi Conimbricæ à Sancio Rege præfectum oppugnationem & arma Alphonsi Regis excepisse, coriis, pellibusque famem, sitim lotio toleravisse, Sancioque Toleti defuncto, aperto priùs sepulchro claues vrbis Conimbricensis in manus dedisse; quasi nec commissæ vrbis iuramento solutus ante foret, quàm per Clauium consignationem etiàm defuncto factam, à quo viuente acceperat.

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

De Muris & Vallis.

SI Poëtis credimus, Cydippe ad Dianæ fanum precatura, dum fortè imprudens collegisset volubile ante pedes suos clàm iactatum ab Acontio pomum, & puellari curiositate inscriptum legisset carmen, quod nuptias captatori promittebat, nullam esse erroris inuoluntarij obligationem scitè perscribit,

Consilium, prudensque animi sententia iurat,
Et nisi iudicij vincula nulla tenent.
Nil ego iuraui, legi iurantia verba.

Ad Cydippes exemplum circumuentus fui in Viennensi Delegatione, dum alterũ Acontij malum, puncta scilicet Litis Spirensis, incautus collegi & legi, abditæ fraudis ignarus. Publicum Scabinorum documentum anni 1325. in verificationem Dominij Ciuitatis, in Muros, Pontes & Fossas produxi: & ita esse credidi. Queis res publica & priuata geritur, non ijs crederem? Illius verò documenti verba hæc sunt, Scabini Leodienses salutem & veritatis cognitionem, Nos tanquàm Scabini in actis Curiæ asseruamus, quod Pontes, Muri, & Fossata Ciuitatis Leodiensis, illorumque locorum fructus & vsus plenè ad Ciuitatem pertinent: Possuntque Consules, Iurati & Consilium dictæ Ciuitatis in bonum publicum disponere, prout ipsis expedientiùs videbitur, citra tamen eiusmodi Pontium, murorum, & fossatorum deteriorationem, citraque præiudicium fundorum ad Ciues priuatos spectantium, & iuris ab antiquo ijs ibi competentis. De quibus quidem hærediis & fundis Ciuium, præmemorati Consules, Iurati, & Consilium nequeunt quomodocunq; disponere, nec ijs manum inijcere, præterquàm in casu necessitatis. Veluti, si necessitas ingrueret, licitè ijs in fundis inædificarentur fortalitia & propugnacula: Pontes etiam, muri & fossata dirui, defodi, & instaurari ad eiusdem Ciuitatis tuitionem possent.

Hæ sunt Syrtes, ad quas incurrens ratis, improuidè faciat naufragium. Amoueamus offendiculum. Scabinale hoc testimonium æstuantibus intestinis discordiis extortum fuit, & per arbitrorum vtrimque assumptorum laudum, seu Pacem de Floenne 1330 die prima Iulij,

Iulij, vt per vim expressum, extitit circumductum & reuocatum. Præparamenta reuocationis, ipsamque reuocationem in fonte ipso edam. Anno 1326. die quinta Iunij Princeps Adolphus à Marka conuenit in binos hinc inde arbitros cum Ciuitate sua Leodiensi (Pax de Wihoingne vocitatur) vt controuersos in cedula artitulos deciderent, vel concordes, vel adhibito quinto Abbate Nicasiano Remensi. In Compromisso ad præsentem quæstionem hæc est restrictio, Plenam etiam ijs Arbitris tribuimus facultatem coniunctim decernendi quod rectum & æquum videbitur præuia veritatis cognitione, quoad itinera publica, & loca communia, quorum in dicta Cedula fit mentio, Exceptis, Muris, Pontibus, & Vallis: Habebimusque firmum & constans quod per eos determinabitur. In relata autem Cedula ad eandem rem sic disertè, Quantum ad ea loca quæ Dominus Leodiensis (Princeps significatur) vocat Itinera publica, & Ciuitas loca Communia, tam intra terræ viscera, quàm in soli superficie, Exceptis Muris, Pontibus, Vallis seu Fossatis, similiter conuentum est, quod Dominus Leodiensis deputabit duos viros bonos, & Ciuitas totidem: qui quidem quatuor designati ex bono & æquo prout ijsdem videbitur controuersiam vnà decident: & in casum discordiæ, Supremus sit Arbiter Dominus Abbas titulo Sancti Nicasij Metropoleos Remensis. Arbitrorum verò in præfata Pace de Floenne 1330 denominatorum (inuenio hinc & hinc ternos) laudum in hoc puncto est talis tenoris, Item De locis quæ vocantur Itinera publica, aut loca Communia, dicimus & pronuntiamus quod omnium cen-

ſuum, redituum & emolumentorum quæ Ciuitatenſes in communi hodie percipiunt, & quæ deinceps Dominus Leodienſis & Ciuitas recipient bona fide, ſeu Itinerum, ſeu locorum communium, vndecunque ea emolumenta exſurgant, ſiue ex parte Murorum, Pontium, & Vallorum, aut alterius generis Itinerum publicorum, & communium locorum, foris & intra terram, Dominus in futurum & in perpetuum pro quiete publica per totum bannum Leodienſe potietur dimidietate: Licebitque Domino & Ciuitati deputare quotannis peculiarem Receptorem ſuæ dimidietatis eiuſmodi cenſuum redituum & obuentionum; Salua per omnia proprietate, cuſtodia, & adminiſtratione prætactorum Pontium, Murorum & Foſſatorum, quatenus Scabini in Legis cuſtodia aſſeruant, & antiquo vſu in Ciuitate eſt receptum. Item dicimus & promulgamus Nullius eſſe valoris aut roboris inſtrumentum literatorium Itinera publica, & loca Communia concernens quod Ciuitatenſes (vt inquit Dominus Leodienſis) inter bellicas turbas à Scabinis extorſerunt. Idque citrà præiudicium iuris partium, præſentiſque noſtræ eo circà ordinationis. En abolitum Scabinale documentum anni 1327 quoad Pontes, Muros & Valla tanquàm per vim & armatam ſeditionem obtentum: neque enim alio nomine compellandum eſt bellum quod ſubditi in Principem ſuum mouerunt. Et vt ſciamus Principem Adolphum qui diſputabat de quæſtione facti, an quædam loca eſſent itinera publica, an verò communia, noluiſſe adducere in dubium & diſceptationem mænia, mæniumque foſſas, & Pontes, à compromiſſo claris verbis illa

illa excluſit. Cum enim compromiſſum ſit redactum ad inſtar tranſactionis, & non tranſigatur de rebus certis & indubitatis, ſed de ambiguis & ancipitibus tantùm, de tribus illis reſeruatis meritò non fuit in arbitros condeſcenſum. Interim Arbitri ipſi, quorum limitata erat poteſtas, & à tribus abſtinere debebant, per quandam notiſſimi iuris exuberantiam, non contenti caſſaſſe violentam eiuſmodi atteſtationem, quæ Muros, Foſſas & Pontes Ciuitatenſibus addixerat, proprietatem, cuſtodiam & adminiſtrationem eorundem, Principis eſſe propalarunt, iuxta acta in Archiuio Scabinali exiſtentia, & antiquum vſum. Quod quia non niſi incidenter tetigerunt, videntur metam ſubmiſſionis non tranſgreſſi. Nam ſecundùm probabiliorem Iuriſconſultorum ſententiam: etſi Arbiter non poſſit ſe intromittere de non comprehenſis ſub compromiſſo, poteſt tamen cognoſcere de cohærentibus & cõnexis; notanter ſi tranſitoriè, & in ordine ad id quod eſt ſubmiſſum. In exemplum. Cum quæreretur vtrum de quibus Princeps & Ciuitas contendebant, itinera publica, an loca communia eſſent, Arbitri magis Arbitratores, quam Arbitros agentes, deſerta, intricata forte, quæſtione Itinerum & locorum communium, (ſicut Dolabella mulierem ream quæ parricidium altero parricidio vlta fuerat, ad Areopagi iudices remiſit, & hi in centum annos deciſionem litis ob perplexitatem protraxerunt) adiudicarunt ambobus mediatim locorum emolumenta, ſeu Itinera forent, ſeu Communia, ſiue etiam mænium, Vallorum & Pontium. Pro muris namque & vallis loca vt plurimum ſunt herbida, & ad animalium

pastum commoda. Et non paucorum Ponticulorum oræ intra Pomærium herbam etiam largiter producũt. Vnde ne factis hinc inde promiscuis illorum fructibus & prouentibus largiloqui interpretes proprietatem etiam & curam rerum illarum in communionem inferrent, prudentiæ videtur fuisse verbo vno fateri esse Principis. Vrbs est Principis, & Princeps est Dominus Vrbis, vt amplè fuit priore Libro ostensum: Mænia igitur & muri Vrbis, eiusdem sunt, quod nulla Vrbs sit sine muris. Ita enim Paulus, Vrbis apellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latiùs patet. Et ad eam Pauli legem Alciatus, Idem in Ciuitate, Castro & Oppido: Nam hæ dictiones propriè id significant, quod ambitu murorum continetur, nisi ex causis dicendi, aliam proferentis mentem conijceremus, vt si dispositio aliàs elusoria redderetur; quo casu Vrbem & Ciuitatem, Castrumque & Oppidum ad continentia extenderemus. Quod Paulus addit Romæ apellationem non muris, sed continentibus tantummodò finiri ædificiis, & ad similem modum Vlpianus, Ædificia Romæ fieri etiam ea videri, quæ in continentibus Romæ ædificiis fiunt, non est istud proprium Romæ, sed de singulis nominibus propriis Vrbium idem statuitur: Quippe nomen appellatiuum Vrbis, Ciuitatis & Oppidi non continet vltra muros: at nomina propria Vrbium, Ciuitatum, & Oppidorum continẽt etiam continentia muris ædificia, seu Suburbia. Ideóque sub apellatione Leodij, Dionanti, Hoij, Trudonopolis, Tungrorum, suburbia etiam illarum Vrbium comprehenduntur: quod & in cæteris Vrbibus generaliter obseruan-

seruandum est, quæ suburbia habent. Verùm quid causæ esset, cur Episcopus, cuius est totus internus Vrbis Leodiensis ambitus, murorum Vrbem cingentium desineret esse Dominus? Diuus Hubertus primus parens & conditor huiusce Vrbis eam circumdedit & circumscripsit mœnibus; Notgerus Episcopus, quem non iniuriâ Secundum possumus agnoscere Conditorem, portendit muros, & quà antiqui conciderant restaurauit. Hugo de Petra Ponte sexagesimus quintus in ordine Episcopus circa annum 1203. firmissimos muros à porta Pagani vsque ad Sanctam Walburgem produxit, imposito eum in vsum super introitu pedagio; & ex triente insignis nemoris de Glano nuncupati, aut inchoatos muros perfecit, aut absolutos turribus exornauit. Episcopalis enim erat silua: & eapropter duos alios precij trientes æqualiter mensæ suæ Episcopali, & Fabricæ ædis sacræ Diui Lamberti Patroni attribuit. Non pœnitendus enimuerò Antistes, qui oblatum Remensem Episcopatum sequutus Simonis conuersi Alnensis Sancti viri (vt ait Chronicon) consilium, repulit, Leodini possessionem anteferens; Comitatum de Muha ab Alberto Comite quinquaginta marcarum millibus cœmptum Ecclesiæ vniuit; Oppidum Trudonense in permutationem curtium de Berthehem & de Maderiis aliorumque redituum in Metensi territorio ad Leodiensem Ecclesiam pertinentium, cum adiectione bis mille librarum, ab Ecclesia Metensi, cui Sanctus Trudo illud contulerat, comparauit; & decedens testamento triginta duo millia marcarum, partim in restitutionem iniustè ablatorum, si vlla fuissent, partim in pauperes distri-

distribuenda reliquit. Erardus à Marka anno 1508. binis turribus marmoreis à fundamentis excitatis Ciuitatem mœniaque muniuit: quarum vna portas. SS. Martini & Margaretæ à latebris quas adiacentes montes & valles faciunt, protegit: altera portam Sanctæ Walburgis in patulo ex parte Hasbaniæ expositam tuetur.

De Fossis & Vallis, quæ de muris ratio. Vallo isthìc & fossa indistinctè vtor, quia à muris distinguo. Alioquin propriè loquendo sunt distincta: & Vallum est species argillacei muri ex cespite & sudibus compositi: & in plerisque fortalitijs Vallum est pro mænibus. Imitatione castrorum Romanorum, à quibus multi subiecti populi didicere villas communire, & fossis murisque coronare. Metatis castris, & fixis tentoriis ad ducentos pedes quaquauersùs designabant Vallo locum; Exteriùs præducebatur fossa nouem pedes profunda, & lata duodecim: quamuis pro ratione necessitatis aut periculi altior latioruè nonnunquàm fieret. Vallum velut quidam murus, erat agger è terra stipitibus aggestus ad labrum interius fossæ. Qui stipites & sudes propriè valli apellabantur, & hìnc Vallum quod ex vtrisque compositũ. Cuius aggeris supra terram altitudo, trium, quatuor pedum, & aliquando pro crescente discrimine apparentia duplicabatur, triplicabaturque. Si itaque muri sunt Principis, fossæ quæ ante muros præductæ, & quasi illorum pars sunt, nequeunt esse alterius quàm Principis. Vel enim fossata Vrbis sunt locus in quo sulcus ducitur, cis quem intrinsecùs mænia eriguntur, vel in ipso sulci ducti loco mænia consistunt. Adeò vt omni euentu eiusdem sint cum mænibus naturæ, & intrin-

intrinsecum Pomærij initium. Quod Pomœrium quasi Postmœnium dictum, licet aliqua eius pars ante mœnia versus Vrbem foret. Estque circa murum locus, quem in condendis vrbibus quondàm Hetrusci (à quibus prisci Romani potissima sacra & religiones acceperunt) quà murum ducturi erant, certis circà terminis inauguratò consecrabant, vt neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ posteà vulgò fuere coniuncta, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli: hoc spacium quod neque habitari, neque arari fas erat Pomærium fuit apellatum: & antiquitùs cis & trans murum erat: inque Vrbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.

Vrbem quamque cingi muris, & sine muris Vrbem non esse, dicentem me mirabitur forsitan qui legerit Spartam nullis mœnibus fuisse circumcinctam, nullâ interim Græcarum Vrbium inferiorem. Sic est, fuit quondàm Spartà sine muro, meliùs octingentos penè per annos tenacissimis bonæ disciplinæ neruis, & Lycurgi instituto firmata, quàm si altera Semiramis muros bitumine interlitos circùm struxisset. Cuius bituminis ea fertur esse vis, vt lateribus aut exiguis lapidibus interlitum, saxo, aut quouis ferro muros solidiores & firmiores faciat. Qua de causa Traianus Ægyptum forte peragrans, ab itinere deflexit vt lacum huiusce bituminis, ex quo muri Babilonij ædificati fuerant, inspiceret. Tyranni posteà, quibus tutissima non satis tuta sunt, locis patentibus, planisque murum Spartæ obiecerunt, altiora & difficiliora aditu loca, stationi-

bus armatorum pro munimento, vt ante, tutantes? Quam T. Quintius Flaminius (Nabis tunc tyrannus eam occupauerat) corona agressus expugnauit. Ac paulo post cum in Achæorum veniisset potestatem, Lacedæmonij iussi muros diruere, Lycurgiq; leges, ac mores abrogare, incunctanter & perlubenter muros, tanquàm minimè necessarios fuere demoliti, ægrè à Lycurgi institutis auulsi. Quod arbitrarentur septa & latibula Vrbium parum decora aut conuenientia viris fortibus. Vt haut mirum sit si Spartanorum quondàm vnus hospiti suæ Patriæ muros altos, latosq; ostendenti responderit, Si mulieribus istos comparastis, rectè; si viris, turpiter. Generosos Laconum spiritus animaret redditum Athenienſibus aduentante Xerxe oraculum Delphicum, salutem non à mœnibus, sed à lignis petendam: quo muralium ambituum necessitas, si non vtilitas extenuatur. Cuius Themistocles egregius interpres, Oppida deserenda, & classe nauali certandum ratus, relicto continente, Pelago Græciam commisit, & seruauit. Sparta multis meretur nominibus à communi regula solui, quia supra omnes regulas excelluit. Ei nomen Vrbis denegari quamdiu sine muris fuit, ægrè admittam. In qua condenda & auspiciorum imploratio, & solemnia tunc condendis Oppidis solita euenerunt. Præter mœnia nihil defuit, ducto in circuitum sulco, futuræ Ciuitatis amplitudini. Rectiùs enim Ciuitas, quàm Vrbs apellanda, à ciuibus intra illum ambitum commorantibus. At priusquàm, alio quam Remus vultu & voto, muros transiliam, quæro quid portenti sit, Leodiensem Vrbem Principis esse, & Leodienses subditos velle

mœnia

mœnia vendicare! Omitto illa, non minùs quàm Vrbem, esse in solo Principis, à Principibus ædificata & post ruinam restaurata, neque subditis permissum muros ducere, Vrbemue condere, sed supremi Principis opus, aut cui is concesserit: quo terrarum loco ferretur diuisio proprietatis inter Dominum & vasallos, vt ille Oppidi, hi murorum & vallorum essent Domini? Herus domus est herus atrij, parietum, & tectorum. Muri ad Vrbis salutem ordinantur, non Vrbs ad Murorum tutelam: quos si alius occupet, Vrbem occupatam scias. Frustra anseres in Capitolio ascensores clamore proditurі asseruentur, Garamantus Rex ducentis canibus aduersus insidias stipatus incesserit, peruigiles custodiendis Hesperidum hortis Dracones deputentur, si fenestræ & ostia vndequaque pateant; mœnia, inquam, alterius sint quàm Principis. Vereor vt molliùs leuioreque pulsu viderer antememoratum Scabinale instrumentum tetigisse si tam compendiosè illud pertransiuissem. Non nemo enim cui parùm perspecta sint tumultuantis populi ingenia suspicari posset assumptos postea arbitros gratiæ forsitan Principis plus tribuisse quàm æquitati, & Scabinorum testimonium contra stare, quod etsi in arbitrali sententia dicatur fuisse vi extortum, non tam assertiuè, quàm enuntiatiuè, tanquam pro parte Principis allegatum, proferatur: militetque in aduersum iuris præsumptio, quæ vim, delictumque omne excludit, nisi probetur. Hæsitationem historia, fida temporum & veritatis custos amolietur. Scabinorum illa attestatio, quæ Assultuum aut Conatuum Litera vernaculè inscribitur, datam habet mensis

Septembris, & diei Martis post Natiuitatem Deiparæ Virginis, anni autem 1327. secundùm plures manuscriptos, & iuxta alios 1325. Posterior data probabilior; sed vtrauis sit, vtrumque tempus violentiæ oportunum, & plenum, seditionibus flagrans intestinis. Rem ex Hochemio verbis meis reddam. Anno 1324. lingua factiosis, sublesta fide hominibus de tepore iustitiæ conquerentibus, facilè consensit Adolphus vt viri viginti, è Capitulo partim, equestri ordine, & Populariũm numero legerentur, qui media bono publico profutura suggererent. Qui velut in velabro olearij inuicem ad eneruandam Principis authoritatem concordes, exhibuerunt in Capitulo syngrapham multiplicium articulorum, ad speciem plausibilium, & quodam æquitatis apparentis fuco delibutorum, inter cætera continentem; quod tota Patria deputaret sex viros laicos futuros iudices inter Episcopum, & Episcopi subditos, coram quibus querelam deponeret quisquis se ab antistite læsum existimaret; tenereturque Princeps stare Senorum istorum decreto. Non pauci Capitularium corticem arboris, non medullam introspicientes, videbantur pedibus ituri in eandem sententiam. Rogatur, premiturque Princeps subscribere, & sigilli impressione propositam scripturam roborare. Ingenio, æquè ac manu promptus, fraudem apertam odoratus pernegat: hinc motus, tumultus, bella, horrida bella. Leodienses palàm ire obuiam iurisdictioni Principis, Itinera publica in suos vsus conuertere, Villico inhibere, ne quem criminosum intra Vrbem apprehẽdat, sollicitatis etiam, at frustra, in partes suas Hoyensibus. Offensus iure merito

merito Princeps, Curiam sui Officialis cum cæteris Archidiaconorum Curiis in Oppidum Hoyense transtulit, Leodiensemque Ciuitatem Ecclesiastico supposuit interdicto. Valuitque apud Clerum Leodij adhuc existentem (qui Hoium posteà migrauit) religio, non-obstante sæcularium ab inceptis non desistentium, sigillationemque antedicti scripti vrgentium, reclamatione. Nouum quin etiam facinus ausi, post cruentum duellum postridie Diui Bartholomæi anno 1325 familiarum de Warfusee & de Waroux contra domum de Awans & adhærentes pugnatum pendentibus induciis & treugis, in proprij Principis contemptum & iniuriam tueri noxios; etsi notoria Patriæ lege bellatores vtrimque, victi victoresque præter cinguli exauthorationem, hoc ipso capitis pœnam incurrissent. Toto sexennio Princeps pedem non intulit Vrbi, subditorum in dies rebellione crescente, ad annos vndecim multo sanguine protracta. Vt nonnihil ea de re superius attigi, vbi specialem crebrarum rebellionum sermonem instituí. Iustam fuisse Adolphi iram non tantùm Philippus Galliarum Rex, ad quem immorigeri per literas & oratores recurrerant, vicinique Principes censuerunt, sed ipsemet Dei vices gerens Supremus Pontifex; qui secessionem Cleri vtriusque (Primarius Secundarium aliquanto tempore in ea præcessit) probauit, legitima Hoij facere Capitula declarauit, & Canonico Romam profecto militaria Principis gesta enarranti respondit, id Episcopo licere pro asserendis Ecclesiæ suæ iuribus. Vtroque ergo anno 1325 & 1327 vis mensura iuris fuit: quâ vi durante extortum & violentum existimandum est quicquid

à Scabinis in fauorem populariũ, & Eccleſiæ Principiſque detrimentum exiuit. Mirarer (indignor maximè) tam fracto tunc temporis fuiſſe homines animo, qui vt popello placerent, aut mortem comminatam effugerent has compoſuere fabulas: niſi nuperrima obuerſarentur oculis, decuplo deteriora. Aliter Papinianus, in cauſa longè diſpare, quem illos imitari oportuiſſet, dum eiuſdem ſequuntur doctrinam: qui occiſo per Baſſianum Imperatorem Geta iuſſus in Senatu, & apud populum facinus diluere, imperterritus reſpondit, Non tam facile parricidium excuſari poſſe, quàm fieri; maluitque ceruicem ſubdere ſecuri, quàm vitæ ſanctitatem probroſa oratione polluere.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

De Pontibus & Itineribus.

IN Compromiſſo & Arbitramento Pontes à Muris & Foſſatis non ſeiunguntur, quod æquè ad Principalem pertineant iuriſdictionem. Flumina enim inter Regalia numerantur, & illius eſt fluuios Pontibus ſternere, cuius ſunt fluuij. Vnde reſponſum emanauit Scæuolæ, Quæſitum eſt an is qui in vtraq; ripa fluminis publici domos habet Pontem priuati iuris facere poſſet? Reſpondi non poſſe. Quod de fluminibus publicis intelligendum venit. Nam flumen priuatum nihil differt à cæteris locis priuatis. In flumina Publica iuriſdictionem, & de ijs diſponendi facultatem Imperator ſibi reſeruauit, ideoque Prin-

Princeps Leodienſis plenè de Regalibus à Cæſare inueſtitus, eam iuriſdictionem & poteſtatem habet. Ad quod facit illud Pomponij, Quo minùs publico ex flumine ducatur aqua nihil impedit, niſi Imperator, aut Senatus vetet, ſi modò ea aqua in vſu publico non erit. Sed ſi aut nauigabile eſt, aut ex eo aliud nauigabile fit, non permittitur id facere. Ex nauigabilibus ſcilicet, aut ex quibus nauigabilia fiunt non licet aquam ducere, niſi Princeps nonobſtante lege concedat, diſpenſando contra legem; & ex non nauigabilibus ductum aquæ poteſt Princeps pro arbitrio ſuo prohibere. Nunquid & Pontium conſtructura Epiſcopis debetur? Doceor ab Ægidio aureæ Vallis Religioſo primam laudem Reginaldo deferendam, qui fuit quinquageſimus Tungrorum, & vigeſimus primus Leodienſium Epiſcopus. Hic Reginaldus (quem Ducis Bauariæ filium fuiſſe conſtat) ſuper fluuium moſam difficili admodum, atque ſumptuoſo labore Pontem maximum extruxit, quo Tranſmoſana Vrbis regio Ciſmoſanæ, magna vtriuſque commoditate, iungitur. Inædificauit inſuper duos alios etiam lapideos pontes ad Inſularum aditum pro facili Ciuium inuicem commeatione, & Vrtam fluuiū quarto Ponte oportunum tranſeuntibus præſtitit. Quod ſi Traianus immortali gloria dignus à Dione Caſſio traditur eo quod lapideum Pontem in Iſtro fecerit, cui cætera illius opera vix adæquari poſſint. Ob id quod eſſent viginti ex quadrato lapide Pylæ, quarum altitudo centum & quinquaginta pedum præter fundamenta haberetur, latitudo ſexaginta pedes contineret, diſtarent autem inter ſe centum & ſeptuaginta pedibus, Fornicibus

bus verò coniungerentur, sic vt supputatione facta latitudo ibi fluuij, licet quàm alibi eocircà arctioris, fuerit paulò minùs vnius milliaris. Neque assequi se posse scriptor dicat quànam ratione, quòue artificio in tanta gurgitum altitudine, tam præcipiti & verticoso fluuio, columnæ extrui, & fundamenta potuerint stabiliri. Etsi Pons Arcuum (id nomen Ponti Leodiensi, qui interlabentem Mosam tegit) non magis sit cum Ponte Traiani comparandus, quàm Mosa cum Danubio, & multò minus eo loco quo erat extructus, in confinio nempe Valachiæ & Transiluaniæ, vbi magnum & verticosum est flumen, & fundus ipse infidus & limosus; nihilominus necesse est vt vel Inuidia ipsa fateatur, Reginaldi Principis arduum, magnum, sumptuosumque fuisse opus, eo præsertim loco, vbi altus & latus Mosa rapidè deuoluitur. Legibus silentibus loquacior lingua omni ratio naturalis eloqueretur Pontes publicos non Ciuium & subditorum, sed Principum esse debere. Prouinciæ & regna pro finium suorum limitibus persæpè flumina habent, & intima Prouinciarum non rarò aliis fluuiis irrigantur, quibus si promiscuè imponi Pontes possent, & non solos Principes ea cura & facultas tangeret, nudarentur latera regnorum, & hostibus ad peruadendum aperiretur aditus. Et perplexa admodum est erigendorum Pontium quæstio. Ponte Danubium ideò Traianus coniunxerat vt expeditiùs, vel non glaciato amne, præsidia facultas traducendi foret, quoties Romani qui trans Danubium agerent à Barbaris bello & armis vexarentur. Cæterùm contraria ratio Adrianum proximum Traiani successorem mouit. Si quidem is veritus ne

pulso

pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus ferę & indomitæ gentes facto aditu ea loca inuaderent quæ cis Danubium sunt, Mæsiamque subinde popularentur, structuras & fornices quantæ super aquam eminebant demoliri iussit. Ancus Martius, Ponte sublicio tum primum in Tyberi facto Ianiculum Vrbi coniunxit: post expulsum Tarquinium Superbum Persena Hetruscorum Rex Romam infesto exercitu veniens per sublicium hunc Pontem irrupisset, nisi vnus vir Horatius Cocles positus fortè in statione Pontis in primum illius aditum tetendisset, & obuersis cominùs ad ineundum prælium armis impetum hostium sustinuisset, dum interim ciues pontem à tergo interrumpunt. Germanico aduersus Arminium moliente, & iniquis locis pugnam capescere coacto, ad famam circumuenti exercitus & infesto Germanorum agmine Gallias peti, trepidantibus Vbiis, ni Agrippina Germanici vxor impositum Rheno pontem solui prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent, sed fæmina ingens animi munia Ducis per illos dies induit, militibusque, vt quis inops aut saucius, vestem & fomenta fuit dilargita. Xerxes qui septingentis armatorum Persarum millibus, & alijs trecentis millibus auxiliariorum, Græciæ toti insultauerat, magna exercitus sui parte mutilatus arreptam fugam acceleraui,astu Themistoclis deceptus, ne Pons quem in Abydo velut maris victor fecerat, prius à Græcis euerteretur, quàm traijcere potuisset. Apud Romanos nõ singulari tantùm cura Põtes curabantur: sed præscriptis cæremoniis & carminibus Pontifices in huius sublicij Pontis refectione vtebãtur:

vnde Varro putat Pontificem à Ponte faciendo dictum. Quem Pontem refici, non ex integro fieri mos erat: vt de nane Argo traditur Herôum Argonautarum vectrice, quæ per multa sæcula stetit resuta & resarcita. Quæ de flumine publico dicta sunt, id de Regalibus esse, conferunt ad multa. Mosam fluuium, qui Leodium diuidit, esse Principis, cui, dum in fidem admittitur, Regalia maiora & minora Cæsar impertitur. Telonium itaque, si quod naues pendunt dum Mosâ feruntur sub Pontem Arcuum, de iure ad Principem tantùm spectare, & ex mera liberalitate Ciuitatem partem illius accipere. Institutionem deinde Nauium Publicarum, vulgò Mercatoriarum, ad Principem itidem pertinere, neque vllum esse Magistratui Ciuico ius sese quoquo modo immiscendi. Et quod si Nauim Meritoriam quæ Leodio Traiectum vadit certis septimanæ diebus ad Societatem armatam Seniorum Sagittariorum attinere, & Leodio Huum ad Iuniorum Centuriam spectare circumfertur, Principi & Capitulo Primario eam gratiam ambæ Centuriæ debent acceptam ferre. Non paucæ Imperatorum sanctiones id præmonstrant. Constantini in titulo de Nauicularijs seu Naucleris, Nullam vim oportet naucleros sustinere delegatas species annonarias transferentes, sed venientes ac remeantes omni securitate potiri, decem librarum auri mulcta proponenda iis qui eos inquietare tentauerint. Theodosij & Valentiniani, Iudices qui in partibus Diœceseos suæ onusta nauigia cum prosperior flatus inuitat sub prætextu hyemis immorari permiserint, vna cum municipibus & corporatis eiusdem loci, fortunarum propriarum feriantur

riantur dispendiis. Arcadii & Honorij de Nauibus non excusandis, Multi naues suas diuersorum nominibus & titulis tuentur: cui fraudi obuiantes præcipimus, Vt si quis ad euitationem publicæ necessitatis titulum crediderit opponendum sciat nauem esse fisco sociandam: Nam vt priuatos quoque non prohibemus habere nauigia, ita fraudi locum esse non sinimus: cum omnes in commune si necessitas exegerit, conueniat vtilitatibus publicis obedire, & subuectionem sine dignitatis priuilegio celebrare. Valentiniani, Theodosij & Arcadij de Nautis Tyberinis, Quodcunque nauigium in alueo Tyberis inuenietur, competentibus & solitis obsequiis mancipetur; ita vt nulla dignitas, aut priuilegium ab hoc officio vendicetur. Cum flumina Publica sint illius Principis per cuius territorium fluunt, & qui in eo Regalia habet, iura commeatuum & stationum nauium, sunt consequenter eiusdem; non minùs quàm cætera territorij emolumenta. Ottonis Secundi, Ottonis Tertij, Henrici Secundi, & Henrici Quarti Imperatorum Diplomata sæpiùs in hoc volumine citata, lumen pro antiquitate non modicum pariunt. Otto Dominicæ Incarnationis anno 981. octauo Idus Ianuarij antecessorum Cæsarum gratiam corroborans, Imperiali præcipit edicto, vt nullus Comes, nullusve Iudex, nisi cui Episcopus commiserit, audeat potestatem exercere per vniuersas possessiones Ecclesiæ Leodiensis, aut *Reditus de Statione Nauium exigere.* Otto Tertius anno 985 Nonis Iunij confirmat, Quod ab antecessoribus fuerat Ecclesiæ Tungrensi vel Leodiensi concessum, Vt nullus Comes vel sub Comite agens, vel Iudex, aut ex Iudiciaria po-

testate, exceptis eis qui ab Episcopo fuerint suffecti, possit *Reditum de Statione Nauium exigere.* Henricus Secundus anno 1006 quarto Idus Iunij præceptum Ottonis Secundi prædecessoris & consanguinei sui renouat, & firmissimè iubet, Vt deinceps nullus Comes, nullus Iudex, nisi cui Episcopus commiserit, *De Statione Nauium, vel de qualibet alia re telonia exigat.* Henricus Quartus anno 1070, septimo Calendas Iulij, agnoscens Henricum Tertium & Henricum Secundum, idem impertitos, mandat, vt deinceps nullus Comes, nullusve Iudex nisi cui Episcopus commiserit, in vlla loca Ecclesiæ Leodiensis ingredi audeat, ad *de Statione Nauium*, vel de qualibet alia re telonea exigenda. Cæsares prohibendo ne quis iniussu Principis Leodiensis per Leodiense territorium, reditum aut teloneum vllum de Statione Nauium exigat, fatentur eo ipso, conceduntque, Principem exigere posse, quia Regalia scilicet habet. Nam non sufficeret eum esse territorij Dominum, fluminumque publicorum interlabentium, nisi vnà possideret Regalia. Hinc quæ in Mosa, & aliis fluuiis molendina construuntur, non nisi authore aut permittente Principe fiunt. Hinc ius piscandi in fœcundo squammati gregis Mosa ab eodem Principe debet procedere (nisi particularium locorum Domini, vt Ecclesiastica aliquot Collegia noui, & nominatim Abbatiam Hubertensem in suo Vice-comitatu de Anseremia) speciali fauore aut largitione antiquitùs doceant acquisiuisse. Cuius rei non leue censebitur argumentum immemorialis possessio. Licet enim facultas piscandi in portu fluminibusque dicatur à Iurisconsultis iure quodam naturali omnibus

nibus esse communis, ex generali nihilominus consuetudine, quæ iura naturalia infimi generis potest ex causa moderari, Principes piscationem in fluminibus Publicis interdicere aut restringere possunt: vt & venationes in saltubus & locis publicis vetare. Peculiare interim plerique istud in venatione esse volunt, quod tametsi eadem naturali concessione videatur ab initio facta promiscua, attamen quia Magnates eam iure Regalium præscripsisse aut obtinuisse contendunt, solique exercuisse ad subditorum exclusionem, licere ijsdem præcipere suis subditis ne in propriis quidem fundis venentur. Venatio certè Principibus viris omnium maximè conuenit, cum sit rei militaris simulacrum, & meditatio rerum bellicarum: exercitatio frugalitatis, & abstinentiæ magistra, animi à negotiis remissioris, si non defessi, restauratio, & ad laborum patientiam continua eruditio, omnibus sæculis, omnibus gentibus magnis Principibus fuit oblectamento. Cyro apud Persas: Alexandro Magno apud Macedonas; qui in saltibus & nemoribus regionis Bazaniæ cum toto exercitu feras nobiles agitauit, quatuor millia deiecit, & in ijs propria manu Leonem inusitatæ magnitudinis. Philopœmenem Græcorum Ducem expertissimum, perpes venandi studium reddidit. Cæsar venationes populo per quinque dies edidit. Augustum animi laxandi causa sæpiusculè hamo piscatum ferunt. Adrianus Imperator venationis cupiditate ad periculum vsque, & plusquam satis erat, tenebatur; nam inter venandum confracto humero & crus penè contriuit. Ab eiusmodi exercitatione eum comparasse reor, quod vicena millia pedibus armatus

ambularet, mediis frigoribus & tempestatibus, nunquam caput tegeret. Adijcerem Domitianum & Commodum, si vita in aliis responderet. Quod ille centenas varij generis feras sæpè in Albano secessu spectantibus plerisque confixerit, ita etiam quarundam capita ex industria figens, vt duobus ictibus quasi cornua effingeret: Et nonnunquàm in pueri procul stantis præbentisque pro scopo dispansam dextræ manus palmam sagittas tanta arte dirigens, vt omnes per interualla digitorum innocuæ euaderent. Hic (teste Lampridio) ferarum diuersarum manu sua occiderit multa millia: & tantarum ad eas conficiendas virium, vt elephantum conto transfixerit, & Orygis cornu hasta transmiserit. Parthorum Regibus ita frequens,& in quotidianis quasi delitiis saltuosa hæc voluptas, vt ab ea præterquàm in maximo luctu non superiederent. Exteros & barbaros Reges ad nuntium mortis Germanici indoluisse Tranquillus referens ait: Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus: Regum etiam Regem & exercitatione venandi & conuictu Megistanum abstinuisse,quod apud Parthos Iustitij instar est. Longiùs efferor occasione pontium, quorum constructio non Leodij tantùm sed in aliis Oppidis authoritatem semper principalem prærequisiuit, habuitque. In Oppido Hoyensi insignis ille Pons lapideus qui veterem vrbem nouæ iungit, anno 1294 auspiciis Principis Hugonis de Cabilione sumpsit exordium: aureo numismate Florentino ad primum fundamenti lapidem superiecto. Leuiusculum est, sed rem leuem annales non tacuere. Temporibus Arnoldi Hornæi,

næi, anno nimirùm 1379, eiuſdem, Capitulique authoritate pons ligneus iuxta Viſetum fuit extructus, quo promptiùs faciliùſque Viſitenſibus poſſet iri in auxilium. Pridem antea pons ibidem extiterat: qui fuerat non erat, qui fuit non eſt: quis ſcit, an non erit? In Orbem aguntur rotanturque cuncta, Si Platoni aſſentimur; multa ſi veritati. Dum Henricus Quartus (Tertium faciunt, qui Henricum Aucupem inter Imperatores non numerant) diris Pontificiis expoſitus, & Henrici Quinti filij armis impetitus ſub vndecimi ſæculi initium Leodium confugit, iam tunc Pons Viſetenſis celebrabatur: patre enim Leodij paſca celebrante, filius Aquiſgranum venit, præmiſſa ad præoccupandum Pontem magna militum turma; ſed genitor Oberti Epiſcopi auxiliaribus copiis ſubnixus per ſuos præuenit, & non ſine cæde occupatores repulit, illoſque & filium tranſitu prohibuit.

In Ciuitate & Leuca Bannali Itinera Publica ſeu Viæ Publicæ etiam ad Epiſcopum & Eccleſiam Leodienſem pertinent: non tantùm directo, ſed etiam Vtili dominio. Directo quia Princeps eſt, & merum mixtumque imperium habet, & via Publica Regalibus annumeratur. Vtili, quia ſolum eſt Eccleſiæ Leodienſis, & ob id Canonici Fundiariorum, imò Trifundiariorum apellatione cenſentur. Propter quod vtile dominium, ſtrictiore vocabulo Fiſcales & Dominicales viæ dici magis poſſent, quàm Publicæ, iuxta mentem Vlpiani, qui interdictum Ne quid in itinere publico fiat, non putat ad ea itinera pertinere quæ ſunt in fiſci patrimonio. In his enim, inquit, neque facere quicquam, neque prohibere

bere priuatus potest. Res enim Fiscales quasi propriæ & priuatæ Principis sunt. Igitur si quis in his aliquid faciat, Præfecti iudices erunt. Publici itineris seu viæ nomen interim hîc retinebo. Principem sub dictione Publici intelligens; tum & altero sensu, quod horum Dominicalium itinerum publicus sit vsus. Nemo ire quenquam publicâ prohibet viâ. In tantùm, quod viam publicam populus non vtendo amittere non potest; vt Iabolenus respondit. Viam Publicam, iuxta eundem Vlpianum, dicimus, cuius solum publicum est. Solum, inquam, publicum, relictum ad directum certis finibus latitudinis ab eo qui ius publicandi habuit. Nam ex lege duodecim Tabularum, latitudo viæ in porrecto debet esse octo pedum, & in anfractu seu vbi est flexus viæ, pedum sedecim. Publicas vias Græci Regias, & Basilicas, Romani Prætorias, Militares, & Consulares vocant. Ad publicæ viæ probationem non sufficeret probare quod publicè & vulgò ab omnibus longo tempore per eam itaretur, sed (vt Renerus Sixtinus rectè in suo de Regalibus tractatu annotauit) vltrà probandum, quod solum sit publicum, & iter illud nos in Vrbem aut Villam ducat. Publicis aggregantur Vicinales, quæ in Vicis sunt vel in Vicos ducunt: maximè si memoriam hominum excedant, etiamsi ex agris priuatorum collatis factæ sint. Sed inter eas (vt ait Paulus) & cæteras vias Militares hoc interest, quod viæ militares exitum ad mare, aut in Vrbem, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent: harum autem Vicinalium viarum dissimilis est conditio: nam pars earum in militares vias exitum habent, pars sine vllo exitu intermoriun-

moriuntur. Quia itinera sunt Principis, mulctæ, & alia iura iurisdictionalia ibi deliquentium aut transeuntium, ei debentur. Et hoc ratione Dominij directi. Intuitu autem Dominij vtilis, quæ intra & extra terram illic nascuntur eiusdem pariter esse deberent. Neque refert quod priuati qui ædes aut fundos iuxta vias publicas possident ad refectionem illarũ conferre teneantur. Refectio enim idcircò de communi fit, quia vsum vtilitatemq; cõmunem habet. Ædilium Curulium munus est vt viæ adæquentur, Curent vt nullus eas effodiat, neque subruat, neque construat in viis aliquid. Non permittant rixari in viis, neq; stercora proijcere, neque morticina, neque coria iacere. Construat autem vias publicas vnusquisque secundùm propriam domum, & aquæductus purget qui sub Dio sunt, & construat ita vt non prohibeatur vehiculum transire. Ita lege de viis publicis sancitur. Viæ Basilicæ & Consulares totius Italiæ finiebant in Columnam vnam auream in foro Romano statutam, quam Augustus posuit, volens ab ea currere mensuras: Milliarium vocabatur, eratque vmbilicus, aut quasi Vrbis. Inter Romana Admiranda fuere Viarum publicarum glarea, aut silice stratarum munitiones: quæ erant plurimæ, & ad longissima spacia excurrebant. Appiæ viæ longitudinem (Flaminia non erat minor, quæ Roma Ariminum vsque, & inde Aquileiam ducebat) quanta æuo fuit Augusti (nam Appius illam vltrà Capuam non extendit) Iustus Lipsius, Sol vbique, & nusquam Lippiens, tradit fuisse circiter milliariorum trecentorum quinquaginta. Tali latitudine (teste Procopio) vt duo currus ex aduerso obuij liberè

possent peruadere & commeare. Vt proniore credulitate Babyloniorum murorum in cacumine latitudinem apud ea de re scribentes legam: qui cubitis quinquaginta alti, turribus ad denos insuper pedes eminentibus, latitudine triginta duorum pedum spacium amplectebantur, vt quadrigæ sine periculo inuicem occurrerent. Appia ex durissimis silicibus, incisione quadratis aptè & in ordine locatis inuicem ita connexis cohærentibusque erat composita & vtrimque marginata, vt silices, assiduis licet plaustris iumentisque per tot sæcula attriti, immobiles integrique persisterent. In marginibus alij erecti & commodi lapides eminebant: quidam, iique crebriores, in quibus insidere fessis, onera reclinare, aut & ascendere ex eis in equum fas esset: alteri rariores, qui vt Columellæ extabant, & notis numerorum inciſi milliaria notabant. Grande itinerantibus, peregrinantibusque, quà adiumentum, quà solatium. Decedo de itinere & via, vbi subiecero Imperatoriam legem de Sacrosanctis Ecclesiis latam, Ad instructiones itinerum, pontiumque etiam diuinas domos & Venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus, quia non est inter sordida munera numeratum. Hinc scribit Rebuffus Ecclesiam & Clericos de consuetudine ad Pontium, itinerum, & murorum refectiones contribuere, duobus concurrentibus. Vno, cum reparatio fit ad necessitatem, non ad splendorem & decus Vrbium. Altero, dummodo Ecclesiæ aut Ecclesiastici ibidem bona temporalia possideant. Si itidem pro coronide adiecero, quod etsi viæ publicæ in iure & tutela Imperatoris existant, vel illius, cui inibi Regalia sunt

sunt concessa, tamen delictorum in via publica admissorum cognitio, correctioque ad eum spectet qui in loco merum mixtumque Imperium, etiam sine aliis Regalibus, obtinet. Et ad illos pertinere in via publica iurisdictionem, qui eam habent circum circa.

CAPVT DECIMVM-OCTAVVM.

De Locis Communibus.

D*Ifficile est propriè communia dicere*: Quandoquidem Arbitri Itinerum & Locorum communium dati cognitores, ea quæstione velut implicatiore postposita, promiscuam emolumentorum vtrimque fecerint participationem. An communia eadem sint quæ publica? Non existimo. Neque tamen ob rationem Vlpiani, inquientis, Bona Ciuitatis abusiuè publica dici: sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt: cui Caius conuenit, Nam publica apellatio in compluribus causis ad populum Romanum respicit: Ciuitates enim priuatorum loco habentur. Verùm quia communia hoc loco à publicis differunt. An latissima significatione, quâ inter publica habentur, quæ sunt in vsu publico Ciuitatum, vel etiamsi in vsu publico non sint, ita tamen apellantur, quia Ciuitatum sunt? Quo sensu idem Vlpianus inquit, Inter publica habemus non sacra, nec religiosa, nec quæ publicis vsibus destinata sunt, sed si quæ sunt Ciuitatum velut bona: vt peculia seruorum Ciuitatum procul dubio publica habentur. Eo signifi-

catu hæc communia sunt, nuncuparique possunt Publica; sed aptior ijs est vox Communium. A vernaculo sermone, quo compromissa, conuentiones & lauda sunt conscripta iustior petetur interpretatio. Ciuitatenses vsi sunt Walonica dictione *Aisemences*, Commoditates Latinè denotante, per quam propriè significantur Loca publicis & communibus incolentium vsibus destinata; veluti in exemplum frequentissimũ Communia pascua, quæ ad vniuersitatem pertinent & in eius dominio existunt. Quibus Dominus iurisdictionalis tanquàm vnus de vniuersitate moderatè vti potest. Quia omnibus Ciuibus & habitatoribus sunt Communia: iisque vt singulis, non autem vt vniuersis; sicut bis in Prætorio Neapolitano decisum fuisse refert Capycius; ideoque maiorem Ciuium partem non posse in his pascuis nocere minori. Distinguuntur autem à Principalibus & Dominicalibus pascuis, in quæ nemo priuatus potest pecora immittere. Districta est desuper lex Valentiniani, Theodosij, & Arcadij, Si quis ouium, vel equorum greges in saltus rei Dominicæ alienus immiserit, fisco illicò vendicentur. Quod si vænalis procuratorum conniuentia, vt id deinceps tentetur admiserit, eos grauissimo iubemus supplicio subiacere. Læsa proinde enormiter fuit Ecclesia Leodiensis asserto Laudo, seu Pace de Floenne per mixturam & confusionem Itinerum, aliorumque iurium Dominicalium cum Communibus, statuto in futurum vt fructus ex æquo inter Principem, & Ciuitatem distribuerentur. Quippe quod de Pontibus, Muris, Vallis, & Itineribus liqueret, minimè autem de Communibus bonis: & iniquum esset liquida Principis iura

cum

cum illiquidis subditorum compensari. Crescit grauamen & læsio cum ad emolumenta visceribus terræ inclusa intra pomœrij districtum Ciuitas vnà cum Principe per id laudum, aut Pacem admittitur. Exquiret prudens Lector, quid causæ aut coloris esse potuerit, vt intestina, aut præcordia telluris visum sit in pactum adducere: Nullus argento color est auaris abdito terris, vt Lyricus inquit: colorem hìc multò minus dare potest, cum in Leodiensi solo nullæ sint argenti, & auri fodinæ. Cumque Tungri Eburonesve sint de numero populorum Germaniæ (vt primo libro commonstraui) antiquitùs existimem more aliorum Germanorum venas eiusmodi non fuisse perscrutatos. Quandoquidem suo adhuc æuo Tacitus de Germanis, Argentum & aurum propitij an irati Dij negauerint dubito. Nec tamen affirmauerim nullam Germaniæ venam argentum, aurumve gignere. Quis enim scrutatus est? Possessione & vsu haut perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa Legatis, & Principibus eorum muneri data, non in alia vtilitate, quàm quæ humi figuntur. Armentorum numero gaudent, eæque solæ & gratissimæ sunt opes. Non fuit itaque Germanus qui primus pecuniam reperit, aut ei quærendæ terram euiscerauit, quem Boëtius hoc sapiente metro detestatur, Heus quis primus fuit ille, Auri qui pondera tecti, Gemmasque latere volentes, Preciola pericula fodit? Opinor ergò ad Hullarum, seu Glebarum Combustibilium Mineras Ciuitatem respexisse, quarum iam tunc perfrequens erat vsus, qui possessores suos ditaret. Hullarum enim inuentionem Bruisthemius ad annum 1198 refert, &

magnum Chronicon Belgicum ad annum 1201: vt de anno præcisè non constat, sic circa illa tempora contigisse concordant omnes. Vt & ferè in modo. Senem quendam venerandum candida indutum veste pertranseuntis viatoris specie cum fabro propinqui Vici sermonem conseruisse, conquerentique ligneorum carbonum, queis fornax succendebatur, caritatem, dixisse vt ad vicinum montem Monachorum (is erat mons Publicus à Monachis partem montis incolentibus sic dictus) pergeret, inuenturus nigras venas terræ patentes, materiam struendo fouendoque igni aptissimam. Vtrum ante id tempus latuerat incolas vis hullarum, incerto est. Si quando innotuerat, densa erat ex interuallo passim ignorantia. Nam iam sub primis Cæsaribus atræ huius sulphureæ terræ naturam Hoyenses magna cum clade fuisse expertos ex Tacito videor indipisci in libro Annalium tertio & decimo. Quamuis enim vulgaris lectio Ciuitatem Iuhonum habeat pro Huionum, facilè in Becani & Pyghij sententiam transeo, qui Huionum legunt, & Hoium nostrum interpretantur. De quibus Tacitum sensisse, præter genium loci, in quo affatim est sulphurei huiusce carbonis, facit contextura historiæ. Post Hermundorum & Cattorum pro salis dissceptatione funestum inter se certamen, proximè insignem Huionum calamitatem subijcit, quæ Iuhonibus, qui nusquam in Belgica sunt, appropriari non posset. Verba Taciti sunt, Sed Ciuitas Iuhonum socia nobis malo improuiso afflicta est. Nam ignes terra editi Villas, arua, vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditæ nuper Coloniæ mænia, neque extingui poterant,

rant: non si imbres caderent, non si fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur, donec inopiâ remedij, & irâ cladis agrestes quidam eminùs saxa iacere, dein residentibus flammis propiùs suggressi ictu fustium, alijsque verberibus vt feras absterrebant; postremò tegmina corpori direpta inijciunt, quantò magis prophana & vsu polluta, tantò magis oppressura ignes. In qua opinione confirmor, quod post Ambiorigis & Catiuulci defectionem Condrusi ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Treuirosque, miserint ad Cæsarem Legatos, oratum, ne se in hostium numero duceret, vt totidem verbis Cæsar scribit, quorum Condrusiorum primaria vrbs est Hoium: quodque postmodùm Antoninus Pius qui Traiano post Adrianum successit, dum in Hoiensem vrbem tanquàm sociam, & amicam appuliſſet, situ illius delectatus mœnia, & portas instaurari curauerit, & Benefactam apellari voluerit: vt alibi insinuaui. Viscera terræ Leodiensis hullarum fæcunda, non ideo sunt aliarum rerum vacua. Non paucis locis prædura tellus lapidicinas & ferri fodinas sinu suo fouet: hinc ferrariæ officinæ à multis sæculis inualuerunt, & hodie numerosæ prostant. Sunt & crebræ alumineæ, inter Leodium, & Hoium præsertim.

Nihil tam altè constituit natura quò virtus non possit eniti: nilque tam profundè occuluit, quò ingenij subtilitas nequeat penetrare.

Quicquid sub terra est in apricum proferet ætas.

Sereniſſimus Ernestus de Bauaria anno 1587 Ardennam fortè peragrans, qua excellebat viuaciſſimi ingenij laga-

sagacitate, multaque experientia, & secretiorum naturæ arcanorum indagine, metallorum venas deprehendit, factoque experimento, aliquot illorum genera hactenus iis in locis incognita ostendit, puta sulphur, alumen, chalcantum, suorum subditorum qui ea effodiunt lucro, & Prouinciarum vicinarum commodo. An non iure exclamem? *Fælix qui potuit rerum cognoscere causas.* Anaximander Milesius ingentem instare motum Lacedæmoniis prædixit, quo breui magna vrbis, montisque Taygeti pars concussa concidit. Hippocrates venientem ab Illiricis pestem præuidit, præmissisque per Græciæ Ciuitates, vt ægros curarent, discipulis, eo beneficio honores, qui quondàm Herculi decreti fuerant, meruit. C. Marius à Senatu hostis iudicatus, in domum Fanniæ Minturnis custodiæ causa deductus, vt aduertit asellum, cui pabulum obijciebatur, neglecto eo ad aquam, procurrere, interpretandorum ominum peritus, à multitudine impetrauit vt ad mare perduceretur, nauiculaque conscensa in Africam peruectus, arma Sullæ effugit. Vt non omnis fert omnia tellus, non omnis ætas fert aut detegit omnia. Seneca testis est idoneus ad Lucilium suum, Quædam nostra demum prodiisse memoria scimus: vt specullariorum vsum perlucente testa clarum transmittentium lumen: vt suspensuras balneorum, & impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul, & summa foueret æqualiter. Quid loquar verborum notas, quibus quamùis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur?

Ad Hullarum & ferri fodinas attinet quod Ludouicus Guic-

Guicciardinus in Belgij descriptione refert, Leodienses solitos tria iactare, Ignem igne calidiorem, ferrum ferro durius, & panem pane meliorem. Per panem denotando primarium panem qui ex spelta pinsitur, quæ in Condrosio & Hasbania metitur optima. Per ignem focum ex carbonariis glebis paratum, & chalybem per ferrum. Alibi interim panis non minùs bonus editur: ad calentiorem forte focum non assidetur: sed de ferro dictum prorsus claudicat. De Amphilocis, portione Gallæciæ Iustinus, Præcipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior. Quippe temperamento eius ferrum acrius redditur, nec vllum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluuio, aut Chalybe tingatur: vnde Chalybes fluuij huius finitimi apellantur. An ideo etiam apud veteres in vsu & precio gladius Hispaniensis, cui & ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. At præmonitum oportet Lectorem de Guicciardino, eum circa regimen & imperium vrbis Leodiensis aberrasse, & eatenùs à Geographi tramite, officioque declinasse.

Cuius sint venæ metallorum, saxorum, hullarum & aliarum specierum terris abditarum, & an ad eas inquirendas liceat transire sub alieno fundo, ad Iureconsultos ea de re passim tractantes consulentem remitto. Equidem vt regulariter, cessante seruitutis iure, non licet per agrum alienum transire inuito Domino, idem de transitu per subterraneas effossiones, & cuniculos apparet dicendum. Ea ratione, quia sicut prædia supra terram sunt libera Domino vsque ad cœlum: ita dicantur esse libera vsque ad profundum. Vbi tamen quæ-

eruuntur ad publicam vtilitatem conducunt, & sine superficiei læsione possunt erui, & absque Domini damno, qui nollet in perquisitione eiusmodi laborem, & sumptum perdere, non existimem Dominum posse esse impedimento: Gratiano, Valente & Theodosio Imperatoribus id circa Metallarios disponentibus. Sic enim illi, Cuncti qui per priuatorum loca saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam Domino repræsentent, cætero modo propriis suis desideriis vendicando. Si verò defossis in altum cuniculis alienarum ædium fundamenta labefacient, idem Theodosius cum Arcadio, & Honorio, Metallariis venas perquirendi denegat facultatem. Cæterùm vnica vena sub pluribus fundis continuata, communis est omnibus fundorum Dominis. Non queo præterire auream Cassiodori sententiam ad hunc locum quadrantem, Metallarij sine furto diuitias rapiunt, optatis thesauris sine inuidia perfruuntur, soli sunt hominum, qui absque vlla nundinatione precia videntur acquisiuisse. Aurum per bella quærere nefas est, per maria periculum, per falsitates opprobrium, in sua verò natura iustitia. De venis scilicet metallicis ei sermo. Thesauri non eadem penitùs conditio. Qui est vetus depositio pecuniæ, cuius Dominus ignoratur, seu cum Marone, *Ignotum argenti pontus & auri*: quem qui in suo citra artem magicam inuenit, totum suum facit; qui in alieno pro semisse tantùm. Aliter tamen Plato, qui in hunc modum vndecimo de legibus, Thesaurum quem sibi quisque & suis deposuit, qui meorum parentum non erit, nec reperire vnquàm optarim, nec si reperirem

rerim moueam, nec ariolis depositum accipere consulentibus credam. Quo pacto ambiuisset, aut expilasset alienas hæreditates, qui oblatam fauentis fortunæ beneficentiam reiecisset? Is subditis optandus animus circa contrectationem iurium ad Principem suum spectantium. Communio locorum Communium non fuisset obtentui arbitris ad gratiam, & auram populi arbitrantibus, pro communione emolumentorum ex Pontibus, & Viis publicis obuenientium. Penè exciderat articulus Regiminis anni 1416 publica itinera concernens, & de iuribus Principis illa esse patefaciens. Constitutio est Ioannis Bauari, Quò mercatores, aduenæ, cæterique liberè, & sine tributo commeare, merceſque & res suas in Ciuitatem, & Patriam conuehere valeant, Decuriones, Habitatores, & Incolæ Oppidorum, adiacentiumque territoriorum Ditionis nostræ Leodiensis Vias publicas reparanto; & quilibet intra suum districtum munus adimpleto. Si verò in commeationem & conuectionem viæ minùs idoneè stratæ sint, aurigæ, mercatores, & viatores impunè, nullo incurrendæ mulctæ metu, per viciniores fundos transeunto.

CAPVT DECIMVM-NONVM.

De Mulctis.

INter illa quæ in Lite Spirensi Magistratus Leodiensis congerit ad instruendam potestatem, sunt Mulctæ & Fiscalia iura; eo consilio vt amplitudinem muneris

attollat; ex quo mulctarum & pœnarum compendia in Libris Feudorum inter Regalia numerantur. Quapropter de ijs instituenda nobis oratio, quæ eò solidior esse solet, quò ex Cæsarum Legibus, aut Prudentium responsis fortiùs validatur. Vlpiani sententiam circa mulctæ descriptionem & à pœna distinctionem præmitto. Inter Mulctam, inquit, & Pœnam multùm interest: cum pœna generale sit nomen, omnium delictorum cõercitio: mulcta specialis peccati, cuius animaduersio hodie pecuniaria est; pœna autem non tantùm pecuniaria, verùm capitis, & existimationis irrogari solet. Et mulcta quidem ex arbitrio eius venit, qui mulctam dicit; pœna non irrogatur, nisi quæ quaque Lege, vel quo alio iure specialiter huic delicto imposita est. Quin imò mulcta ibi dicitur, vbi specialis pœna non est imposita. Antiquitùs, iuxta Aulum Gellium, ex grege, aut armento mulcta pendebatur: dicebaturque vel minima, vel suprema; quæ diuisio etiam in pecuniaria permansit. Suprema erat duarum ouium, & triginta boum, pro copia scilicet boum, proque ouium penuria. Sed cum eiusmodi mulcta pecoris, armentiue à Magistratibus dicta erat, addicebantur boues, oueſque, aliàs precij parui, aliàs maioris, eaque res faciebat inæqualem mulctæ punitionem. Ideo posteà lege Aterina constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris centeni. Mulcta autem minima, erat ouis vnius. Cæsareo iure, Præfecti Prætorio vsque ad quinquaginta libras auri cum peccatum grauissimum erit, mulctam dicere possunt; Proconsules ad senas vncias; Spectabiles iudices ad tres; & qui ordinario iure Prouincias moderantur,

duarum

duarum vnciarum auri summam excedere nequeunt: vt Gratianus de Præfectis Prætorio, & de reliquis Arcadius, & Honorius rescripserunt. His datur mulctæ dicendæ ius, quibus publicè iudicium est, & non alijs, nisi hoc specialiter eis permissum, vt ait Vlpianus in titulo de Iudiciis: & idem alibi, Mulctam is dicere potest cui adiudicatio data est: Magistratus solos & Præsides Prouinciarum posse mulctam dicere mandatis permissum est: pœnam autem vnusquisque irrogare potest, cui huius criminis siue delicti executio competit. Vnde Alciatus infert, Defensores Ciuitatum, & Magistratus Municipales mulctam dicere non posse, licet aduersus contumaces aliis remediis vti possint. Sed plerique secùs esse volunt, nouissimo præsertim iure, quo leuium excessuum castigatio Defensoribus Ciuitatum fuit concessa. Et Lex Vlpiani faueat tradentis, Magistratibus Municipalibus supplicium quidem à reo sumere non licere, modicam tamen castigationem eis non denegandam. Quod in Magistratibus celsioribus locum esse non abnuam Cuiacio annuente. Mulctæ enim dictio iurisdictionis est, & iudices ordinarij, qui præsunt iurisdictioni, ius habent mulctæ imponendæ Lex duodecim Tabularum Romanis Magistratibus ius mulctæ dicendæ dabat, quam Cicero de Legibus in hæc verba refert, Iusta imperia sunto, ijsque ciues modestè, ac sine recusatione parento: Magistratus nec obedientem & nocuum ciuem mulcta, vinculis, verberibusve cöercento: ni par maiorve potestas, populusque prohibessit: ad quos prouocatio esto: Cum Magistratus iudicassit, interrogassitve, per populum mulctæ pœnæ

certatio esto. Nam libera Republica supremum imperium erat penès populum, ad quem prouocatio patebat. Delegatus Iudex an possit mulctare controuertitur. Crebriùs obtinuit Delegatos Principis, & ad Vniuersitatem causarum, posse mulctam indicere: qui verò à Magistratibus deputati sunt, non posse. Excepto vno casu Legis secundæ de Sportulis, vbi Iustinianus indistinctè omnibus Delegatis licentiam præstat executores litium negligentes mulctis afficiendi; & quidèm si illustres sint iudices vsque ad sex solidorum summam, sin autem alij, vsque ad tres tantummodò aureos. Magistratus Ciuicus Leodiensis ius dicendarum Mulctarum non habet, cum nec merum, nec mixtum imperium possideat, imò nec iurisdictionem vllam, prout antehac docuimus. Si quæ leuium causarum in mutuis ciuium commerciis, & paucis eius generis rebus, cognitio per Pactum Tungrense tolerata est, potiùs quàm mandata, aut data, non est ideo vnà concessum ius impositionis Mulctatitiæ; quod minimâ, & leui cognitione traditâ, aut commissâ non censetur tradi, aut concedi, sed in specie exprimi debet vt censeatur concessum. Ne tamen inanis & frustratoria foret illius talis qualis iurisdictio, pœnali Albanitionis iudicio defenditur: dum contumaces & iudicatis morem gerere reluctantes, Magistratus Albanitionis pœnâ percutit. Hocque ipso quòd sola Albanitione datum fuit minari & ferire posse, tam mulctandi facultas, quàm alij pœnales modi præsumuntur excludi. Atque ita Consules, & Iurati pœnæ quidem huius indicendæ, nimirùm Albanitionis, ius habent, mulctam verò irrogare non possunt. Mulctarum, inquies, quarundam

rundam emolumenta Ciuitas percipit, aut participat: Mulctæ autem sunt commoda iurisdictionis, & quidem meri Imperij: parum proinde interesse vtrùm imponere possit mulctas an non, quandoquidem illis fruatur. Plurimùm refert, ô bone obiector, quisquis es? indicat, an percipiat Ciuitas; illud iurisdictionis est, & proprij iuris; istud precariæ nonnunquàm fortunæ, aut alienæ munificentiæ. Valentinianus cum Theodosio, & Arcadio Collegis ad Prætextatum Prætorio Præfectum clarè commonstrat, Mulctarum seuera compendia ærario nostro protinùs esse quærenda nullus ignoret, nisi ipse iudex id quod ad pœnam admissi facinoris exculpitur (aufertur) vel publicis operibus, vel cursui publico, vel aliis necessariis causis specialiter deputauerit. Illic Mulctas in Fiscum, & Ærarium Principis inferri iubet, potestatem tamen facit in publica opera, aut alios vsus conuertendi. Ad eundem planè modum munifici Principes gratiam fecere Ciuitati alicuius partis mulctarum, quæ ipsorum ex asse erant. Aliquot exemplis res clarior fiet. In Pace de Wihoingne sub Adolpho 1326, Dominus Leodiensis concedit suæ Ciuitati tertiam partem Emendarum ex violatione Statutorum incurrendarum, quia Ciuitas tenebitur opem præstare, vt eiusmodi Statuta per Officiatos Principis executioni tradantur, quoties eorum auxilio opus videbitur, aut ad opem præstandam requirentur.
In Pacto de Geneffe & Wotemme sub eodem Adolpho 1331 septimus articulus continet, Quisquis in Consilio Ciuico sermonem seret alia de re, quàm ob quam est indictum, & nisi vocem compresserit statìm ac per Vil-

licum,

licum, si sit præsens, aut per Consules, in absentia Villici, monitus fuerit tacere, incurret mulctam quinque marcarum probæ monetæ intra dies quindecim sub pœna banni quinquennalis persoluendarum. Non contineo calamum, quin ad hanc Villici in Consilio Ciuico præsentis circumstantiam commonefactos debitæ modestiæ surfartores allegationum Spirensium peruelim, qui tam liberè Ministros Principis, si non Principem etiam ipsum, excluſos volunt à Comitio Ciuico, & cunctis Ciuicis muneribus: ecce Prætor Principis agnoscitur caput, & lingua Consilij, & non nisi subordinatè, & in eius absentia, Consules in Consilio, hortari, monere, inhibere. Pax de Varoux sub Engelberto 1357. disponit, quod Emenda ratione perpetrati homicidij pertineat ad occisi liberos, quibus deficientibus, ad vxorem tertia pars, & alij duo trientes ad defuncti propinquos: intellige mares propinquiores, non fæminas: vt in Mutatione Legis nouæ explicatur. Moderationis Legis nouæ, aliter Literæ Articulatæ quartus articulus sub eodem Engelberto 1362 his conceptus est verbis, Si quis in iudicio mulctetur, mulcta non est Scabinorum, sed Principis. Ioannes Bauarus in Regimento 1416 edicit, Volumus Aduocatum de more solitam emendarum partem percipere. Et ibidem primo articulo, Ab infractoribus securitatum, & raptoribus mulierum denos florenos Rhenenses in vsum Ciuitatis solui, nonobstante fisci, & partis offensæ satisfactione. De more: nam in iuribus Aduocatiæ continetur, Si conqueratur quispiam de publicorum itinerum impedimentis, licere Aduocato comitari Prætorem, & impedimenta obsta-

culaque

culaque ſubmouere: & ſi quæ mulcta idcirco debeatur, trientem competere Aduocato. Secundæ ordinationis Hynsberghicæ 1424 decimus quintus articulus hic eſt, Mulcta per Oenopolas circa abuſum vini committenda diuidetur pro æquis quadrantibus inter Principem, Ciuitatem, quatuor luſtratores vini, & vſum luminaris Capellæ Vinitorum: ſaluo tamen iure Aduocati, ſi quod ei competat. Statutis anni 1478, Emenda per Lanios, & Macellarios committenda dicitur tertiatim futura Principis, Ciuitatis, & Viſitatorum. Ius ergò mulctarum Principis eſt, & quam habet Aduocatus partem, à Principe in primæua inſtitutione accepit: & quicquid Ciuitati addicitur, non ex merito, aut debito, ſed ex regali liberalitate Principis venit. Sicut quod in cereos Capellæ Oenopolarum, in luſtratorum & obſeruatorum mercedem reſeruatur, ab eodem donationis Principalis fonte defluit. Quod verò homicida prolibus, vxori, aut propinquis maribus interempti mulctatur, in deteſtationem, & correctionem fit criminis, nimis, proh dolor? omni ferè ſæculo Leodij frequentati. Nequaquàm in illatæ mortis compenſationem; cum in homine libero nulla vitæ, nec corporis cadat æſtimatio. Rem tamen non eſſe nouam vt pars bonorum eius, qui cædem fecerit, addicatur occiſi liberis, aut parentibus, vel vxori, docet Cuiacius quarto capite decimiquarti Libri ſuarum Obſeruationum. Apud Priſcos Germanos, Tacito enarrante, homicidium luebatur certo armentorum, ac pecorum numero, recipiebatque ſatisfactionem vniuerſa domus. Et quamuis Eburones à Germanis ducant originem, in Mulctæ ho-

micidialis assignatione fratres occisi sororibus præponentes, à Germanorum more, nescio an in hoc etiam, desciscant: de quibus pariter scribit Tacitus, Sororum filijs eundem apud auunculum, qui apud patrem fuisse honorem: Et quosdam sanctiorem, arctioremque hunc nexum sanguinis arbitratos, & in accipiendis obsidibus magis exegisse, tanquàm ij & animum firmiùs, & domum latiùs teneant. Canutus Danorum Rex, vt scribit Saxo Grammaticus, homicidij crimen quadragenis talentis redimi volebat, quorum prima pas Regio fisco cederet, secunda stipendiis militum, tertia parentibus occisi. Sed an lex, vel consuetudo commutans capitalem pœnam homicidij in pecuniariam, iure probetur, meritò quæsitum est; & crebrior, æquiorque sententia inualuit reprobari; quam amplector: quod iuris diuini sit, voluntarios homicidas morte plectendos, & totius generis humani interfit atrociſſima illa crimina non remanere impunita. Mulctæ proinde ad leuiorum criminum emendationem inuentæ sunt, pœnæ grauiores grauioribus reseruatæ. Persas aiunt, cum supplicium de illustri viro sumpturi sunt, vestem & tiaram ei detrahere, easque suspensas verberare, vt hominem ipsum. Non quidem placeat legibus nostris mos ille Persicus: attamen iura nostra tolerant, plebeium & vilem hominem corporali pœna grauiùs puniri, & pecuniaria mitiùs; nobilem verò minore corporali, sed mulcta duriore, & maiore cõerceri. Imò nonnunquàm apud Romanos, mulctæ in capitale supplicium conuertebantur. Nam miles qui ter ob eandem culpam mulctatus fuerat, morte plectebatur, vt tradit Polybius. Ita leuiores

& pe-

& pecuniariæ culpæ capitales fiebant, si ter repetebantur. Causa, quod talem prauiore ingenio censebant; & factum ad peccandum. Fortasse & contumacia ijs visa punienda, & quod quasi per contemptum ludibriumque legis peccaret. Massilienses acerrimi priscæ seueritatis custodes dissimiliter ex dissimili intuitu circa trinas ingratitudinis repetitiones obseruabant. Nam sicut Athenienses conuictum à patrono libertum ingratum iure libertatis exuebant: ita tres in eodem seruo manumissiones rescindi permittebant, si ter ab eodem deceptum dominum cognouissent: quarto errori subueniendum non putabant, quasi sua iam culpa iniuriam accepisset, qui ei se toties obiecisset. Vt nil inausum, intentatumve Plebi animos ab impunitate & licentia attollenti; iam sub Ludouico Borbonio Leodiensis Magistratus, mulctarum ius inuadere occeptarat, ideoque Pauli Secundi sententia inter innumeras inuasiones, quas temerarias, illicitas, iniquas, & indebitas pronuntiat, expressim comprehendit Pœnarum, & Emendarum appropriationes, pecuniarumque exactiones, extorsiones, & cuiuslibet alterius modi vsurpationes. Quæ sententia cum vel robur obtineat sententiæ, vel, ipsis Leodiensibus fatentibus, per expressam illius acceptationem in formam, naturamque pacti, & contractus transiuerit, quæstionem etiam mulctarum decidit, quarum ius & indictio penès solum Principem residet. Sub Hugone de Cabilone Episcopo anno 1297 rarum & conspicuum indictæ, editæq; mulctæ specimen spectur. Vir nobilis de Awans incentor funestæ, & diuturnæ illius discordiæ, quæ inter suam, & confœderatas

familias contra prosapiam de Warous, & ei adhærentes plurimis animis continua cæde domesticos maximè penates cruentauit, postquàm cum septingentis equitibus turrim de Sleins ad vnum æmulorum suorum de Warous spectantem frustra occupare tentasset, & in castrum de Awans cum præcipuis amicorum se recepisset, vbi hostilia rursùm moliebatur, & apparabat, repente præter exspectationem à Principe obsessus, deditione in eius potestatem venit. In quorum excessuum emendam, seu correctionem honorariam cum magna nobilium vnà deditorum caterua palàm Leodij ab Ecclesia Collegiata Sancti Martini in monte Publico vsque ad Ecclesiam Cathedralem Diuo Lamberto sacram supplex toto inspectante populo processit; nudi omnes capite & pedibus, interiore tantùm tunica amicti, & sellam equilem singuli capite gestantes. Rigidæ spectaculum disciplinæ, & è reliquiis adstrictæ antiquitatis. Aspero enim genere castigationis militares insolentiæ indigent, quia vires armis constant, quæ vbi à recto tenore desciuerunt, oppressura sunt, nisi opprimantur. Calpurnius Piso Consul in Sicilia bellum gerens C. Titium equitum præfectum, qui hostium multitudine circumuentus arma cum suis tradiderat, iussit toga laciniis abscissis, decinctaque tunica indutum, nudis pedibus, à mane in noctem vsque, ad principia per omne tempus militiæ ad se, & turmas equitum, quibus præfuerat ademptis equis in funditorum alas transcripsit. Sempronius Volones qui segniùs pugnarant, stantes potum cibumque in cœna capere. In cœna dico, nam dum viguit prisca belli disciplina, milites omnes stantes prandebant.

debant. Marcellus Centuriones Manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit. Augustus pro vario delictorum genere variis ignominiis milites affecit, vt stare per totum diem iuberet ante Prætorium, interdum tunicatos, discinctosque. Lucullus quosdam notauit, vt discincti fossam foderent reliquo exercitu spectante. Fædiùs Iulianus Cæsar, qui amictos veste muliebri per castra duci imperauit, ratus militibus qui viri essent, eam pœnam grauiorem morte futuram. Ad aliquam forte Charondæ Thurinorum Legislatoris imitationem, qui ordinum in bello desertores statuit in foro per tres dies sedere in vestibus muliebribus. Quæ quidem ignominiosarum pœnarum exempla in ignauos & imbelles, vt plurimùm, statuta fuerunt: Hugo autem Episcopus illo mulctæ genere in viros fortes animaduertit, qui fortitudine sua iniussu Principis contra iura abuterentur: quod luxurians temeritas aduersus leges armata, ni metu dedecoris, cuius generosa indoles est impatiens, contineatur, feralem Reipublicæ cladem breui sit allatura.

Nullo rursus fundamento iura fiscalia, sub quorum apellatione, vt sub genere species, mulctæ veniunt, Ciuitas sibi Spiræ præfigurat; cum mero, mixtoque careat imperio. An eo forsitan obtentu quia fiscum habet? Omitto quærere an fiscum habere, foret idoneum huius potestatis, & iurium verè Fiscalium argumentum, cum ex multorum, præsertim Canonistarum, sententia, à quibus Didacus Couaruuias non in totum dissentit, ordinarius Diœcesanus Fiscum certo modo habere dicatur, licet Principes sæculares, inquit, id ægrè admit-

terent: & non solùm Episcopus Leodiensis in qualitate Episcopali Procuratores Fiscales creet, sed & Archidiaconi in suis Archidiaconatibus; vbi, quoad certa saltem crimina, ex præscriptione, aut concessione iurisdictionem quasi Episcopalem cumulativè cum Episcopo exercent. Cuius rei Tungrense Pactum video peculiari meminisse articulo, dum illìc statuitur, Quod iuxta Reformationem Curiarum Officialis Leodiensis, Præpositi, & Archidiaconorum sub Adolpho de Marka Principe factam, Procuratores Officij, seu Fisci, ex parte Episcopi non sint plures quàm quindecim, viritim autem singuli ex parte Præpositi, & cuiuslibet Archidiaconi. Quò Paulina respexit cum in nouissima clausula adiecit, Nolle præiudicatum Paci Tungrensi quoad numerum Fiscalium, & eorum officia exercenda. At Fiscum Ciuitas non habet. Solius est ea prærogatiua Principis Leodiensis; qui vltra Episcopales fiscos, habet Procuratorem Generalem, qui propriè diceretur Fisci Procurator, quem Augustus Cæsar primus omnium instituit; & Aduocatum fisci, quem aiunt ab Adriano Cæsare primùm designatum. Ciuitati Syndicum, & Mamburnum esse agnoscimus, Fiscos inficiamur. Sic quælibet vrbs & vniuersitas, imò quæcumque Collegia licita syndicum, siue actorem deputant, per quem quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, & fiat. Sic pupillis, & aliis personis defensore carentibus datur Curator, seu Mamburnus, qui pupillaribus interueniat negotiis. Cur ad pupillos, orbos, & alienæ opis indigos stilum restringam? In Moderatione legis nouæ, quam Ioannes Bauarus Princeps anno 1403. 28. Octobris aliquot à

Pacto

Pacto Tungrensi mensibus fecit, disponitur (abrogato Scabinorum decreto, quo personis qualificatis rerum suarum pleno iure Dominis adimebatur facultas assumendi mamburnum, nisi liberam eidem fortunarum omnium dispositionem concessissent) Quod deinceps cuiuis Actori & Reo indifferenter liberum sit deligere simpliciter Mamburnum ad agendum, aut defendendum causam, cuius facto non obligentur extra casum ad quem fuerit delectus. Ni alio sensu per Fiscum intelligas ærarium, & pecuniam publicam, quo propriè Fiscus significat sportas, aut sportulas pecuniarum conditoria: & strictè Fiscus est pecunia Principis, latè ærarium, & publica quæque pecunia. Ærarium Romæ erat in templo Saturni. Publicola enim pecuniam publicam in ædem Saturni inferri constituit, populoque vt duos Quæstores creare posset concessit. P. Veturius & M. Minutius primi fuere creati, vt pecuniæ & ærario præessent, & ab eo quod inquirendæ, & conseruandæ pecuniæ causa instituti fuerant, Quæstores dicti sunt. Non negauerim tamen quin id munus iam Regum temporibus innotuisset. Sacris porrò rebus accensebatur ærarium: ideoque Leges promulgatæ in æs incisæ, & Senatusconsulta à Tribunis plebis recognita deferebantur in ærarium, & condebantur. Ea significatione Fiscum, id est Ærarium, seu pecuniam publicam in annuis censubus, gabellarumque vini, cereuisiæ, carbonum glebalium, & pannorum, Principis permissu exactarum, determinatis emolumentis consistentem habet. Et quodque Prouinciæ Oppidum in necessitates publicas publicis fruitur prouentibus. Vnde nullam iurium

præcel-

præcellentiam, nullum potestatis iurisdictionalis indicium quisquam trahere queat. Supinus est error existimantium apud eas solas Ciuitates Ærarium siue Fiscum hac significatione reperiri, quibus merum, mixtumque imperium competit. Omnes Vrbes vbi sunt corpora & collegia, arcam, vt dicunt, habent communem; & Fiscus ibi nil aliud est, quàm publica pecunia reposita. Plinius Iunior Libro decimo Epistola quadragesima octaua ad Traianum scribit, quod Apamæorum Colonia quæ Imperatoribus, & Proconsulibus suberat, Priuilegium, & vetustissimum morem habere se contendebat, ne rationes publicæ pecuniæ ab Proconsulibus inspicerentur: non disceptabatur Ærariumne, seu Fiscus ei posset esse necne, sed vtrum Ærarij rationes Proconsulibus, & Cæsareis Commissariis petentibus essent reddendæ. Risum porrò, aut bilem fortè excitauerit splendidum illud commentum, quod anno 1437 Sigismundus Imperator Priuilegium Ciuitati contulerit, vt ius confiscationis in bona eorum qui aduersus eam attentassent exercere posset. Cælo & salo secernuntur ius confiscationis, & per gratiam confiscantis, potiri confiscatis. Confiscatio est de Regalibus maioribus: Aut ordinaria est, à Lege scilicet introducta; eaque in casibus à Lege præscriptis irrogatur non nisi à iudicibus mero fungentibus imperio. Aut extraordinaria soli competens Imperatori, supremisque illius Magistratibus. Quare Theodosius, & Valentinianus ad Hierium Præfectum Prætorio rescripserunt, Nulli iudicum liceat, exceptis ijs qui in summa administrationis sunt positi potestate, proscriptionis tempestate totius substantiæ aliquem

percel-

percellere, nisi ad nostras aures hoc ipsum referatur. Machinatus quispiam fuerat in Rempublicam, & in Principis, Sacrique Imperij inibi authoritatem; de reatu Princeps idoneè cognouerat; Cæsar in Vrbis solatium bona quæ fisco suo in commissum ceciderant, Vrbi aut Tribubus fuit largitus; eadem munificentia, qua in pios Ecclesiæ, captiuorum, & pauperum vsus quotidie Sereniſſimus FERDINANDVS Elector Colonienſis, Leodienſium Princeps mulctas & emendas conuertit. Exulet ergò hinc audax impostura, nisi Pierij penicillo in hierogliphicis, pingi velit picam à fronte albam, atram à tergo, quæ mendacij est imago.

CAPVT VIGESIMVM.

De Pondere & Statera.

PYthagorica est sententia mensuram rerum omnium esse optimam. Et in sacris literis legitur, Deum Optimum Maximum omnia in numero, mensura, & pondere feciſſe. Quas non delibasse tantùm sed altius imbibisse visus fuit Plato, ideo diuinus apellatus, qui mensuras & numeros in medium frequenter adducit; vt eius sectator Marsilius Ficinus in Timæum agnoscit. Dum nunc in Libro Quarto de Legibus, de harmonica animæ compositione differens, illam è certa numerorum inuicem maritatorum summa constare; modò in nono Dialogo de Republica tyrannum vitæ dulcedine à Rege superari, & Regem à tyranno vitæ

amaritudine vinci gradibus septingentis & viginti nouem, scribit. Addens in Phædro, seu Pulchro, Pridem genium quendam, nomine Theuth, circa Naucratim Ægypti fuisse, qui omnium primus numerum & numeri computationem, geometriamque, & astronomiam inuenerit. Geometriam quidem in Ægypto necessitas artium propagatrix produxit. Nilus enim fluuius, qui singulis annis propter inundationem varias agrorum formas superinducit, magnas contentiones inter vicinos de finibus excitat, quæ absque Geometricæ dimensionis auxilio haut facilè componi possent. Priore Libro demonstraui Sanctum Hubertum vnà cum Legibus Ciuitati suæ pondera, & mensuras præscripsisse, quibus in hunc vsque diem vtitur. Et in commensurandis spaciis Pes Sancti Lamberti, ita à Conditore in memoriam optimi Præceptoris, & Prædecessoris appellatus, adhuc hodie dicitur. Eaque pondera & mensuras, quòd absq; iis mutuum humanæ societatis commercium nequeat consistere, generaliter rebus in omnibus constituit; in liquoribus, in aridis, in vrbanis & rusticis, in ære facto & infecto, in moneta, quæ cæterarum rerum est precium & mensura. In liquoribus, vino, oleo, cereuisia. Vbi Romanarum nomina mensurarum liceat vsurpare: cyathum, acetabulum, quartarium (quinque sunt vnciæ) heminam (nouem vnciæ) sextarium, (sunt vnciæ viginti) libram, vnciarum duodecim. Maiores mensuræ sunt, Congrus, librarum decem, Vrna librarum quadraginta, Amphora librarum octoginta, & Culeus mille & sexcentarum librarum. In aridis, velut in omni genere frumenti, in pane, carne, mercæ minutula: vbi

pro

pro qualitatè corporum, nunc maiorum, nunc minorum mensurarum nomina vsurpantur: velut etiam, quartarius, hemina, sextarius, semodius, modius, aut vncia, sescuncia, & cætera peculiaria nomina vsque ad pondo seu libram. In pannis & alia ad vestem materia, vbi vlna, semiulna, triens, quadrans, pollex, digitus, non malè appropriantur. In ære (etiam aureos, & argenteos nummos cum Vlpiano æs dicimus) pondera sunt ad rationem assis, & singularum assis & libræ partium. Rusticorum Conditor non fuit oblitus, quibus mensuratores circa prædia, fundos, nemora, & prædiorum fines regundos erant perneceſſarij.

— Non semper fixus in agris
Qui regat est certus finibus arua lapis.

Ad hanc speciem quoddam est Collegium Iuratorum Chordæ, qui nata inter vicinos in Vrbe, aut agris cõtrouersia secundùm suæ artis peritiam ad perpendiculum & amussim, & aliter, metiuntur. In agris maximè ad pedes, passus, virgas maiores, & minores, semiiugera, & iugera computant. Quò liquidò pateat Ciuicum Magistratum nihil habere iuris in Ponderatione, & Mensuratione (tametsi ad rauim multis annis aduersus Stateram vniuersa plebs oblatrauerit, & Cęsareis Mandatis locum fecerit) subijciam in hanc rem nonnulla. Manuscriptus imprimis toties à me citatus, in titulo de Constituendo Villico seu Prętore Summo, eiusque Iure & potestate, continet sequentia. Ad Prętorem, & alium neminem, spectat custodire mensuram Salis. Quisquis iniussu Prætoris eam mensuram retinuerit, Reus esto

capitis, nec aliter innocentiam suam probare valeat, quàm testimonio duorum Scabinorum affirmantium vidisse Prętorem id concedentem, aut audiisse confitentem concessisse. Penès eundem potestas sit creandi nomine Principis perpetuum mensuratorem Salis. Liceat eidem, motu suo, & Scabinis inconsultis facere Coctoribus Cereuisiariis, & Pistoribus licentiam coquendi Cereuisiam, & Panes extra ordinem, & solitum. Itidem Prętorij iuris est, in singulis Ministeriis, quibus obseruatores seu inspectores vænalium dantur, eos deputare, vt & per forum vænalitiorum, iuxta priscum morem. Pistores, Lanij, & alij Opifices, vbi sunt obseruatores, annis singulis octo, aut decem idoneos viros è singulis suis Tribubus Villico offerent, è quibus pro Arbitrio Villicus eliget quatuor annuo functuros officio: quibus incumbet bis, aut ad minimum semel, deferre Villico nomina delinquentium; septima mulctarum parte iis ob hoc pręstituta, duabus cunctarum tertijs (seu dodrante) apud Principem mansuris. Emendæ autem, quę infra solidos septem erunt, Villici sunto in solidum. In Ministerio tamen Pannificum non designat Inspectores. Aurifabri tenentur annuè referre ad tribunal Scabinorum charactericum symbolum, quod laborato per eos auro imprimunt: quod quidem Villicus aurifabro cui voluerit reddet, & signi custodem pro arbitrio designabit; probum tamen & accepto priùs fidelitatis iuramento. Insuper Villicus deputat tres Nundinarum iudices, & totidem ęstimandi appreciandique vini exploratores. Pax, aut Fædus Clericorum de frumentali mensura sic inquit, De Sextariis conuentum fuit,

fuit, quòd Ecleſiaſtici nominis perſonæ poterunt à ſuis colonis, & debitoribus frumenta ſua ad menſuram arbitrariam recipere, illaque pro libitu in præbendatos ſuos diſtribuere; ad molas etiam, furnos & braxinias mittere. Si vænui exponant, ad menſuram Ciuitatis traditio fiet, denario in quatuor modios, nec ampliùs, ob id perſoluto. In Littera Boni Communis, ſiue Rerum Venalium anno 1317 ſub Adolpho, id reperi, Quiſquis intra vnum ab Vrbe lapidem vinum vendiderit, ſub mulcta, eodem precio quo in Vrbe vænit, non maiore, diſtrahat. Neque Salis Mercator minutatim vendendo precium ideo augeat, ſed cuique emptori quartarium petenti ad ratam precij vendat, quo in folle, & corpore. Addam cursim, quod in pactis & Statutis adhibita de Sale reperiatur cautio ſpecialis, cuius non ſolum apud nos, ſed apud veteres, & gentiles prę aliis condimentis magna cura. Prophanam ſine ſalino menſam eſſe veterum opinio erat, vt & hodierna. Salinumque inter vaſa ſacra reponebatur, quòd ex patella Diis ſuis ſtulta gentilitas primitias cum ſale offerret. Idcirco legibus ſumptuariis calamitoſo Reipublicæ tempore modum luxui Romæ ponentibus, Patrifamilias nihilominùs ſalinum ex auro, aut argento habere fas erat. Vnde vicini Catti apud Tacitum proflumine ſalem gignente Hermunduris bellum intulerunt, religionis maximè cauſa, exiſtimantes, ea maximè loca propinquare cœlo, preceſque mortalium nuſquàm propiùs audiri, quàm vbi ſal gigneretur. In Pace de Varoux 1357 12 Decembr. ſub Engelberto ſtatuitur, Quod in ponderibus, & menſuris antiquus vſus, iuxta id quod Scabini in Archiuiis aſſeruant,

continuetur, certumque salarium Scabinis explorationi rectitudinis ponderum, & mensurarum assistentibus, quod excedere nequeant, pendatur, quo mediante exploracionem citra diei vllius interruptionem expedire teneantur. Si caupo vllus, vini, mulsi, aut cereuisiæ venditor, in alia quàm nouissima probata mensura per Prętorem,& duos Scabinos repertus sit vinum, mulsum, aut cereuisiam distraxisse, toties quoties mulctam sedecim florenorum probæ monetæ incurrat, liceatque Prætori præcipere transgressori, vt ante solis occasum sub pœna capitis eam persoluat mulctam: Mensuræ autem quotquot pertusæ, & perforatæ penès eiusmodi caupones, & venditores inuenientur, cadant in commissum. Pariter in ponderando pane seruetur antiqua consuetudo secundùm Scabinorum scientiam, prout hactenus authoritate nostra fieri solet. Verùm Prætore recusante, aut negligente ponderationem, permittitur Consulibus eum rogare vt ponderationi vacare velit, neque poterit non acquiescere Consulum requisitioni.
In Mutatione & Additamento Legis nouæ sub Principe Arnoldo de Horne 1386. die octaua Octobris articulus præmemoratus Engelberti ijsdem penè per omnia verbis renouatur, saluo quod dispositio sit generalior, nempe, Quisquis vinum, mulsum, cereuisiam, aut aliud genus potabilium sub alia quàm nouissimè explorata mensura vendiderit, aut vllam mensuram ab vltima exploratione præcisam, seu præmorsam, aut pertusam in penuario, vel iuxta vendibilem mercem habere comperietur, is in singulas mensuras toties quoties deliquerit sedecim probæ monetæ florenis mulctetur, vltra mensurarum

surarum eiusmodi confiscationem. Idem obtineat in omnibus omnino ponderibus, necnon in vlnis omnium mercatorum minutatim vendentium. Non excidit Principi Ioanni Bauaro earundem rerum sollicitudo, qui in Ordinatione seu Regimine 1416 vigesimo & sequentibus articulis cauit, Vt Scabini quotannis ipso Diui Andreæ festo eligant Mensuratorem modij; & granorum lustratores iureiurando deuinciantur, quod sepositâ gratia, fauore, muneribus, personarum acceptione, bene & fideliter officio perfungentur, mensurisque per Scabinos approbatis, & sigillatis, nec aliis, vtentur. Si secus faxint, in perpetuum officio cadunto, & tanquam periuri exulanto ad annum extra Ciuitatem, & pomœrium, mulctati ad tres florenos iusti ponderis, tertiatim Principi, Ciuitati suæ, & delatori soluendos. Molitores & Pistores in mensuratione frumenti, & farinæ, salario mulcturæ, panis venditione, ijsdem mensuris, & ponderibus vtentor. Iustitiæ Principis, seu Scabinis liberum esto quotiescunque lubuerit, visitationem circum circa instituere, & incursarum emendarum præstationem iniungere. Ioannes Hynsberghius Princeps septimo constitutionis suæ 24 Octobris 1424 articulo ad exemplum præcitati articuli Pacis de Waroux, Villicum seu Prætorem ad ponderationem Panis Pistorum arctat his verbis, Quotiescunque Prætor à Consulibus requiretur vt Panes Pistorum ad stateram expendat, petitam ponderationem ne denegato. Consules autem sub iurata sua fide Prætorem, quoties expediens videbitur, requirunto. Viden' vt ad Conditoris imitationem Principes successores peculiari cura Mensuram & Stateram vbicunq; com-

commendarunt? Dum cibum, potum, &, mercem his alligant legibus, mores animorum non minùs ad veram regulam componi suadent. Vt sit

Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum.
Cui non conuenict sua res, vt calceus olim
Si pede maior erit subuertet, si minor vret.

Non ad rigidam sapientiam voco, ad quam Plebs frustrà inducatur: imò nec ad moderationem Annibalis Afri, & Octauij Augusti, quos constat bibendi parcissimos fuisse; & illum nec cum Italia Romano tonantem imperio expauit, nec cum reuersus Carthaginem Summum Imperium tenuit, aut cubantem cænasse, aut plus sextario vini indulsisse; sextarius mensura est vnciarum viginti. Hunc non amplius ter bibere solitum super cænam in castris apud Mutinam, & posteà quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessisse. Neque cum eodem Augusto, qui populum de inopia & caritate vini querentem seueriſsima cöercuit voce, prouisum à genero suo Agrippa perductis fontibus ne homines sitirent, abstemios, & aquæ potores volo; at à sanguineis abstinere rixis, ab assiduis peierationibus, à proborum quorumcunque detractionibus, & subsannationibus, quæ sunt familiaria congerronum, & comessantium inter se plebeiorum in popinis epotandæ cereuisiæ condimenta. Debellent Alexandros inter pocula, modo alienam non incessant famam, & modestiam iudicij retineant. Huic inueterato, & quotidiano malo occursurus Serenissimus Ernestus à Bauaria anno 1588. 13 Iulij tabernis, & popinis horam præstituerat vltra quam sub

mulcta

mulcta non liceret recipere, nec retinere ciues, sextam vespertinam hyeme, & æstate octauam. Non quod ad eas horas cyatisandum, aut pergræcandum sit, sed vt pœnæ metu cõercerentur plures Acerræ ad lucem bibentes, qui cum Maximino Capitolinam amphoram in die ebiberent, & de quibus, vt de Bonoso Aurelianus, dici posset, Non vt viuant, sed vt bibant natos videri. Si saltem literatis fabulis, aut vtili colloquio pocula sua condirent! Aristoteles duos & sexaginta annos natus cum affecto corpore, ac spe, vitaque tenui esset à sectatorum suorum cohorte rogatus, vt ipse loci sui, & magisterij successorem deligeret, & inter auditores duo præcipui Theophrastus Lesbo, & Menedemus Rhodo oriundi, ingenio doctrinaque præ cęteris præstarent, dissimulata intentione, causatus vinum quod bibebat esse insalubre & asperum, quæri propterea debere, vel Rhodium aliquod, vel Lesbium, allato vtroque, vbi Rhodium degustasset, Firmum, inquit, hercle vinum & iucundum, & post degustatum mox Lesbium, vtrumque, inquit, oppidò bonum, sed Lesbium suauius. Quo lepido dicto visus fuit verecundè Theophrastum hominem suauitate doctrinæ & vitæ insignem delegisse. Vergilius Latinorum Homerus Stateram Ioui suo tribuit, vt victoriam Æneæ præ Turno adiudicet

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diuersa duorum,
Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.

Ad æqualitatem iustitiæ, ęquatum esse oportet libramentum. Inęquale fuit insolentis Galli, qui exusta

direptaque Roma, & reſidua iuuentute, quæ in Capitolium confugerat, fame ad deditionem compulſa, pacto ſub mille pondo auri fœdere, gladium bilanci inſeruit, & in opprobrium adiecit, Væ Victis: ſed mox inopinato Furii Camilli Dictatoris aduentu gladium infæliciter reſumpturus. Ius Stateræ penès Principes igitur ſtetit, donec emolumentum & commoditatem Ponderationis in rem aliquorum priuatorum tranſcripſere. Exiſtimo eſſe illud Feudum vænalium quod Cæſar Rudolphus Primus, qui multis Eccleſiam Leodienſem nobilitauit priuilegiis, primo regni ſui anno apud Hagenogiam, voluit ab Epiſcopo recuperari, Pro tribunali, inquit, præſedimus, & aſſiſtentibus ibi nobis quàm pluribus noſtris Principibus fuit iudicatum, quod nullus Principum aliqua Feuda quæ tenentur à nobis & regno alienare poſſit aut debeat, niſi noſtro interueniente conſenſu: Cum igitur Venerabilis Henricus Leodienſis Epiſcopus Princeps noſter dilectus Feudum vænalium Ciuitatis Leodienſis, prout eſt nobis notoria facta fides, alienauerit ſine nobis, eidem damus tenore præſentium in mandatis, quatenus Feudum prænotatum venditum, quod nullatenus proprio motu ſic alienare potuit, Regia ſibi authoritate reſarciat, illudque teneat, & poſſideat prout ſui prædeceſſores Epiſcopi Leodienſes ipſum Feudum vſq; ad alienationis tempora poſſederũt. Cæterùm, ſeu Henricus Princeps alienatum feudum non redemit, diuerſis retentus præpedimentis, ſeu redemptum, & Epiſcopatus bonis reunitum ſucceſſores denuò vendiderunt, ab aliquot ſæculis priuati iuris Statera fuit. Fidem facit Scabinalis ſententia 15 Februarij 1346. pro Andrea de

de Harue Staterario contra ciues Leodienſes lata, & quarta die Ianuarij 1346 per eoſdem Scabinos ratificata, cum eorundem Recordio ſub 8 Iunij 1418. Alia iterùm Scabinorum ſententia 1592 4 Ian. Ægidio de Viſé dicto Proſſet ex eadem ſtatera agente, ſuo, non Principis nomine. Vnde Hyeronimus Proſſet filius 28 Iunij 1621 coram Paribus Curiæ Feudalis, ſtipulantibus pro Ciuitate illius anni Conſulibus, ſemiſſem iuris huius Stateræ Ciuitati ceſſit, & tranſtulit ſub reciproco publicæ rei onere; Quod ampla domus pro gurgite Moſæ ſita ponderationibus deinceps eſſet obnoxia, & mercium ponderatarum receptationi deſtinata, ſuoque Ciuitas ſumptu adiacens littus appulſui, & ſtationi nauium facile, & tutum redderet. Et viciſſim venditor intra proximum triennium alteram iuris dimidietatem alienans, Ciuitatem, cunctis licitatoribus mediante iuſto & pari precio teneretur præferre. Anno & amplius euoluto nempe 7. Decembris 1622 Hieronimus reſtantem ſemiſſem cum omni iure ex contractu 28. Iunij 1621 quæſito, in actis etiam Feudalis Curiæ, Fiſco aut menſæ Epiſcopali Principis vendidit precio bis mille florenorum Brabanticorum quotannis rependendorum, vſque ad numerationem triginta ſimilium millium in ſortem, & reditus annui extinctionem. Non exquiro vtrum iuxta legem priori contractui adiectam Staterarius obtulerit eodem precio cum Ciuitate paciſci, quandoquidem ipſa pactis non paruit, & vt paruiſſet, in obuio ſit, Dominum directum Feudi, aut qui illud alteri ſubinfeudauit, cuiuis alteri emptori anteponendum eſſe. Id conſtat, populum in horas mutabilem, aut

fortè vnà annuos Consules, modò probasse, modò improbasse contractum, nunc edicta Ponderationibus mercium promulgata rescidisse, & exautorasse, nunc redintegrasse. In summa, ex æde illa Pactitia & Stateræ deuota (quam nouum Macellum vulgus vocat) Hieronimus vi deijcitur, Stateræ exercitium aut tollitur, aut infructuosum redditur: & posteaquàm anno 1628 Cæsaris & Principis iussu fuisset restitutus, non magno ab inde interuallo veteres turbas, & impressiones iterùm experitur. Documentum omnibus quàm infidum sit illìc pactis eiusmodi publicis fidere, quæ nec cum Principibus quidem inita, bene seruantur. Vix aliquid crebrius pactis & concordatis omni sæculo ictis & repetitis, nullum producas quod non inuertatur: & pactorum numerus inconstantiæ, inobedientiæque est indicium, non fidei vinculum, aut firmamentum. Vt verè dicere liceat, In tam numerosa Pace, bellorum iura visuntur. Sed ô infælice domus loco damnata? Optandum fuisset vt pridem corruisset, aut sub gelida iacuisset Arcto, quàm vt eius occasione post tot ærumnarum & malorum messem, fides publica apud posteros vapularet. Quid verbis opus? de hoc Macello verè dixeris, hospitium esse calamitatis, & quod qui quamuis malam rem quæret, illìc reperiet. Vicio hominum, non tectorum. Aptè Tragicus, *Monstra fato, moribus scelera imputes.* Ad ponderis & Stateræ materiam facit, quod vt sub Imperatoribus conficiendæ monetæ deputatus erat Comes Sacrarum largitionum, ita locis penè omnibus designabatur vnus ponderator, qui bonitatem nummorum expenderet & exploraret. Iustinianus noster de

Ponde-

Ponderatoribus & auri illatione, Quoties de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet, quem sermo Græcus Igostatem apellat, per singulas Ciuitates constitutum, qui pro sua fide atque industria, neque fallat neque fallatur, contentionem dirimere. Ad mores multò ampliùs norma & mensura rationis & iustitiæ, iuxta quam componantur: ne plus sapiamus quam sat est, sed cum Doctore gentium, Sapiamus ad sobrietatem, & cum Græco sapiente, Ne quid nimis. Paucis opus est ad bonam mentem Literis. At, prô dolor! vt flagitiis, sic legibus abundamus. Et quemadmodum omnium rerum, sic Literarum quoque intemperantia laboramus. Non vitæ, sed ostentationi discimus.

Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quam satis est virtutem si petat ipsam.

CAPVT VIGESIMVM-PRIMVM.

De Carcere.

CArcer aduersus Reos adinuentus fuit, etsi hodie etiam in obæratos & debitores communis sit. De iure tamen ciuili ne in criminalibus quidem ad pœnam tendit, sed duntaxat ad custodiam: etsi respectu carcerati sit sæpè magnum tormentum, sordidaque & infamis habitatio. De iure Canonico secùs, quo carcer perpetuus in pœnam mortis ciuilis nonnunquàm decernitur. Hinc in iure Ciuili Carceris & Custodiæ nomina

promiscuè vsurpantur, vt Venuleius inquit, Vinculorum apellatione, vel priuata, vel publica vincula significamus, Custodiæ verò tantùm Publicam Custodiam: & Vlpianus, Verum est eum qui in Carcere clusus est non videri neque vinctum, neque in vinculis esse, nisi corpori eius vincula sint adhibita. Quis credat? Sic est. Sub tribus primis Regibus Romulo, Numa, & Tullo Hostilio Romæ carcer non extitit. Anco Martio regnante, ingenti incremento rebus auctis, cum in tanta multitudine hominum, discrimine rectè an perperàm facti confuso, facinora clandestina fierent, carcer ad terrorem increscentis audaciæ mediâ Vrbe, imminens foro ædificatus. Ius Carceris ad Principem, aut Dominum loci pertinere exploratum est. Inædificationem autem illius, seu fabricationem domus ad carceris vsum fieri debere sumptu Ciuium & inquilinorum loci vbi erigitur, clarè scribit Iulius Clarus. Nihilominus in Lite Spirensi Ciuitas Leodiensis audacter ius Carceris sibi vendicat. Nullo apparente argumento. Articulum Pacis seu Pacti de Wihoingne 1326, verbum verbo reddens, fidus interpres, exhibeo, Intra Ciuitatem, & Franciscam seu Pomærium, nemini ius, vsusve carceris esto, nisi Principi seu Domino Leodiensi, & Tribunalibus illius ad hoc deputatis. Verùm si Consules, seu Magistri Leodienses reperiant delinquentem in præsentia Iustitiæ Principis, seu Domini Leodiensis poterunt eum apprehendere & retinere: ita tamen vt quamprimùm eundem in Iustitiæ Domini Leodiensis manus consignent, vt prout ius dictabit de eo statuatur. Saluo quod sede vacante Magistris Ciuitatis licebit Reos in

Ciuitate

Ciuitate repertos prehendere, & in Carcere (nempe Principis) pendente interregno asseruare, quos Principi post inaugurationem & Regalium inuestituram offerent. Vbi rationem diuersitatis circa consignationem Reorum facile est aduertere. Viuo Principe, & vigente illius iurisdictione tenentur Consules citra moram tradere Principis Præfectis aut Iudicibus maleficos quos fortè prehenderint, illo autem mortuo, propter Iustitium & interregnum, ex quo potestas Prętectorum & Iudicum quasi obdormiat, permittitur Consulibus, apprehendere quoscunque Reos, carceribusque (quibus quàm Principis, cum solus dicatur ibidem habere carceres?) mancipare, tradendos postea inaugurato & inuestito Principi. In posteriore vix aliquid speciale aduerto, quandoquidèm eo casu liberum debeat esse omnibus in aliqua prętertim dignitate constitutis, in subsidium pendentis potestatis manum inijcere in Criminosos; quòd Reipublicæ interfit delicta publica puniri. Prius habet aliquid proprium Defensorum Ciuitatum, quibus Consules & Burgimagistros dixi antehàc posse quadantenùs comparari. Rescriptum est, Arcadii, Honorii, & Theodosii Imperatorum ad Cæcilianum Prętorio Præfectum, Defensores Ciuitatum oblatos sibi Reos in ipso latrocinio, vel congressu violentiæ, aut perpetrato homicidio, aut stupro, vel raptu, vel adulterio deprehensos, & actis publicis sibi traditos, expresso crimine cum ijs à quibus fuerint accusati, mox sub idonea persecutione ad Iudicium dirigant. Quod circa Carcerem soli Principi competentem Fœdus de Wihoingne per Arbitros vtrimque electos disposuit, alio Programmate

mate sub die sexta Aprilis 1348, sub nomine Statutorum Leodiensiũ (quia permissu Adolphi Principis tota Vniuersitas Ciuium statuit) ijsdem penè verbis refricatur, nempe, Quantum ad punctum Carceris attinet, Cauetur ne quis in Ciuitate & Pomærio Leodiensi carcere vti possit, aut debeat, vel quenquam apprehendere, & in carcere detinere. At ea potestas penès solum Dominum Leodiensem, illiusq; Deputatos & Iustitiarios maneto. Hynsberghica Constitutio anni 1424. 16. Iulij. idem verbo vno repetit, dum per sextum articulum inter antiquas Ordinationes & Paces perennè obseruandas, & edicto illo confirmatas, enumerat Pacem de Wihoingne. Regula est iuris Ciuilis, Semper generalibus specialia insunt: & Canonici, In toto non est dubium partem contineri. In Pace de Geneffe & Wotemme authore Principe per Communitatem Leodiensem 10 die Iulij 1331 inita (quæ non amplius quàm septennio recentior est Pace de Wihoingne) decimus quartus articulus, incarcerationem, quæ priuata authoritate fieret, etiam prætextu damni publici, vetat in hunc modum, Quisquis indicta causa apprehenderit, aut viginti quatuor horarum spacio in carcere detinuerit, Canonicum, Clericum, Beneficiatum, Choraulem, Prætorem, Scabinos, aut alium quemcumque ciuem Leodiensem in Ciuitate morantem, occasione rei vllius, per dominos, consanguineos, aut amicos aduersus Rempublicam admissæ, perpetuâ Albanitione damnator; nec deinceps in vrbem, aut intra quadragesimum ab vrbe lapidem accedito. Si faxit, Prætor; & Scabini Leodienses eum capite mulctanto. Quem ego articulum exaudio

exaudio de Carcere Priuato, qui, ſicut publicus fuit per Pacem de Wihoingne Ciuitati interdictus, ita hìc priuatis ſub capitali pœna prohibetur. Iure enim communi (à quo Statuta paſſiuam interpretationem admittunt) carceris priuati pœna incurritur, dum quis in domo priuata per vnum diem naturalem quenquam vi detinet.

Cogor iſthìc ob praui vſus indignitatem, in inciuilem pro quocunque debito ciuili incarcerationem Leodij nimis frequentatam inuehi, eo conſilio, vt penſitatis abuſibus remedium aliquandò ſtatuatur. Rigorem Legis duodecim Tabularum in ære alieno reuixiſſe cenſeas, cum erga crimina tam molles ſint, aut diſſimulantes. Atqui illis ipſis duodecim Tabulis pudori fæminarum parcebatur. Nam, quò matronale decus verecundiæ munimento tutius eſſet, in ius vocanti matronam corpus eius attingere non permittebant, vt inuiolata manus alienæ tactu ſtola relinqueretur. Et Iuſtinianæo iure, Nulla mulier pro pecunia fiſcali, ſeu priuata cauſa in carcerem trudi, aut includi debeat. Sed ſi pro fiſcali, aut priuato debito pulſetur, per virum ſuum, aut quem alium legitimè reſpondeat. Quod ſi noluerit vel reſpondere, vel perſequi litem, executionem in rebus ſuis patiatur. Iudices qui id non ſeruauerint, viginti librarum auri pœnam, ſi maiores ſunt, ſi minores decem ſoluant. Secus Leodij quotidiè factitatur, nulla reuerentia ſexus. Miſeræ mulieres ex cauſa debiti, ſæpiùs in rem maritorum, aut alimenta prolium contracti trahuntur obtorto collo in carceres ab inhumanis ſatellitibus, inhumaniorum iuſſu creditorum. Etſi eodem

iure, ne quidem ob crimen, dummodo modicum, forent incarcerandæ, sed datis fideiussoribus, aut ijs deficientibus, iuratoria cautione relaxandæ. Exceptis tantùm meretricibus, quæ per luxuriam beneficio muliebri indignas se præstiterunt. Et in grauissimis criminibus, in Monasterium, vel Asceterium mittendæ potiùs, aut alijs mulieribus in custodiam tradendæ sint, quam in publicum, & viris communem carcerem conijciendæ. Durius etiam quàm par est cum viris circa incarcerationem agitur; non quidem in superficie pro duritie Legis duodecim Tabularum, sed vereor, vt re ipsa. Summo illo & antiquissimo iure, Confessi æris ac debiti iudicatis triginta dies dabantur conquirendæ pecuniæ causa: post deinde nisi soluerent, ad Prætorem vocabantur, & ab eo creditoribus addicebantur: restant reliquiæ legis, Secum ducito, vincito aut neruo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore. Si volet suo viuito. Ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato. Erat autem ius interea paciscendi: ac nisi paciscerentur, habebantur in vinculis dies sexaginta, & trinis nundinis in comitium ad Prætorem producebantur: tertijs nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregrè venum ibant. Si plures forent creditores quibus Reus iudicatus esset, petere poterant addicti hominis corpus secari, Tertijs, inquiunt, nundinis partes secanto, si plus minusve secuerint, sine fraude esto. Sed Sextus Cæcilius apud Aulum Gellium, tantam pœnarum immanitatem fuisse denũtiatam dicit, ne ad eam vnquàm peruehiretur. Dissectum enim (inquit) antiquitùs neminem, neq; legi, neque audiui, quoniam sæuitia

sæuitia ista pœnæ contemni non quita est. Nouissimo iure, obærati nequeunt incarcerari ante congruam bonorum excussionem; & personarùm quarundam conditio etiam post factam excussionem, inde eximit. At indifferenter omnes Leodij debitores Ecclesiastici, & seculares citra perquisitionem, tentatamque bonorum executionem ingente scandalo, plena luce, medio foro à satellitibus ad mercedem pactam hiantibus faucibus, ignominiosè capiuntur, obluctantes trahuntur, & aliquando vinciuntur, pugnis miserè contusi. Sunt qui per carnificum istorum tractationem barbaram, aut dedecoris turpitudinem conciderunt exanimes. Quidam ad plures annos in squalore carceris canino victu, arido pane, & aqua vitam tolerare coacti: alij tabe confecti, & immortui. Miserabiliores priscis obæratis, quanto breuitas doloris optabilior est diuturnis tormentis, Morsque minùs pœnæ, quàm mora mortis habet. Potiorem earum regionem morem duxero, quæ in hoc apparitorum linguam, non manum applicant, monitis per eos reis aut soluere, aut in carcerem diuertere. Ipsiusmet Barbariæ, Turciæ nempe, consuetudinem non improbauerimus. Qui alium in ius vocat, ne lictorem quidem, aut publicum apparitorem adhibet ad vadandum, sed ipse aduersarium adit, & coram testibus ad iudicium vocat. Hic nec verbo refragari audet, sed statim vnà ad Iudicem siue Cadium, totum diem ante ædes sedentem, & paratum eunt. Pridem in Æthiopia etiam in capitalibus causis ab alieno ministerio abstinebatur. Ad damnatum lictor mittebatur præferens mortis signum, quo accepto Reus mortem sibi consciscebat. Mortem

exilio commutare nefas habebatur. Euenit, vt quidam meditaretur fugere, quod præsentiens mater zonâ ad collum filij iectâ ne suis dedecori esset, nequaquàm manibus reniti ausum, strangulauerit. Mitior fuit Caroli Magni Lex, cuius fragmentum in Manuscripto, sub titulo Legis Carolinæ & Pauuillardi Giffou, perdurat his verbis, Nosce, quod nullus nobilis possit authoritate Iudicis in persona sua, nec in equis suis, aut quadrigis, bigisve aurigarum suorum arestari. Debitum equidem viris nobilibus priuilegium. Sed etsi populares minore sint gratia digni, clementiùs tamen ex causa meri æris, tam in modo capturæ, quàm in carcere venirent tractandi. Certè Sereniſſimus Princeps FERDINANDVS carceres sæpiùs quotannis per Ministros suos hactenus iussit visitari, & plures è fisco suo & pecunia, eos præsertim qui per aduersam fortunam, aut insignem calamitatem, & non per bonorum suorum decoctionem creditoribus tenentur, redimi. Magnum Magni Principis exemplum, & opulentioribus subditis imitamentum. In Fœdere anni 1357. 12 Decemb. nuncupato de Varoux, hic articulus inuenitur, Nec arestari, nec in ius vocari potest vir equo vectus. Qui Plebeium æquè ac illustrem respicit. At me reprimo, nec in Æthiopiam euagor, aut Turciam. Quid ante annos quadringentos circa formam incarcerationis ob ciuile debitum Leodij obseruaretur, Philippina, quam suprà concussimus, digito monstrat. Verba sunt. Si quis Ciuium de aliquo debito coram Iustitia fuit conuictus, præcipere debet ei Villicus, vt hoc debitum vel soluat, vel datis fideiussoribus ante Solis occasum caueat: Si neutrum fecerit, turrim

currim Episcopi, aperto eiad hunc effectum ostio, ingrediatur, neque eidem liceat inde egredi, etiamsi pateret ostium, donec debitum soluerit. Illius æui Eburones, Iudicis, Prætorisque mandata, & humanæ pactum fidei non parui feciſſe, vel vnus iste articulus, persuadeat. Nec ab antiquis Germaniæ populis, (à quibus genus maiores duxerunt) ita degeneraſſe: quibus nihil religiosius fide erat: non publicè modo, sed priuatim, etiam inter ludos & iocos. Aleam (quod mirere, inquit Tacitus) sobrij inter seria exercent: tanta lucrandi, perdendive temeritate, vt cum omnia defecerunt, extremo ac nouissimo iactu de libertate, & corpore contendant. Victus voluntariam seruitutem adit: quamuis iunior, quamuis robustior, alligari se, ac vænire patitur. Ea est in re prauâ peruicacia, ipsi fidem vocant. Scytharum gens simplex, & bellicosa, iniurata fidei seruandæ tenacior erat, quàm Græci iurati. Quod Scythici Legati Alexandro Magno in faciem exprobrarunt, Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem iurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & Deos inuocant: nos religionem in ipsa fide nouimus. Qui non reuerentur homines, fallunt Deos. Priscis Romanis fides pro venerabili numine fuit in ciues, socios, hostes; adeo vt Senatum non concilium mortalium, sed ipsummet religiosæ fidei templum censuisses: quorum fidei qui se committebat, periculi omnis erat securus. Cuius ingenij, morisque gnarus Hanno, aliis Pœnis detrectantibus, ne eodem exemplo ijs inijcerentur catenæ, quo Cornelio Asinæ nuper fuerant coniectæ, audacter de pace acturus ad

Romanos tetendit, quam violauerat fidem, integram expertus.

CAPVT VIGESIMVM-SECVNDVM.

Ciuitatem Leodiensem non esse Caput aliorum Patriæ Oppidorum.

ARcadicus Statuæ Isidis Deæ vector veneratio-nem, & cultum obseruantis, prætereuntisve multitudinis, præ solitarum sarcinarum ritu, admiratus, fastum indecenter exhibuit, ratus sibi, non Deæ honorem deferri, donec rector flagro insolentem compescuit. Plebecula Leodiensis ad eum morem morosa videtur. Nam melioris luti, vt & sagacioris prudentiæ, sunt, qui supra plebeculam eminent, vt ita iis queat imponi. Itaque Plebecula, cui non sunt in occipitio oculi, dum spiritualium, & temporalium simul splendorem Leodij præcipuè emicare cernit, Principem ibi præ aliis Oppidis agere, Primarium Capitulum secundam Romam, adiunctis Secundariis Ecclesiis repræsentare, generalia Principis Consistoria ibidem sedem figere, fluxum & refluxum illic esse Prouincialium; secum reputat, quod aliquid supra aliorum Oppidorum plebeculam sit, & suum esse, non Principis, & Legiacæ Ecclesiæ splendorem. Repone exuuias Leonis, & tuas resume; nec temere cum Iole clauam, & arcum Herculis vsurpa? Non amplius es Legia quam Hoium, Dionantum, Tungri, & sororiantia Principatus Oppida. Nec

ætate

ætate quidem primogenita es, sed patris prædiligentis fauore. Tungros, & Traiectum dissimulo, quandoquidem tu, quæ per Episcopatum Hubertinum incœpisti, vtramque vrbem, in qua successiuè Insula Episcopalis præfulsit, & ad te illinc peruenit, natu maiorem fatebere. Diuus Monulphus Tungrorum duodecimus Episcopus, qui Diuo Seruatio post aliquam interregni intercapedinem anno 561 Traiecti succeſſit, Reguli Dionantensis filius fuit; & Dionantum, à Dione, seu Venere & venustate nuncupatum, multò antea erat. Huum, aut Hoyum, ab Hoyulo fluuio dictum, ipsi Diuo Materno Principis Apostolorum Discipulo, primo Tungrensium Præsuli cognitum, & per eum fuit nobilitatum. Qui vt primam cis Alpes Ecclesiam in Deiparæ Immaculatissimæ honorem Tungris ædificauit, ita secundam eidem Virgini Ædem Hui dedicauit.

Centrones Iulio Cæsari in Commentariis de bello Gallico cogniti, Vrbem suam Trudonopolim Leodio contemporaneam, si non antiquiorem meritò asserunt. Diuus Trudo Sancti Lamberti sub Diuo Remaclo condiscipulus in fundo & territorio proprio extruxit, Metensique Ecclesiæ donauit, donaturus potiùs Leodiensi, si Leodium extitisset. Nec imponent Lossenses si Oppidum, castrumque suum vetustius faciant, cum Aper Lossensis Comes Sancti Martyris Lamberti pater ibi regnauerit. Sunt & plura huius Principatus Oppida Leodio vetustiora: sufficit exempla indicasse. Neque Ciuitas cæteris authoritate, & iurisdictione præualet, cum Episcopus vbique verus & plenus sit Dominus & Princeps, vt abundè superiùs apparuit. Si Pomœrium

habet,

habet, vulgò Franciſiæ diſtrictum, in aliis etiam Oppidis viſitur, etſi anguſtius, quia ſunt anguſtiora. Si Conſules & Ciuicum Conſilium, reliquæ Vrbes iis non carent: nec Ciuicus illarum Magiſtratus magis ab iis pendet, quàm illæ inuicem inter ſe. Caput membris ſuis imperat, dum hoc quieſcere, illud moueri, iſta operari iubet. Leodium cum aliis Oppidis eſt eiuſdem capitis & corporis, Principis nempe, & Prouinciæ membrum, cui nulla iuſſio, imperium nullum in reliqua Patriæ Oppida. In ſeſſionibus & comitiis, aliiſque negotiis publicis præ Oppidorum Conſulibus dignior locus Conſulibus Leodienſibus defertur, ſed non ea eſt capitis prærogatiua. Dextera & læua manus, geminæ ſunt ſorores, an quia dextera dextero loco locata eſt, ſe caput ſiniſtræ iactabit? In priuata domo & familia pro ratione ætatis liberi accubant, num ideò ſeniores natu capita ſunt iuniorum fratrum? Parens eſt qui cunctis æqualiter imperat: vt Princeps in ſua Prouincia ſingulis æquo iure Vrbibus. Percurre Fœdera & Pacta, per Ciuitatem, & Vrbes Patriæ inita, aut cum ijs percuſſa, reperies illas ęquè principaliter nominari, & cõtrahere, ac Ciuitatem ipſam, nullo niſi prænominationis & ordinis diſcrimine. Nobilem & amplam Vrbem, ac pluribus per Pontifices & Cæſares gratiis decoratam Hynsbergicus Princeps in ſua Ordinatione 1424. 16 Iulij confitetur, & nonnunquàm forte in hiſtoriis legitur eſſe Vrbs Capitalis Principatus, non tamen aliarum eſt Vrbium caput. Nobilitas, & amplitudo differt ab authoritate, & iuriſdictione. Eques equite nobilior eſt, ſed non idcirco nobilior eſt caput ignobilioris. Sit etiam

Prin-

Princeps qui Legiam capitalem suam Vrbem dixerit, non ideo ea Vrbium caput. Scio quandoque id dictum, Engelbertus de Marka in Nundinarum Leodiensium institutione 1350. 24 Martij propensionem & animi impulsum expromens, inquit, Desyderantes Ciuitatem Nostram Leodiensem, quæ est nostri Principatus caput, ditare & adaugere, vnas generales nundinas annuas in eadem Nostra Ciuitate in loco dicto Granioulle ad ripam fluminis Mosæ constituimus. Capitalem vocauit, quia in illa Princeps illius, & reliquarum Vrbium caput, Cathedram tenet. An quia Rex vni præ alijs equo insidet, qui vehit Regem equus est aliorum caput equorum? Bucephalum Alexander non eodem quo cæteras pecudes animo æstimabat: namque ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium, & Regem cum vellet ascendere sponte genua submittens excipiebat, credebaturque sentire quem veheret. Hinc velut parentaturus mortuo Bucephaliam vrbem condidit. Iulius Cæsar Alexandri æmulator vtebatur equo insigni pedibus propè humanis, & in modum digitorum vngulis fissis, quem sessoris alterius non patientem primus ascendit; cuius etiam instar pro æde Veneris dedicauit. Augustus, & Adrianus nobilissimos etiam equos habuerunt, quibus mortuis sumptuosos tumulos statuerunt: & post eos degener Commodus egregium Prasinum nomine, quem in Vaticano splendidè inhumauit. Sepulchra equina non tam mirabitur, qui boum apud Memphim in Ægypto conditoria legit. Tempore Ptolemæi Lagi alumnus bouis Apis, vltra permagnam quam in eius sumptum pecuniam sumpserat, insuper

quinquaginta argenti talenta à Ptolomæo Rege sumpta in eius sepulturam impendit. Et Diodori Siculi ætate (vt ipsemet Libro Secundo Bibliothecæ Historicæ enarrat) fuerunt, qui in Apis emortualis sepulchrum haut minus centum talentis contulere. Num ideò præscriptorum equorum vllus aliis equis præfuit? Cur magis quàm Cyllarus Castoris, Pegasus Persei, Pyroïs, Eoüs, Æthon, & Phlegon Solis equi? Atqui sessores suos iumenta agnoscunt, & morte sua plerumque heris vitam seruant; vt equi innumeri, & Pori elephantus. Et Capitalis (vt prętendunt) Vrbis Incolæ Principem suum nosse dissimulant, ei refragantur & obtrectant. Apes ex tauro terræ infosso generantur: in oppositum crabrones ex equo; Pressus humo bellator equus crabronis origo est. Sic quamdiu humilis & abiecta plebs teritamentis suis honestiores ciues premet; seditiones, rapinæ, homicidia compitatim erunt: vbi lege reprimetur, reduci poterit serenus benè ordinatæ Reipublicæ status. Quod si quandoque Historicus quispiam Legiam Capitalem Vrbem vocat, Primariam & Capitalem confundit. Primaria est, quia Principes primariam faciunt, tanquam sedem Cathedralem Episcopatus, & magis frequentatam, & inhabitatione sua sępiùs reliquis honoratam. Etsi tectis Leodiensibus, aut murorum, Suburbiorumve ambitu, Principum curia non claudatur, quibus liberum est alias Vrbes, aut arces suæ Prouinciæ in habitationem deligere, synodos ibi celebrare, Trium Patriæ Statuum Comitia pro libitu indicere & habere, illùc Tribunalia Ecclesiastica, & Sęcularia transferre, & figere. Cuius rei numerosa possunt proferri exem-

exempla. Roma enim esse dicitur, vbi Papa est. Vt sapienter Pompeianas secutus partes Lentulus ad earundem partium Senatum

—— Non qua tellure coâcti,
Quamque procul tectis captæ sedeamus ab Vrbis
Cernite, sed vestræ faciem cognoscite turbæ,
Cunctaque iussuri primum hoc decernite Patres,
Quod regnis populisque liquet, nos esse Senatum.
—— Tarpeia sede peruſta
Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo
Illic Roma fuit, non vnquam perdidit ordo
Mutato sua iura solo.

Quod in transenna significare lubuit in detestationem impudentissimæ temeritatis factiosorum aliquot nebulonum, eò furoris prolapsorũ, vt indicta à biennio circiter per Sereniſſimum Principem in Oppido suo Hoyensi trium Ordinum Comitia perfidis recessibus, seu famosis potiùs scriptis fuerint insectati.

Si Leodium esset caput, haberet in Oppida imperium; iuxta illud Seueri Imperatoris ad exercitum suum prę-maturè Bassiano filio parere volentem, Sentitis caput imperare, non pedes, Longè absunt ab imperandi & iubendi iure, qui ne quidem vnà queunt conuenire absque Principis consensu & authoritate. Extat Henrici Romanorum Regis in hanc rem 13 Kal. Februarij 1231 datum Wormatiæ rescriptum secundo Prę-sulatus anno Ioannis de Apia Episcopi, inscriptum, Fidelibus suis vniuersis Ciuibus Leodiensibus, cæterisque Burgensibus ad Episcopatum Leodiensem pertinentibus. Vni-

uersitati vestræ (inquit) notum facimus, quod nos dilectum Principem, & consanguineum nostrum Ioannem venerabilem Leodiensem Episcopum in nostra gratia sic duximus colligendum, quod in omni iure suo ipsum volumus confouere. Verùm cum per Principum nostrorum sententiam sit definitum, quod nulla Ciuitas, nullum Oppidum in Regno nostro constitutum absque Domini sui assensu facere possit communiones, constitutiones, confæderationes, colligationes, seu coniurationes aliquas, quocunque nomine censeantur, fidelitati vestræ firmiter prȩcipiendo mandamus, quatenus ab omnibus communionibus, confæderationibus, colligationibus, seu coniurationibus quibuscunq; nominibus censeantur, quas inter vos illicitè feciſtis, recedentes, dictum Dominum vestrum Leodiensem Episcopum in omni eo iure & dominio, in quo prȩdecessores sui fuerunt, esse plenariè permittatis. Si Ciuitas Oppidorum caput esset, Capitis cum membris permitteretur in commune bonum confæderatio: quia simul membra sunt subditorum, societas, & mutua liga inuito Principe interdicitur. Absque cuius authoritate nulla Collegia licita sunt, & collegiorum congregationes conuenticula sunt, non cætus. Martianum in titulo de Collegiis illicitis audi respondentem, Mandatis principalibus præcipitur Prȩsidibus Prouinciarum ne patiantur esse collegia & sodalitia. Religionis tantùm causa coire non prohibentur. In summa autem nisi ex Senatusconsulti authoritate, vel Cȩsaris, collegium vel tale quodcunque corpus coierit, contra Senatusconsulta, & mandata, & constitutiones collegiũ celebratur.

Strepit,

Strepit, fremitq; hoc loco Plebicola, iniquam Leodiensis Vrbis cum cęteris institui comparationem, & plus nimio imminui eius prærogatiuam, quandoquidem à sententiis Consiliorum Ciuicorum aliarum vrbium concessa receptaque sit ad Consilium Ciuicum Leodiense apellatio: cuius hęc sit natura, vt interponatur ad superiorem Iudicis qui sententiam pronuntiauit. Qua audacia affirmat, maiore constantia pernego. Nunquàm apellationem huiusmodi permissam, nec iure vllo, legitimave consuetudine receptam. Adi & consule fastos Vrbium Huensis, Dionantensis, Couinensis, Fossensis, Tudinensis, Lossensis, Tungrensis, Trudonopolis, ne vestigium quidem talis apellationis illìc reperies. Nec dissimile aliorum Oppidorum sit iudicium. Non tamen inficior vidisse me bina talis qualis prouocationis exempla, vnum Visetensis Vrbis, alterum, ni me fallit memoria, Eykensis. Cur tam variè, cum par & idem sit ius vniuersarum? Suspicor propter Iurisconsultorum, & peritorum inopiam aliquos Ciuicos Magistratus in conciuium suorum controuersiis nonnunquam consuluisse & interrogasse Magistratum Ciuicum Leodiensem, & ex eius suffragio (vt ex Iurisperitorum sponte consultorum consilio plerique Iudices faciunt) ius partibus dixisse. Hinc Leodiensem Magistratum propagandæ iurisdictionis studiosissimum pro gleba aruum apprehendisse, & spontaneos exquirendi consilij aditus, in iudicium conuertere voluisse: ignaro, ac multò magis inconsulto Principe. Quod facile factu fuit inter intestinarum discordiarum nimis frequentium flammas, subditis pro libidine cuncta gerentibus.

Ex quibus interim paucis actubus, ijsque clam, & iuscio Domino fabricatis neque præscriptio, neque consuetudo (quæ corruptela dicitur, nisi sit rationabilis & legitimè præscripta) potuit introduci. Adijce, solum apellandi ad aliquod tribunal morem non euincere superioritatem, authoritatemque extra apellationis casum: iuxta tritam Pragmaticorum vocem, Quantum possessum, tantum præscriptum, non vltra. Exemplo res limpidior reddetur. Sic ab Officiali Leodiensi, Iudice non Ecclesiasticarum tantùm, sed ciuilium & prophanarum causarum ordinario, ab immemoriali tempore ad Officialem Colonienſem Metropoliticum apellatur, eaque consuetudo, etsi præter, imò contra ius extra causas merè Eclesiasticas, valet & sustinetur: at cauebis inde inferre quod Colonia sit caput Legiæ, aut Officialis Colonienſis excepto apellationis casu, caput Leodini. Ita ad Supremum Mechlinienſe Prætorium ex Regia institutione, & iussione ab omnibus Consiliis Prouincialibus Maiestatis Catholicæ prouocatur; neque ideo Mechlinia est caput Hannoniæ, Artheſiæ, Luxemburgi, Namurci, aliarumve Vrbium, aut Prouinciarum. Belgicæ Prouinciæ Regi vni subsunt, nec quia Rex, aut Prorex in Brabantia, & Bruxellis sedem vt plurimum figit, Vrbs Bruxellensis est caput cęterarum. A similitudine non incongrua hìc ęstimandum. Vt Belgicæ suos olim separatìm Duces, Comites & Dominos coluerunt, & tandem, vt plures lineæ ex circumferentia in vnum centrum desinentes, in vnum coäluerunt Principem: ita territoria & vrbes Leodiensis Principatus, quæ à pluribus seorsìm possidebantur, sęculorum progressu venerunt

runt in vnius Episcopi manum. Tolerabilior fuit Niobes fastus fœcunditate partus superbientis, & Latonam ipsam spernentis, inflatione sterilium aliena velut sua prędicantium. Iuuat concito cursu per spacia Eburonicæ ditionis excurrere, & aliquam partem metatorio modo designare. De Tungris primæua Episcopatus à Diuo Materno Apostolorum Principis discipulo Cathedra, quî ad Leodiensem Antistitem peruenerit, non immoror inquirere: cum translatione sedis approbante Pontifice transiuit quicquid tunc principalis iuris Episcopo competebat: quod Cæsari reseruatum erat, Cæsarea deinceps donationé accessit; vt ex Diplomatibus, quorum crebra hoc opere fit mentio, elucet. Traiecti ad Mosam Porus Louanij Comes ope Sancti Seruatij morbo polypo sanatus partem dimidiam donasse scribitur: & vt omnis dominatio est consortis impatiens, sub Hugone de Cabilione septuagesimo secundo Episcopo anno 1296 in arbitros fuisse compromissum, & pro Duce Brabantiæ largiùs ab ijs pronuntiatum Ioannes Hocsemius scriptor, Canonicus Leodiensis licenter annotauit. De Centronibus proximè dixi. Lossensem Comitatum, vrbem & arcem, Arnulphus Comes de Los ægritudine extrema decumbens circa annum milleſimum decimum Baldrico Episco, eum in finem humiliter vocato transcripsit. Aufridus Comes Hoiensis anno 985 Hoiensem Comitatum Notgero cessit, & eodem anno Otto Imperator cessionem ratam faciens addidit, Quicquid Cameræ nostræ prouenire poterat ex Comitatu iam dicto Ecclesiæ supradictæ Leodiēsi, vel iuri Episcopi concedimus. Iam à trecentis & amplius annis,

annis, nempe anno 627 aut eò circa, Sanctus Ioannes Agnus, à manſuetudine ſic dictus, decimus ſextus Epiſcopus, ab aratro, vir aliàs nobilis nouus Curius ad illam dignitatem diuinitùs euocatus, villam de Tyhange, Latinè Tyhonium iuxta Hoienſis Oppidi mœnia ſuæ Eccleſiæ donarat, præter decimas Capellæ Caſtrenſi Huenſi, vbi ſepultus eſt, aſſignatas. A Sancto Monulpho duodecimo Epiſcopo Dionantenſis Reguli filio Dionantum proceſſiſſe comperitur. Nec incompertum eſt Marchionatum Franchimontenſem Regum Romanorum liberalitati deberi. Et Diplomate Ludouici II. Imperatoris dato Aquiſgrani 15 Kalend. Februar. 908. confirmatorio donationis Arnulphi Regis tempore Stephani decimi Leodienſium Epiſcopi Comitis Saluienſis filij, probatur quod villa de Tectis cum iuribus inibi fiſcalibus tunc & in antea pertinebat ad Leodicenſem Eccleſiam: & habeo pro probabili quod totus etiam diſtrictus, ſeu Franchimontum, alio tunc nomine Foreſta erat Eccleſiæ, ſed medio tempore interueniſſe vſurpationes potentiorum, quas poſtea Carolus Secundus Imperator retuderit: & eapropter Placentius ait Stephanum Epiſcopum recepiſſe Franchimontum, alitèr Foreſtam à Carolo Secundo. Extat Caroli ſub anno 923 reſcriptum his verbis — Aignierus Marchio ſtrenuus, pariter Robertus noſtræ Serenitatis executor fideliſſimus, noſtram adierunt Excellentiam poſcentes prorsùs vti interuentu Stephani venerabilis Tungrorum Epiſcopi noſtri affinis dilectiſſimi, partibus Sanctæ Dei genitricis Mariæ, Almique Martyris Lamberti in proprium traderemus Foreſtem, quæ olim pertinuerat ad

Tectis

Tectis villam, quam dato fisco Zuendipolchus retinuerat ad manum Regiam, quamque constat in pago Luuiensi atque in Comitatu Sichardi sitam — Horum itaque petitioni gratanter assensum præbentes, delegauimus ipsam Forestem prælibatis partibus iure perpetuo in proprium tenendam, & totam vndecunque ad integrum, velut dudum semper in Regum manibus constiterat, firmauimus omni tempore possidendam; in tantum vt neque à quoquam venatio vllatenùs fiat per vllum nisi Prælati illius Ecclesiæ licentiam omnino habuerit indeptam. Si quis ita temerario ausu in ea venari præsumpserit sic bannum Regium inde componat, quomodo antea componebatur, dum Regum in manibus steterat. — Obertus Episcopus anno 1096 Bullonium situ loci munitissimum in finibus Franciæ, & Lotharingiæ positũ ab Heroë Godefrido ad expeditionem Hyerosolimitanam accincto coëmit mille trecentis argenti purissimi marcis, & tribus auri. Quàm summam vt corraderet, ex maiori Ecclesia, inquit Historicus, & omnibus Episcopatus Ecclesiis aurum, gemmas, & cætera, quæ decoro ambitu altaria, pulpita, & textus Ecclesiarum venustabant, detraxit. Subiungens quod eo precio obuiauerit assiduis latronum & prædonum grassationibus & deprædationibus. Eodem anno 18. Kalend. Iulij Couinum acquisiuit, vt propriis literis fatetur hac forma, Emi à Comite Balduino de Mont Castellum de Couino cum omnibus ad illud pertinentibus in Ecclesiis, mancipiis, villis, campis, siluis, pascuis, pratis, aquis, aquarum decursibus, cultis, incultis, reditibus. — Dedi marcas 500; quod eo libentius fecit, quia animo

conceperat cum aliis deuotis Christianis Hyerosolimam proficisci. Idem Obertus emit Castellum Clarimontis. Anno 1204. sub Hugone de Petra Ponte Comes Albertus allodium suum de Muha & de Waleue cum familia & omnibus appendiciis, Ecclesiæ Leodiensi contulit liberè & absolutè. In remunerationem tamen iuxta mutuum pactum Episcopus grandem pecuniarum summam (sunt qui de quinquaginta marcarum millibus loquantur) rependit. Anno 1040 Henricus Tertius Imperator deferens precibus Nithardi Episcopi (qui materno genere fuit Bauarus, & Reginaldi ex sorore nepos) Hasbaniam, pridem Haspinga dictam, eidem Ecclesiæ erogauit, his verbis, Comitatum Arnoldi Comitis nomine Haspinga in pago Hispangou situm cum tali iure, talique districtu, quale parens noster Conrardus Imperator, aut nos hactenus in illo visi sumus habere, in *Moneta vel Telonio*, imo cum omni vtilitate, quæ scribi, aut excogitari potest prędictæ Leodiensi Ecclesiæ in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ac preciosissimi Martyris Lamberti qui ibidem corporaliter requiescit constructæ, ea lege in proprium concedimus, vt hanc proprietatem quam hactenus in illo habuimus, Episcopus Nithardus, suique successores ab hinc potestatiuè habeant. Ita de singulis Oppidis reperiet impiger indagator, & quisquis in quęrendo operæ & labori non parcet. His præiui exemplis, quæ regulam non restringunt, sed explicant. Scrutetur alius an Fossense Oppidum à Beato Pholliano, qui dono & sumptu Sanctæ Gertrudis Pipini filiæ Fossense collegium fundauit, an Belysiense à Landrada virgine Nobili quæ in suo patrimonio

monio cœnobium virginale tempore Sancti Lamberti construxit, insigni munificentia prouenerint: quando Tuinum, seu Tudinienſe Oppidum, & quomodo Eccleſiæ acceſſerit, & an Goropij Becani coniectura veridica ſit, qui Tuinum à vernacula dictione, *Tüer*, occiſionem ſignificante, vult apellari, quod eo credat conditum loco quo Neruiorum copiæ penè ad internecionem fuerunt à Iulio Cęſare exciſæ. Foràs foràs lumbrice qui ſub terra erepſiſti modo? Viden' nunc reliquas vrbes, non minùs quàm Leodium eſſe de iuribus & bonis Eccleſiæ Leodienſis, Leodiumque proinde non eſſe niſi vnius corporis membrum, nequaquàm verò caput. Saltem ſi ventrem, ob loci ſitum, itemque habitantium multitudinem; aut manum, ab arma ferentium manu dixiſſes, aurem non offenderes: Vel etiam oculum; quo nomine doctæ Athenæ, & frugalis Sparta præ alijs Gręciæ Ciuitatibus decoratæ ſunt: & Alcibade, Cononeque Atticis Ducibus ſucceſſiuè debellatis, cum multi Athenienſium nomen delendum, vrbemque incendio conſumendam cenſerent, ipſimet hoſtes Spartani obſtitere, negaruntque ſe ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos.

CAPVT VIGESIMVM-TERTIVM.

De Telonio & Moneta.

NEmo si ingratus est, non miser est: Ingrati itaque esse vitemus non aliena causa, sed nostra. Gratissimus non vt alius nobis libentius pręstet, priori irritatus exemplo, sed vt rem pulcherrimam ac iucundissimam faciamus. Senecæ est pręceptum. Verear ingratitudinis notam contrahere si plurium Cęsarum dona Ecclesiæ Leodiensi collata tam siccè pertranseam, & illorum iniurius memoriæ, nisi memor meminerim. Hoc, & priore Libro non pauca pro materiæ occursu delibaui; gemino, aut cumulo officium. Carolus Secundus, idemque Caluus dictus, (qui Batauiam seu Hollandiam primus dignitate Comitatus decorauit Theodorico Comite creato, & Balduinum ex Custode Flandriæ Comitem instituit) suo diplomate dato in Meantis Ciuitate 6 Kal. Iulij 884 commemorat, Ad petitionem Rinchardæ Imperatricis suæ coniugis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Sanctique Lamberti Tungrensi vel Leodiensi, cui tunc præërat Franco Episcopus, concessisse in pago Scarponnensi Villam quæ dicebatur Magdera cum ędificiis, Ecclesiis, terris, agris, vineis, campis, pascuis, siluis, aquis & mancipiis vtriusque sexus, ea lege vt nullus eiusdem Ecclesię Episcopus, deinceps beneficiandi eas res habeat licentiam. Mancipia insuper illa (sunt verba Diplomatis) quę Tungris, ac Leodij residere & manere noscun-

noſcuntur, de quocunque noſtro fiſco ſint, aut ex dominicato, aut ex beneficiato, vniuerſa eidem Eccleſiæ perpetuò habenda atque tenenda, ſicut alia ſupraſcripta concedentes, adijcimus, & confirmamus. Fiſcum ex Dominicato hìc intelligo, res proprio iure & immediatè ad Cæſarem vti Dominum ſpectantes: Ex Beneficiato autem, quæ iure ſubinfeudationis per vaſallos Cęſari debebantur. Feudum enim ex parte concedentis eſt beneficium, & vaſalli Feudatarij dicuntur beneficiarij. Otto Secundus 8 Idus Ianuarij 981 in Gruona, reſcripta Prædeceſſorum Cęſarum Caroli Magni, Ludouici, & Caroli Secundi per Ottonem Primum parentem ſuum confirmata, vt vniuerſæ poſſeſſiones Eccleſiæ Sanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, & Sancti Lamberti, & quęcunque loca cum omnibus rebus, & hominibus ad ea pertinentibus, *omni publica poteſtate excluſa* in manu Epiſcopi ſingulariter conſiſtant ſupplicante Notgero Leodienſium Epiſcopo rata facit, & firma. Otto Tertius Nonis Iunij 985 in Gilenhoim anno regni ſui ſecundo ad eiuſdem Notgeri requiſitionem, non ſolùm confirmat redditionem Comitatus Hoyenſis ad manus Epiſcopi per Aufridum Comitem factam, ſed Imperialia iura quæ ibi reſeruata habebat adijcit: his verbis, nam digna cenſeo quæ ex parte ſaltem ſubijciam, Quia adijt Celſitudinem noſtram Venerabilis & Fidelitatis noſtræ in omnibus executor Notgerus Tungrenſium vel Leodienſium Epiſcopus, vt ei, & ſucceſſoribus ſuis Sanctæ Mariæ, Sanctoque Lamberto deſeruituris Comitatum Hoyenſem, qui in noſtra ditione hactenus erat, quemque Aufridus Comes illuſtris vir, qui illum ad præſens

tenebat, pro Dei honore, & prædictorum Sanctorũ veneratione, ipsiusq; Episcopi amore reddiderat, perpetuò habendum concederemus: & quia quod reliquum erat regiæ ditionis in *Moneta scilicet & Telonio*, reliquisq; reditibus munificentia Regum, vel Imperatorum prædecessorum nostrorũ Ecclesię Sanctæ Mariæ Leodio, vel Hoyo positæ iam cesserat, & dilectissima mater nostra Theophania Imperatrix fieri petebat, ratum duximus eius subseruire petitioni: super hæc, quęcunque ab antecessoribus nostris Ecclesię Sanctæ Mariæ, Sanctique Lamberti concessa sunt, concedimus eidem Venerabili Notgero Episcopo, & per eum omnibus eius successoribus quod reliquum Hoyensis Comitatus in nostra ditione superfuerat infra eundem vicum, vel extra. Itaque pro animæ nostræ, vel antecessorum nostrorum remedio, vel Dei seruitio meliùs & fideliùs explendo, quicquid Cameræ nostrę prouenire poterat ex Comitatu iam dicto Ecclesię supradictæ Episcopo cedendum permittimus. Diuus Henricus Imperator eo nomine Secundus (quidam primum faciunt, Henricum Aucupem omittentes) 4. Idus Iunij anno Domini millesimo sexto in Etterem, pręmemorato rursus Notgero instante (quem secundum Ciuitatis Leodinæ Conditorem iure meritissimo vocamus) in hanc rescripsit sententiam, Quia vir Venerabilis Notgerus Tungrensis seu Leodiensis Episcopus quoddam pręceptum obtulit quod erat secundi Ottonis Imperatoris consanguinei nostri, in quo dicebatur quod non solum ipse, & pater suus, sed antecessores eorum eidem Ecclesię Sanctæ Mariæ & Sancti Lamberti per authoritatis suæ pręcepta contulerant,

ſerant, vt & ipſa: & ſuæ appendiciæ, quę ſunt (enumerat inter alia, Dionantum, Tungros, Hoyum, Traiectum, Foſſas, Ceumacum) vel in cęteris locis, cum omnibus rebus vel hominibus ad ſe pertinentibus liberè conſiſterent, & ab omni inquietudine iudiciariæ poteſtatis defenſæ & ſecuræ manerent. Cuius petitioni aurem libenter accomodauimus, & decreuimus vt ipſi Prędicti Preſuli, ſucceſſoribus ſuis, & nunc, & ſemper liceat res prędictæ Eccleſiæ, & illi ſubditarum ſub tuitionis atque immunitatis noſtrę defenſione, remota totius iudiciarię poteſtatis inquietudine, quietas poſſidere, & noſtro Imperio parere, & quicquid de prędictis rebus Eccleſiarum, *ius fiſci exigere poterat* prędictæ Eccleſię eſſet, vt deinceps ad peragendum Dei ſeruitium, augmentum & ſupplementum fiat. Henricus Quartus literis ſuis Aquiſgrani ſeptimo Kalendas Iulij 1070 expeditis, idem quod Henricus Secundus roborat, addens quoad Dionantum quod ſequitur, Illud verò Caſtrum quod eſt in Dionant, concedimus iudiciario iure, & legali deliberatione conſtruere, vel potius reconſtruere, eo quod fuerit antiquitùs conſtructum ad Regni negotium, prędictum cum ſit huius rei indicium & pars muri, & trium ſolidorum cenſus. Concedimus & ibidem *Monetam*, *Teloneum*, *Mercatum* vt hęc liberè teneat Epiſcopus. Rectè reędificandum dixit Caſtrum Dionantenſe, quod iam de tempore Sancti Monulphi celebre erat, & è cuius liberalitate ad Leodienſem Eccleſiam cum ſedis Cathedralis tranſlatione peruenit. Ioannes Molanus in ſuo Indiculo Sanctorum Belgii in litera S, ſic inquit. Monulphus prędiorum ſuorum, inter quę eſt Caſtrum Dionantum

nantum Beatum Seruatium scripsit heredem, in cuius medio Ecclesiæ omnibus dignè peractis sepultus est, sicut hodie videtur. Scribebat anno 1573. Cum Cathedra per Sanctum Hubertum authoritate Apostolica Leodium Tungris, aut Traiecto transiit (non definio enim intricatam & exagitatam quęstionem, an verè aliquando Sedes Episcopalis Traiectum sit delata, an solùm residentia Episcoporum ad tempus eò immigrauerit) quę Cathedræ, & Episcopalis Tiaræ erant, Leodium vnà transierunt. Quemadmodum antea, si Ægidio aureæ Vallis credimus, anno scilicet 549 Sanctus Domitianus dicitur obtinuisse in Synodo Aurelianensi facultatem transferendi in Oppidum Traiectense ad Mosam bona Ecclesię Tungrensis. Quod si ita esset, consequeretur sedem Tungris reuerà fuisse in Vrbem Traiectensem translatam. Sed vt idem cibus non similiter sapit omnium palato; nec oculus, alioquin auro index certior, de Iridis coloribus eodem semper modo iudicat: Prescripta Ottonum, & Henricorum Diplomata aliorsùm trahunt aduersarij, conantes inferre, cum in illis recenseantur plura Principatus Oppida, & Episcopalia bona velut Imperium recognoscentia, Ciuitas autem Leodiensis ibidem non exprimatur, huius quàm aliorum Oppidorum & locorum diuersam videri rationem. Qui amant ipsi sibi somnia fingunt: omnibus historiis se malus aptat amor. Quos strictìm hoc vno ictu perstrictos velim, Talia esse subiecta, qualia sunt prędicata, & leges ipsas interpretationem trahere ex terminorum habilitate. Peculiarem Vrbis Leodiensis in ijs literis mentionem fieri non oportuit. Vbi de bonis

Ecclesiæ.

Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, Sanctique Lamberti collatis, & collatorum confirmatione agebatur. Dos namque prima huius Ecclesiæ, & Cathedrę fuit ipsa Ciuitas, quam Sanctus Hubertus condidit propter Ecclesiam in Deiparæ, & Diui Lamberti honorem. Accessiones & incrementa primæuæ dotis fuere, alia dominia, oppida & loca, pro quibus confirmandis Episcopi supplices fuere Cæsaribus. Eapropter Otto Secundus Ecclesiam Leodiensem vocat Matrem, respectu Ecclesiarum Tungrensis, Hoyensis, Fossensis, & Lobiensis, quas dicit esse capitales, id est præcipuas possessiones earum quæ fuerant Matri Ecclesiæ collatæ; non capitales respectu Matris, quæ ideò mater erat, quia ante istarum superuenientium acquisitionem, Ciuitas fuerat per conditorem assignata & tradita in dotem, & sedem Episcopalis dignitatis. Nihilominùs Otto Tertius gratias & confirmationes prædecessorum Imperatorum explicatiùs ad ipsammet Ecclesiam Leodiensem, quæ Leodiensis dicta fuit à Leodio in dotem & sedem assignato, refert, dum Leodiensem principe & primario loco nominat, & Traiectum, Hoyum, & Dionantum Secundariò, & recentiùs quæsita recenset. Tungrorum & Traiecti antiquitas Maternitatem non lædit Ecclesiæ Leodiensis, quę erecta in Cathedralem, illis in collegiatas demissis, vera fuit effecta mater, duobus illis Oppidis posteriùs etiam eidem submissis. Diuus Henricus Secundus (quem Augusta Familia Bauarica iure iactat suum) districtiùs, dum vtitur his verbis, Ottonem Imperatorem, & Antecessores eidem Ecclesię Sanctæ Mariæ, & Sancti Lamberti præcepta contulisse, vt & ipsa, & suæ appendiciæ

(pro appendicibus alia Oppida, & loca dinumerat) cum omnibus rebus & hominibus ad se pertinentibus liberè per se consisterent. Principaliter ergò, & primò gratiæ eæ Cęsareæ Leodium tanquàm originariam Ecclesię dotem considerarunt, & alia aduentitia Oppida posteriùs & per interuallum acquisita, quæ sub appendiciis, seu appendicibus continentur, per modum accessoriorum & appendicum. Henricus Quartus prædecessorum vestigia eodem verborum passu legit, Ecclesiam Leodiensem principaliter denominans, & aliorum Oppidorum Ecclesias, appendicias, seu appendices illius apellat. Hoc ipso quod de appendicibus idem expressìm statuitur, de eo cuius appendices dicuntur intellectum fortiùs venit. Quandoquidem accessoria sequantur suum principale, & parem cum eo conditionem sortiantur. Antememorata Caroli Secundi donatio fiscalium quorumcunque iurium, Dominicalium, & subinfeudatorum Leodij, & Tungris ipsi vt Cæsari restantium (cuius Cæsaris Caroli Secundi, non minùs quàm Caroli Primi seu Magni, tam Ottonis Secundi, quàm amborum Henricorum Literæ meminerunt) lineam hùc ducit perpendicularem. Quicquid in Vrbe Leodiensi supererat Imperialis fisci, & vtriusque sexus mancipia, Franconi Episcopo, & in Præsulatu successoribus in perpetuum concessit. Si Cæsar Leodii fiscum adhuc habebat, Leodium iuris erat Imperialis, cum extra Imperium nullus sit fiscus Cæsareus. Fiscus enim est de patrimonio Principis vt Principis, & Regiæ, aut Imperiali eius coronæ competit. Vt radij à Sole, fluuij à mari, ab eo fluunt confiscationum iura. De quo illud est Plinij in suo Traiano, Magna

Prin-

Principis gloria est si sæpe vincatur fiscus, cuius mala causa nunquàm est nisi sub bono Principe. Per quorum iurium fiscalium cessionem Cæsares Episcopum Leodiensem magna ædepol potestate Leodij instruxerunt, non minore quàm in alijs eiusdem Principatus Oppidis. Et inde aliqui in oppositam prorsùs partem occasionem sumpsere asserēdi, quod Ciuitas ab Imperio esset exempta, & Principi suo duntaxat subiecta. Parùm prudenter, parùmque fideliter: ex quo per quantumcunque generalem iurium iurisdictionalium, Fiscalium, aut Regalium donationem Dominis immediatis à Cęsaribus factam, directum Dominium, supremumque Imperij ius non censeatur ab Imperio abdicatum. Sed iurisdictio cumulatiuè, non priuatiuè, vt Iureconsulti loquuntur, attributa. Hinc Ottones, & Henrici singulari fauore prædecessorum Pręcepta, vt vocant, insecuti, declarando quod vniuersæ possessiones Ecclesiæ Leodiensis cum omnibus rebus, & hominibus in manu Episcopi singulariter consistant, *omni publica potestate exclusa*, Imperialem inde potestatem non excludunt, absit captiosa interpretatio, sed quamlibet aliam externam. Patrocinante ad id vulgato axiomate, Sub generali oratione, & sermone non comprehendi personam loquentis. Autumo insuper hanc publicæ potestatis exclusionem admodum conferre ad fastigium & culmen authoritatis Episcopi & Principis, quòd ex absoluta potestate, & alto suo dominio, de quo antehac differuimus, citra vllam iudicij telam possit Princeps grauiora corrigere delicta. At altiùs infigendū memoriæ censeo quod Otto Tertius de Comitatu Hoiensi, & Henricus

Quartus de Dionanto tradunt; ille quidem, quod reliquum erat in Hoiensi territorio Regię ditionis in *Moneta*, *Telonio*, & reliquis reditibus cedendo, aut cessum ratum habendo; hic autem, concedens Episcopo, vt Dionanti *Monetam*, *Telonium & Mercatum* liberè teneat. De Mercatu seu Nundinis nil dico, quia nemo refragatur; de Telonio pauculùm, & de Moneta liberaliùs effabor. En à quot sęculis vtrobique Hui, & Dionanti Princeps Leodiensis habuit ius Telonij? Quemadmodum & adeptum fuisse Traiecti docet Ludouici II. Imperatoris rescriptum datum Aquisgrani 908. 15 Kal. Februar. vbi antecedentes donationes confirmans his vtitur verbis, Insuper *Teloneum ac Monetam de Traiecto* nostra donatione cum consensu Albuini eo tempore illius Comitis, concessa. Et in Hasbania (antiquitùs Haspinga) alterum Henrici III. Imperatoris 1040. Diploma, Comitatum Arnoldi Comitis nomine Haspinga cum tali iure quale parens noster, aut nos in illo visi sumus habere *in Moneta vel Teloneo* concessimus. Diuus FERDINANDVS Secundus nuper Sereniſſimo FERDINANDO Leodiensium Principi facultatem insuper peculiarem dederat huiusce vectigalis. Interim dum ante aliquot annos in arcium & præsidiariorum militum intertentionem, aliasque publicas Patriæ necessitates de eo, ni promptius aptiusve medium suggereretur, imponendo apud Leodienses actum fuit, curæ Sereniſſimi Principis in irritum cessere, cuneo Mercatorum, qui & probi ciues haberi volunt vndecunque reclamante. Facessat nominis boni ciuis vsurpatio, penès quos priuatum lucrum publicam vincit causam: qui tantum & non amplius

ampliùs de publicis malis sentiunt, quantum ad priuatas res pertinet. Aurea Cassiodori sententia non est pro æuo pluſquàm ferreo, Mihi propria cura dilapsa est, postquàm generalem cepi cogitare custodiam: opto meis bene, sed quod possit esse commune. Sed lubet fucum & fumum facere contumaciæ, ex diuini Platonis sententia, qui quarto & trigesimo Libro de Legibus, tollit penitus è Republica importandarum, exportandarumque rerum vectigal. Radius Solis has tenebras dispellet. Plato vectigal à vehendo, & euehendo dictum, quod Græci eodem significatu Telon (vnde Telonium) vocant, à sua Republica excluſit: sed vbi est Platonis Respublica? Vbi Stoicorum Sapiens, & Ciceronis orator. Nusquam gentium. Neque miror sic idæam suam composuisse Platonem, & arcuisse vectigal ab eo politico imaginario regimine, vnde Mercatores, & commercia proscribebat. Omnia (inquit) peregrina nisi necessaria sint, nemo adducat, nec rursus aliquid quod regioni necessarium sit exportet. Arma tantùm & instrumenta bellica, quęque ad bellum conferunt, si aduectione est opus, conuehantur. Notissimum Romanis Legibus, & moribus id vectigalis genus, quod in portubus, aut portis Oppidorum, portorium, & portarium ideo nuncupatum, pontium transitu, aut viarum transgressu certis erat locis institutum. Lex est Valentis, Valentiniani, & Gratiani ad Archelaum Comitem Orientis in Iustinianæo Codice, Ex præstatione vectigalium nullius omnino nomine quicquam minuatur, quin octauas more solito constitutas omne hominum genus, quod commerciis voluerit interesse, de-

pendat. Octaua ergò pars mercium pro portorio soluebatur, vnde illius exactores appellati octauarij, & octonarij. Cicero tamen in Verrem scribit de vicesima portus Syracusani, & Quintilianus, Symmachusque de quadragesima. Opinandum est pro locis, aut mercibus, necnon temporibus variasse: maximè pro mercibus, vt peregrinæ ad delicias, aut pompas magis, quàm ad vsum inuectæ, grauius vectigal soluerent. Moderatum erat quod ex vectura mercium nuperrimè exigebat Princeps, nimirùm sexagesima, nec in suos, sed in necessarios Patriæ vsus. Quod tot debebatur nominibus abnegatum fuit. An Mercurius, qui commerciis præëst, & lucro fauentiorem se exhibuerit, refragatores ipsi eloquantur. Ante anni reuolutionem latro vnus Plateolus sicariis paucis stipatus merces quasque pro libidine sua vectigales fecit, magno gentis Mercurialis dolore, & detrimento. Ad solos Leodienses culpa pertinuit. Tres enim Patriæ Ordines, vt ante scripsi, in Telonium, vel aliud tributum rebus consumptibilibus alijsve imponendum, par præsentibus necessitatibus consentiebant: illi verò more, & errore inueterato negabant alligari ordinum suffragiis. Similem quandoque quæstionem mouerunt Gandenses veteres Leodiensium amici, sed Carolus Quintus Cæsar in publico Senatus consessu anno 1540 pridie Kalendas Maij terminauit. Ex Ponto Heutero paucis exponam. Ardente cum Francis bello Maria Austriaca Belgarum Gubernatrix anno 1536 conuocatis omnium Prouinciarum Ordinibus in Francicum bellum obtinuerat duodecies centena millia florenorum, è quibus Flandri pro sua parte

parte erant soluturi quadringenta millia, inita ratione pro facultate ac opibus singularum Prouinciarum. Cæteris consentientibus Flandris opposuere se soli Gandenses, obtendentes quod ad extraordinarias pecuniarum collationes cogi non possent, ob priuilegia à tribus diuersis Comitibus vrbi collata, à Comite Guidone 1296, à Comite Ludouico Neuersio 1334. & postremò à Duce Maria Burgunda 1477; cęteriſque contribuentibus mansere in mora, & contumacia. Aduocato Fiscali perorante, & præter alia replicante, quod priuilegia (partim vi & seditione expressa) non intelligerentur de impositione vniuersæ Flandriæ facta, sed soli Vrbi Gandensi imperata, huius formæ tulit sententiam, Consilio Procerum aurei velleris, Pręsidum diuersarum Curiarum, Prefectorum supplicum libellorum, ac complurium aliorum magni nominis, eruditionis, ac prudentiæ virorum, causa maturè, probeque examinata definitè ac absolutè pronuntiamus, Consensum trium Flandriæ Ordinum sufficere: Vrbem proinde Gandensem, eiusque Castellaniam in omnem perpetuitatem per Ordinũ in tributa consensum obligari, idemque per vniuersam Flandriam obseruandum, nonobstantibus priuilegiis à Gandensibus allegatis, donatisq; à Comitibus Guidone, Ludouico Neuersio, & Duce Maria Burgunda. Quam ego sententiam referendam duxi, vt deinceps illius recordatione admoniti Leodienses erubescant in Comitiis tumultuari, & aduersus trium Statuum suffragia obluctari.

Eodem in ludo edocemur ius cudendæ monetæ competere Principi, non Leodij tantùm, & Bullonij, sed etiam

etiam Dionanti, Hui, aliisq; locis. Vt mirum sit, si admirationi locum daret popularis vesania, toties in re monetaria Principem fuisse, per Leodienses edicta principalia suis Recessibus abrogantes, interturbatum. Cusionem Monetæ esse è primis Regalibus nemo huc vsque dubitare ausus: inter illa numeratur in Libris Feudorum capite de Regalibus, & ad solum Imperatorem spectat, eosve quibus Imperator Priuilegium concesserit. Hinc pœna læsæ Maiestatis tenetur, extremoque supplicio afficitur qui adulterat, falsificatve monetam. Si quis nummos (lex est Constantini Imperatoris) falsa effusione formauerit, vniuersas eius facultates fisco nostro præcipimus addici: & quicunq; solidorum adulter poterit reperiri, illico omni dilatione submota flammarum exustionibus mancipetur. Veteres opinabantur Monetam esse Deam, quæ pecuniæ haberet curam, & seueriſſimè animaduerteret in eos, qui dolum circa pecuniam admitterent. Rex Iorus, alij legunt Ionos, primus monetam in Thessalia reperit, de quo Lucanus, Vergilio nescio an inferior,

Primus Thessalicæ rector telluris Iorus
In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit & argentum flammis, aurique monetam
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

In Egina insula dicitur argentum primùm à Philone cœptum signari. In Italia primus omnium Ianus æream pecuniam signauit, cuius vna in parte nota erat Ianus biceps, ex altera rostrum nauis, qua vectus fuerat Saturnus. Quod Ouidius indicat

— Sed cur Nauale in ære
Altera signata est, altera forma biceps?

Mul-

Multis postmodum interuallis vsus monetæ intermortuus reuixit in Romana Republica, non sub Numa Pompilio, quem aliqui fingunt pecuniam signasse, & à nomine suo Numum apellasse, sed post exactos diu Reges. Notæ Nummi Ærei fuerunt, ex vna parte Consulum capita, dum Roma sub Consulibus fuit, postea Cęsarum effigies; ex parte altera non idem semper signum: aliquando lupa Romulum & Remum lactans, quandoque vel triumphus, vel ciuica corona, aut Deus, Deave quæpiam. Nummus argenteus, vt Plinius scriptum reliquit, percussus est anno Vrbis quingentesimo octogesimo quinto, Quinto Fabio Consule, quinque annis ante primum bellum Punicum: ij Nummi bigati & quadrigati apellati, à bigis, & quadrigis insculptis. Fuere deinde percussi cum signo Victoriæ, & ideo dicti Victoriati: postmodùm argentei notas æneorum assumpsere, ab vna scilicet parte Consulum, & successiuè Imperatorum capita, ab altera pro arbitrio regentium. Vt Augustus, iuxta Suetonium, nummum argenteum nota syderis Capricorni, quo natus fuerat percussit, & Nero Cytharædum, quod cythara plurimùm delectaretur, nummo inscripsit. Argenteo aureus nummus sexaginta annis posterior, cum Consulum etiam, aut Imperatorum imaginibus pro ratione temporum. Tribunis ea cura demandabatur, vt fragmentum antiquæ legis, recentioris tamen duodecim Tabulis, testatur, Tribuni domi pecuniam publicam custodiunto, æs, argentum, aurumve publicè signanto. Romæ ædes & officina Monetæ fuerunt eo loco vbi Manlij Capitolini ob regni affectationem damnati domus extiterat. Camillus illìc

Iunoni Monetæ templum dedicauit post cladem maximam à Senonibus Gallis acceptam, quod ex arce Iunonis audita vox esset, & Iuno apellata ideò Moneta. Pecunia autem dicta Moneta, quòd post notæ impressionem admoneat cuius sit ponderis & valoris. Sicut Nummus dicitur Greca æthymologia, quia à lege precium suum habet.

CAPVT VIGESIMVM-QVARTVM.

De Pace de Fexhe.

THeobaldus de Barro septuagesimus quartus Tungrensis, & consequenter Leodiensis Ecclesiæ Episcopus Henricum Luxemburgensem Imperatorem in Italiam comitatus seditione Romæ in Henricum coörta fortiter dimicans læsus post triduum expirauit anno 1310, vel eo circa. Successor Adolphus de Marka dissutam nobilium, & popularium cruentis discordiis Rempubliçam susçepit, sub quo Pax de Fexhe anno 1316 in auras exiuit. Occasionem ex Ioanne Hocsemio Canonico & Scholastico Cathedrali, Principi cæterùm frigidè affecto, hanc præcipuè deprehendo. Prauo abusu inualuerat lex quędam Carolina, à Carolo Magno sic dicta, quâ, præ alijs articulis cauebatur, quod quisquis homicidium perpetrasset videntibus Villico & Scabinis, etiamsi sub axillis homicida caput interfecti circumferret, & cruentatis manibus ad iudicium veniret, nullis probationibus, neque rei euidentia conuinci posset, sed proprio iuramento absolutus abibat indemnis,

nis, nisi Villicus accusationem verbalem commissorum criminum apud publica Scabinorum acta scripto redigi feciſſet; Quò eueniebat validiores & potentiores impunè grassari, & in solos miseros & pauperiores vltorem iustitiæ gladium insurgere. Ideò quot erant quieti & Pacifici Ciuium, conquesti sunt Episcopo, quod nisi seposita eiusmodi lege, Alti Dominij iure, seu vt interpretor, absoluta sua potestate procederet, nemini probo tutum foret in publicum prodire, & per vias incedere. Motus Princeps adhibito prudentum consilio, præcepit Mamburno, vt indifferenter iure Alti Dominij delicta legitimè probata coërceret: & Mamburno conniuente (imò paulò post aduersus Dominum suum conspirante) Princeps ipse absoluta vsus potestate delinquentes compescuit. Postea pluribus interiectis annis eidem Adolpho Leodienses supplicarunt, vt permitteret statuta condi queis Carolinũ ius arctaretur: vt proëmium quorundam Statutorum denotat, quorum data est incerta in anno, certa in die, sexta mensis Aprilis. Nam quidam Codices preferunt annum 1318, alij 1348; ego magis in annum 1328 propendeo, propter primum articulum Pacis de Floenne 1326. 5. Iunij continentem, Resolutum fuisse statuta pro Ciuitate Leodiensi condenda in quindecim annos permansura, vt ciuium Leodiensium excessus congruè emendentur. In hunc modum Adolphus ea statuta exorditur, Quandoquidem ius antiquum, nuncupatum Caroli Magni, secundùm quod Scabini nostri iudicant, laxius, mitiusque est, adeo vt Ciuitatis nostræ criminosi pro modo delictorum suorum non puniantur, Consules, Iurati, Guber-

natores, & tota Communitas Leodienſis cum expreſſo noſtro conſenſu, licentia, & authoritate condiderunt nonnulla Statuta ad quindecim duratura annos, prædicta nihilominùs noſtra lege in robore ſuo remanente. Intercurrit ſcrupulus circa hoc Alti Dominij ius, quem priùs eluam, etſi Pace de Fexhe ſit poſterior. Varium & mutabile vulgus quod querimoniis ſuis Adolphum Principem perpulerat ad exercitium ſummæ poteſtatis, tædio ſeriæ iuſtitiæ refractarium, poſt Pacem de Fexhe, Recordium anno 1325 in Septembri (Literam Conatuum apellant) à Scabinis accepit, ſub hac forma, Item in actis publicis aſſeruamus quod Dominus Patriæ (ſeu Princeps) nulla alia lege per Bannum Leodienſe vtatur, quàm iure Carolino. Neque eidem permittatur vllis in caſibus intra Ciuitatem alia lege vti, præterquàm ſi Vniuerſitas Leodienſis vltrò ſe alteri legi ſubmitteret. Verùm reuoco Lectori in memoriam, quod iſthæc Scabinalis Teſtatio ſit eadem cum ea quæ perperam ſuper Itineribus publicis emanauit, quam Arbitri in Pace de Floenne 1330. 1. Iulij tanquàm in medio inteſtinorum bellorum æſtu per vim extortam, declararunt irritam, & inanem. Si Carolinarum legum ſeptis Princeps foret incluſus, neque ſubditi propter mollitiem illarum oraſſent & exoraſſent ab illis pro tempore diſpenſari, neque toties tot Statuta, & Reformationes à diuerſis ſucceſſiuè Principibus in diem hodiernum videremus euulgata. Etſi nihil inde deceſſurum ordinariæ poteſtatis arbitrarer, quandoquidem Carolinæ leges eſſent Imperiales, à Carolo Magno Imperatore latæ: quæ vt per totum Imperium publicatæ omnes concernebant

nebant ſubditos, ita Leodienſes Imperio ſubiectos. Imperator enim iuriſdictionem ſuam fundat, per legum ſuarum obſeruationem. Nec ipſi Imperatori vertitur opprobrio legibus propriis obtemperare: vt qui cogitet cum Theodoſio, tantum ipſi per ſe licere, quantum per leges antea licebat: & ius ſummum facultate & copia commodandi, non ſecuritate peccandi experiri. De Regibus Romanis audi Romanum, Nobis Romulus, vt libitum imperitauerat, dein Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertaque quædam à Tullo & Anco, ſed præcipuus Seruius ſanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent. Cernis Reges ipſos legibus ſceptra ſubmiſiſſe? Vnius Caligulæ atrox & barbara vox fuit, Omnia ipſi, & in omnes licere. Sed Caligulæ, portenti, non hominis, qui quoties vxoris, vel amiculę collum exoſcularetur, addebat, tam bona ceruix ſimulac iuſſero demetur. Ordinariæ poteſtatis dixi, quia ſi certis penitiſſimè adſtringeretur legibus, fruſtra quæreretur, ſuperſintne ſcintillæ extraordinariæ authoritatis, & Alti Dominij. Non ideo tamen non poſſet iure Principali leges pro perſonarum, temporum, aut locorum ratione inutiles & infructiferas, amputare, antiquare, & vtilioribus ſupplere; exemplo diligentis agricolæ ſilueſcentem vitem ſecantis, ne labruſcas pro vuis gignat. Seneſcunt ſi quidem vel optima quæque, & inſitionibus, nouiſque propaginibus indigent. Ab hoc Pacto eliciunt Plebicolæ non licere Principi per ſe iudicare, neque noua iudicum Tribunalia inſtituere; ſed non video ex qua Logica fluat illatio. Cum illic tantùm componãtur inter ſe, via Alti Dominij, extra paucos

casus vetita, & methodus Iudiciariæ cognitionis in aliis seruanda. Scabini autem, & Homines (seu Curiæ Pares, qui tunc rerum etiam capitalium erant cognitores) in exemplum proferantur: non adiecto, quod Princeps prohibeatur alias Iudicum Curias adlegere: quanquàm nullas adlegerit, nec dempta Paribus illis cognitione criminali, aliud vice illorum collegium surrogauerit. Viua ratione, non incerta coniectura agere me sentiet, & consentiet, qui curiam Officialis Leodiensis tunc, & multis ante sæculis agnoscet; (certè anno 1315 proximè ante hoc Pactum de Fexhe Adolphus Curiam sui Officialis, & alias inferiores Dionantum transtuliſſe scribitur) cuius, etsi ordinarij ciuilium, simulque criminalium Iudicis, nullus tamen ibi sermo. Vnde mentionis neglectus, non est omissionis effectus: & vice versa expressorum designatio in exemplificationem facta est, non in præteritorum exclusionem. Non meliore consequentia argumentantur, non licere Principi per se ipsum exercere iudicium: cum tantummodò adimatur exuberans facultas extraiudicialiter absque quacunque iudicij figura procedendi, vltra casus reseruatos. Et ardentibus votis deberent expoſcere, quod imprudenter videntur reformidare. Vt scilicet integrum quandoque esset Principibus per alia Prouinciarum suarum ardua, & crebra negotia, pro Tribunalibus sedere, iusque coram dicere. Sic Reges, & Imperatores olim practicarunt. Hùc tendit illud Tragici ad Regem, *Si iudicas cognoſce, si regnas iube.* Sic Homerus inter oculorum tenebras, ingenio oculatiſſimus, Regi suo Agamemnoni sceptrum & leges tradit, his vt iudicet, illo vt domine-

tur.

tur. Sic Philippus Macedo omnium horarum Iudex inter subditos fuit: Augustus Cæsar ius dixit assiduè & in noctem nonnunquàm, ex lectica pro Tribunali posita, vel domi, si infirmior esset. Quanti recta Regum iudicia æstimet Deus docet per suum Ecclesiasten in Prouerbiis, Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. In veritate inquam, cuius inter purpuratos magna est persæpe inopia. Nam Ludouicus Vndecimus Galliarum Rex aiebat, se rebus omnibus in regno, & præcipuè in aula abundare, vna veritate excepta. Quia verò Princeps tot & tanta negotia solus sustinens, & pro omnium salute excubans, nequit interesse Prætoriis, attendere debet vt probos, sapientes & incorruptos viros constituat, iuxta illud in Exodo, Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt auaritiam, & constitve ex eis qui iudicent populum; & rursùm, Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Quod non nescii Horatius,

— *Male verum examinat omnis*
Corruptus Iudex.

Alexander Seuerus, qui Vlpianum pro tutore habuit, tanti stomachi fuit in eos Iudices qui furtorum fama laborabant, vt si eos casu videret, commotione animi, stomachi coleram euomeret, toto vultu inardescens, & digitum haberet paratum, quo iis oculum erueret. Proinde cum cura seligendi optimi quique: quia, teste Platone, magis interest Reipublicæ à bonis administrari Magistratibus, quam bonis excellere legibus. Redeamus

mus in viam. Pactum de Fexhe aliquis non insulsè Caligam Maximini dixerit, quæ toto pede maior erat pedis humani vestigio; aut Theramenis cothurnum tibiæ omnium accomodatum. Leodienses illud contrahunt, & suo arbitratu; Princeps è contra suæ authoritatis fulcrum non iniuriâ reputat. Populares pro suo captu in rem suam interpretantur, & inde elicere satagunt, quod paciscentibus nunquàm in mentem descendit. Michael Montanus nobilis Gallus, & non ignobilis scriptor, qui vetere Rutilij, & Scauri exemplo, pro scriptione habuit suam ipse vitam narrare, virū nouisse memorat diurna, nocturnaque manu Homerum terentem, qui quæcunque salutis nostræ mysteria sub figuris & emblematibus fabularum ab Homero intellecta & descripta ostenderet. Quem cæci vatis interpretem non tam cæcum Tiresiam, quàm Potitium, aut Potitio stultiorem alius crediderit. Quæ sit obscuritatis Pacti de Fexhe causa qui nosse cupit Hocsemium consulat; cuius ea est sententia. Principem Adolphum, & Auxiliarios, non minus quàm rebelles Leodienses, diuturnitate bellorum fatigatos, apud Villam de Fexhe pacem iniuisse; quæ à loco Pax de Fexhe nominatur, multis inuoluta contrarietatibus. Tædio enim vtrimque affecti parùm attenderunt, quid hinc inde scribi facerent, ex quo nouæ & multæ postmodùm enatæ sunt difficultates. Siquidem Leodienses scriptum voluerunt, quod Princeps teneretur in omnes subditos lege & iure agere: Princeps autem Altum Dominium circa excessuum correctionem retinebat, quæ vix simul stare possunt (inquit Hocsemius). Hinc actor ex textu huius Pacti, si quando à Poten-

Potentioribus læsum se querebatur, Reum postulabat Alto Dominio puniri: Reus è diametro iuxta idem Pactum contendebat non esse ius Principi per viam Alti Dominij procedendi, sed lege & apud iudicem agendum. Attamen lubet examinare num Gryphus & syrpus sit, qui ad Protagoræ, & Euatli ex eodem Pacto agentium, & excipientium disceptationem accedat. Pacti verba perplexiora, in quibus cardo mutuæ contentionis vertitur, subijcio latinè fideliter reddita. Quilibet conueniatur & distringatur lege & iudicio Scabinorum, aut Hominum (alibi probauimus per Homines isthìc significari Pares Curię Feudalis) pro sua conditione, & casus exigentia, nec aliter: exceptis casibus ad Altitudinem seu Superioritatem nostram, & nostrorum in Episcopatu successorum pertinẽtibus. Cuiusmodi casus sunt. Nimirùm, quòd primò, quantùm ad homicidium nos Episcopus antedictus habemus & habebimus ius & potestatem incendij, & vltra hoc in homicidam nobis & successoribus nostris remanebit ius & facultas persecutionis, donec parti læsæ, & nobis satisfecerit. Et ad eum non alium modum vtemur nos, & successores nostri prædicta Altitudine & Superioritate, quò vsque declaratum fuerit per Sensum Patriæ (siue Tres Ordines) an nos Episcopus præfatus, & Successores nostri plus quàm predictum est Altitudinis seu Alti Dominij habeamus. En textus Pacti. Nil opus ambage & diuerticulis; multùm eo detractum est potestati & iuri prisco Principis, penès quem erat plena facultas in plerisque criminibus aduersus Reos indicta causa, & citra iudicij telam vllam animaduertendi: nunc per hoc

pactum limitata & circumscripta dicitur libertas Alti illius Dominij, ne vti possit præterquàm in casu homicidij, in cęteris iure, & apud iudicem experiri oporteat. Dicitur, aio. Etiamsi contrà sentiam, per expressionem vnicæ speciei, nempe homicidij, non fuisse ex mente Principis, & Capituli exclusas aliorum atrocissimorum criminum species, in quibus æqualiter locus erat exercitio Alti Dominij: velut aduersus Incendiarios, Raptores fæminarum, Sicarios, Viarum grassatores, & Perduelliones. Exempla enim, axiomate Iurisconsultorum, non restringunt regulam, sed declarant, Et exceptiones expressæ comprehendunt similes. Coniecturam adiuuat forma orationis, dum pluraliter Princeps loquitur (Exceptis casibus) & (Cuiusmodi casus sunt) & nihilominus solum homicidij casum subijcit: non vsurus pluralitate, sed singularitate contentandus, si Alti Dominij reseruatio ad homicidas esset restricta. Necnon, quod paulò post, quasi plures enumeraturus casus, incipiat per dictionem, Primò, quæ ordinem, & gradum sequentium denotat, & correlationorum naturam primi, & subsequentium necessariò importat. Quo facile persuaderer Pacem, qualis hodie extat, truncatam, mutilatamque esse, aut supinam fuisse oscitantiam eorum, qui ex parte Principis & Capituli, ei pangendæ fuerunt adhibiti. Præualidum, inquies, ius id Principis, qui vitæ & necis potestatem eam habeat. Tecum sentio: nec quisquam audeat pernegare id ius fuisse. Vt procul absit ab vmbratili, & mortuo quodam Principatu, quem factiosi depingunt. Reuerà non poterat excellentius, potentiusve dari, libera pote-

potestate, independente in casibus per atrocitatem, aut aliunde, moram non exigentibus, aut non patientibus. Sic Dictatores, & Imperatores domi, & militiæ, nullo iudicij strepitu, quoties crimen mereretur, aut ita censerent, statuebant. Consules item, cum Patres iusserant, vt viderent ne quid detrimenti Respublica pateretur. Hala Magister equitum iubente Dictatore Spurium Mælium tanquàm aduersus Rempublicam molientem, & egenæ plebeculæ supparasitantem interemit. Manlius Torquatus filium proprium iuuenem fortissimum, quod iniussu suo extra ordinem pugnasset, quamuis victorem, statim, & sine consilij aduocatione vlla, capite puniit. Papyrius Cursor in Prætorem Prænestinum qui per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem, cum inambulans ante tabernaculum vocari feciſſet, lictorem expedire securim iussit; ad quam vocem exanimi stante Prœneſtino, agedum lictor excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus? perfusumque vltimi supplicij metu mulcta dicta dimisit. Attilius Regulus in Tribunum Nœmium in Africam nauigare detrectantem, distringi securim fecit, nisi paruisset. Recitat Dionysius Halicarnasseus legem, quę dabat Ducibus facultatem interficiendi eos qui non obediunt, aut signa deserunt; idque causa indicta. Frustrà prouocatio imploraretur, quæ legibus duodecim Tabularum in bello vetabatur, Militiæ ab eo qui imperabit prouocatio ne esto, quodque is qui bellum gerit, imperassit, ius, ratumque esto. In nostra Belgica nunquid Balduinus Septimus Flandriæ Comes quendam virum nobilem Orscampi toparcham ob duos boues

pauperculæ reclamanti abductos, ſubitò arripi fecit, & in lebetem aquæ feruentis, qui in medio foro Brugenſi monetario puniendo erat deſtinatus, conijci, ſic vt erat, ocreatum, veſtitũ, gladio accinctum? Et vndecim equeſtris loci viros, quod tres mercatores per viam bonis, & vita exuiſſent, vocatos in palatium, ſe coram, laqueis iniectis deſtitui ſuper tabulam annexos ad trabem iuſſit, & ſubducta tabula penſiles fecit? Alti Dominij, ſeu ſupremæ poteſtatis cuncta ſunt exempla, citra cauſæ dictionem, cum idonea tamen inquiſitione veritatis. Vt puta, ſi crimen eſt publicum, & notorium, notorietas eſt loco ſententiæ. Hinc licet vt quis in Bannum Imperiale ob fractam Pacem Publicam ipſo iure incidat ad effectum vt Banniti perſona impunè offendi, & bona occupari poſſint, opus ſit ſententia declaratoria: tamen quando ſubditus committit feloniam aut rebellionem notoriam actu perſiſtentem, non eſt neceſſaria declaratio præuia, poteſtque proditor manifeſtus & publicus abſque eiuſmodi declaratione præambula offendi. Cui doctrinæ præſtantiſſimorum Iureconſultorum adſtipulari Pragmaticam Imperij Sanctionem Auguſtæ Vindelicorum anno 1559 promulgatam, Andreas Gail quondàm Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius affirmat. Neque in notorio facti permanentis (vt noſtri loquuntur) admittitur probatio in contrarium. Ius Alti huius Dominij eſt particula quædam plenitudinis poteſtatis, liberum & ſolutum vinculis ordinis iudiciarij, at intra fines & terminos iuſtitiæ cõarctatum: ideò non circumſcriptum ſolitis fori cancellis, vt celeriùs & pleniùs Iuſtitiæ litetur; procul eſt vt aduerſus iuſtitiam tendat. Nam & actus

Iuſti-

Iustitiæ est, propter atrocitatem delicti, iurium formulas nonnunquàm transgredi. Enimuerò, quæ est in bono & legitimo Principe plenitudo potestatis, degeneraret in Tempestatis plenitudinem, si ab æquo & iusto discisceret, prætextu absolutæ facultatis. Cui plus licet, debet lubere minus. Cæterùm in duobus præcipuè sisto, figoque isthìc gressum. Dum ob criminis immanitatem subditur & reseruatur homicidium Alto & absoluto Dominio, potiori iure immaniora scelera, quæ eâdem potestate antea cum homicidio coërcebantur, censentur eidem reseruata; cum non reperiantur in aliam cathegoriam reiecta. Quod præter, imò contra rationem foret, ibi minus esse iuris, vbi maior est ratio. Est in confesso, Perduelliones, Diuinæ & humanæ Maiestatis læsæ Reos, Incendiarios, Assasinos, Sicarios, Raptores virginum, Viarum grassatores esse deteriores simplicibus homicidis: & ideo ad Ecclesiam confugientes immunitatibus Ecclesiasticis non gaudere: quamuis homicidæ simplices, non proditorii, asylo fruantur. Alterum, argumento etiam à fortiori ducto consequi, consentaneum esse vt in præscriptis atrocissimis sceleribus, & potissimùm læsæ vtriusque Maiestatis reatu, Seditionumque & machinationis aduersus Rempublicam, solus Princeps, eiusve Scabini inquirere, cognoscere, & decidere possint; Ciuicusque Magistratus perperàm in aduersum annitatur. Quem dicto Principis audientem reddi optarem exemplo saltem Romanæ plebis, quæ ingrauescente annona de emendo frumento Nasicam Consulem in concione interpellans, cum ille id vnum respondisset, Tacete, quæso, Quirites, plus enim ego

quàm vos quid Reipublicæ expediat intelligo, actutum conticuit, & pleno venerationis silentio maiorem eius authoritatis, quàm suorum alimentorum respectum ostendit.

CAPVT VIGESIMVM-QVINTVM.

De Pactis Vigintiduum-viralibus.

ABsoluta & incircumscripta Principis potestas crebris fuit tentata insidiis, multò ante quam Vigintiduum-virale Tribunal, quod ei euertendæ stratum est, per Ioannem d'Erkel antistitem erigeretur. Sub Adolpho per Refractarios contis & remis eòdem adnauigabatur, ni cautem & rupem solitæ suæ magnanimitatis obiecisset. Quæ Ioannes Hocsemius, Cornelius Zanfliet, & alij Chronistæ, quorum quidam parciùs, vel fæcundiùs, nobis reliquerunt, non pigebit strictim prodere. Adolpho de Marka regnante post Pacem de Fexhe sub eo anno 1316 initam, pro ingenio populi breui recruduit seditio: quæ eò processit, vt anno 1323 impulsus Præsul querimoniis multorum de iniustitia conquerentiũ consenserit in electionem viginti-virûm è Capitulo, Equitibus, & Popularibus eligendorum, qui media in bonum publicum oportuniora maturo perpensa iudicio proponerent. Quis credat, nisi sit pro teste vetustas? Statuunt sex laicos designandos qui de iniuriis per Episcopum illatis ad promiscui cuiusque actoris querelam cognoscant: inuerso naturæ & iuris ordine

ordine inferiores in superiorem ius dicturi. Cum Princeps inexspectatam exploderet ineptiam, & crescerent rebellium audacia, qui nuper Dionantum se cum Tribunalibus receperat, Hoium tunc contendit. Secuta anno demum 1330 reconciliatio, aliquot ante annis per Abbatem Nicasianum tentata, sub pactione quod rata esset illius ordinatio, & subditi vice damnorum numerarent quinquaginta millia librarum Turonensium. *Mille adde catenas? Effugiet tamen hic vinclorum millia Proteus.* Anno 1343 primarij aliqui nobiles, magno Ciuium vnà sentientium comitatu venêre ad locum Capitularem, quò tunc Adolphus Princeps cum Canonicis Cathedralibus conuenerat, obtuleruntque scripturam, Epitomen punctorum, quæ à Principe extorquenda concluserant. Summarium erat. Ministros & Officiales omnes Principis officio suo destituendos, in illorum vitam, & mores inquirendum, facta quibuscunque conquerendi & accusandi facultate; accusatos porrò pro modo excessuum irremissibiliter castigandos. Imposterùm neminem qui origine Ciuis non esset, in Consiliarium Principis asciscendum: eligendos duos & viginti viros probos (probitatis titulus omni in seditione præfertur) quatuor è Cathedrali Capitulo, octodecim ex ordine Equestri, & Populo, qui statis anni temporibus cöeant audituri querimonias subditorum quorumcunque aduersus Principis Ministros, à quibus dicerent se iniuria affectos, aut iustitiæ opem denegatam. Qui vigintiduum-viri essent perpetui, possentque statuere quæ ad Ecclesiæ, & Patriæ vtilitatem existimarent pertinere. In quas putemus Adolphum perplexitatis fauces redactum? Flagrabat adhuc

adhuc proximo anno 1342 excitata flamma ratione edicti monetarum, occlamantibus popularibus denariorum valorem imminutum, & oculos in viciniam intendentibus. Maior Canonicorum Capitularium pars cedebat tempori, minacibus flagitationibus succumbens. Vicit numerus minorem, sed saniorem partem; dissentiente quidem Principe, sed ob metum deteriorum iram retinente. Additum modo fuit, annales, non ad vitam, futuros. Quibus peractis æger animo animosissimus Princeps, quod & suam authoritatem per subditos specie consensus vsurpari, & fideles Ministros in prædam, aut victimam maleuolis dari cerneret, in morbum corporis intra breue spacium incidit, vnde non nisi per secessum ex vrbe, & aëris mutationem conualuit. Ex priore consternatione confirmatus, Leodium regressus, conuocatos quatuor Canonicos, & alios quatuor Ciuitatenses è vigintiduûm Deputatorum numero, anno 1344, ratione & authoritate induxit ad renuntiationem, & literarum Institutionis Vigintiduum-viralis restitutionem; quas literas mox lacerauit, obmurmurante, tumultuanteque populo; qui Plebeium Consulem velut Episcopo obsecundantem, cum Villico, & Scabinis proscripsit. Irritus itaque sub Adolpho fuit introducendorum Vigintiduum-virûm conatus, neque efficacior sub Engelberto Adolphi patrui sui successore, quem frustra multis annis Leodienses bello lacessiuerunt; victi enim mulctam pendere, & causis belli renuntiare sunt cõacti. Flammam fumo esse proximam re patuit. Acre incendium emortuo Engelberto, temporibus Ioannis d'Erkel anno 1372 Tudinij (vnum est

Patriæ

Patriæ Oppidum) erupit è denſiore & nigrante fumo quorundam Oppidanorum, qui aliquot conciues & Scabinos, velut partes Principis ſtrenuè tutantes facto, cum iure non poſſent, proſcripſerant. Commotus indignitate rei Antiſtes ablegauit quatuor Aulicos, qui proſcriptos dignitati reſtituerent. Cum Oppidani armata manu reſiſterent, & obſiſtentium Anteſignanus Ioannes Hartis alter Conſulum procaciter, & iniuriosè in abſentem Principem debaccharetur, inter conuicia, & improperia palàm obtruncatur. Vetus Antonij in Iulij Cæſaris funere facinus exacerbati Tudinienſes renouant: occiſi Conſulis corpus plauſtro Dionantum, dein prono flumine Hoium, & illinc Leodium deportant, & vbique populum accendunt. Rabiem declinaturus Princeps Traiectum ſeceſſit. Feruente bello, & Popularibus Clerum tributis, ac militum ſtipendio grauantibus, placuit Capitulo, (ſi placere dicimus quod vi extorquetur) deputare gremij ſui Canonicos de Pace cum Epiſcopo acturos. Pacis conditio fuit, duorum & viginti virorum Tribunal. Qui quidem quotannis eligerentur, quatuor à Capitulo Primario, quatuor ab ordine Equeſtri, quatuor à Ciuitatẽſibus, duo ab Hoyenſibus, totidem à Dionantenſibus, ſinguli à Tungrenſibus, Trudonenſibus, Foſſenſibus, Tudinienſibus, Loſſenſibus, & Haſſelenſibus, probi tamen, ingenui, prudentes, idonei, & è Principatu oriundi. Munus illorum inquirere in Officiatos, Iudices, & quoſcunque Principis ſubditos, qui contra tenorem Pacti de Fexhe, præter, aut contra ius egerint, pecuniam indebitè exegerint, receperint, aut extorſerint ratione iudicij, impe-

dimentove fuerint quominùs ius dicatur, & administretur. Ferenda proscriptionis in conuictos seu condemnatos sententia, intra quemcunque locum immunem in eos executioni tradenda, quamdiu iudicato non satisfecerint. Hoc Fœdere pacto (vt scribit Radulphus de Riuo) Princeps Ioannes d'Erkel remeauit Leodium tristis & dolens, quod subditis robur suæ authoritatis cõmisisset, seque cerneret circumuentum, & propinquis amicisque credulitatem improperantibus esse ludibrio. At manta parumper? folia nunc cadunt, præ vt si biennium, aut triennium labatur, tum arbores in eum cadent. Noui isti gigantes fulmen Iouis in ipsum Iouem vibrabunt, & temerarij Phaëtontes Phœbum parentem, si queant, cremabunt. Cum, vt scribit Annalista, Episcopus quendam Hermannũ Werselees Oppidi S. Trudonis ciuem propter enormem excessum in mille septingentos aureos mulctasset, & famæ hominis parcens innocentem eum literis suis dixisset, is obducta fronte, & pecuniæ, quam famæ retinendæ cupidior, dicam Episcopo coram Vigintiduum-viris dixit, Mulctam velut ab innocente extortam petens, prolatis in medium literis in fidem innocentiæ. Lex est Cæsarea, Plus valere quod reuerà agitur, quàm quod simulatè concipitur: eaque simulatio vt mendacij imago damnatur. Et est vetus dictum, malus vbi bonum se simulat tunc est pessimus. Prudenter in pari causa Philippus Alexandri pater, qui, cum Harpalus pro amico quodam iniuriarum postulato acriter, & importunè intercederet addens se pro eo mulctam, quanta esset depensurum, interrogauit, Quid tu igitur satagis, si paratus es mulctam

pro

pro eo dependere, & Harpalus subiecisset, Nempe vt fama sit ei salua, tunc Philippus, Quid tu ais? & non æquius illum male audire, qui malè fecit, quàm me innoxium eius causa? Si ad simile exemplum intercessoribus Hermanni huius pro auertenda infamiæ labe laborantibus responsum fuisset, nouis tricis & turbis aulæ Principis caruisset. Princeps, qui mulctam non diffiteretur receptam, stare iuri coram Vigintiduum-viris, quibus se, suaque bona negabat subiecta, constanter abnuit. Quo enim Dei, Naturæ, aut gentium iure, superior subditis, Dominus vasallis suis subesset? Notum etiam sit in concessione alicuius iurisdictionis per Principem alicui subditorum facta, Principem, & quæ Principis sunt non comprehendi, & in quantumcunque generali dispositione eximi personam disponentis. Vigintiduum-viri tantilli temporis creatione & institutione inflati Principem tanquàm contumaciter Tribunal detrectantem, ad mulctæ restitutionem condemnarunt. Offensus insperata inferiorum insolentia, relicto mox Leodio, post paruam Traiecti moram, Auinionem ad Gregorium Vndecimum Pontificem confugit, qui per Cardinalem Florentinum causæ cognoscendæ deputatum, Vigintiduum-viros, & adhærentes excommunicationis laqueo innodauit, ac ab inde totam Patriam Ecclesiastico suppositi interdicto. Vèntum deinde ad arma, Comite de Werneberh Domino de Arkel nepote, cum valida Germanorum manu, patrui partes fortiter tutante: & Leodiensibus iterùm Ecclesiasticos, Canonicorum, Religiosorumque Collegia in contributionem sumptuum compellentibus. Ducis Brabantiæ in-

teruentu conquieuit turbo seditionis. Pax eâ lege data (inquit idem Radulphus) vt Vigintiduum-viri de Ecclesiasticis, eorumque bonis & rebus iudicia non agerent, & patria certam pecuniæ summam resarciendis ex parte damnis rependeret. Sic amota sunt excommunicationis, & interdicti tonitrua: & subditis reconciliatus Princeps, dum solitariam meditatur vitam, in fata concessit. Id Fædus nomen secundæ Pacis Vigintiduumviralis accepit. Precium operæ sit primum, & secundum articulos ipsis verbis reddere. Extitit declaratum, Quod Pacem Vigintiduum-viralem attinet, personam Domini Leodiensis, quæ nullatenùs eâ ligatur, non esse ad iudicium Vigintiduum-virûm euocandam: vt nec reditus & prouentus hæreditarios, qui in illius ærarium, aut Episcopalem mensam inferuntur. Pariter nec ordinem Clericalem, nisi in quantum aliquis Clericus clericaliter viuens, vel Ecclesiasticus, fungeretur munere publico laicali. Quicquid secùs iudicari contigerit, nullius sit roboris & momenti. De iure Hæreditorum, & Fundorum erit agendum coram Curiis & Tribunalibus, vnde bona eiusmodi mouentur, nisi mutua partium prorogatione & contestatione coram Domino Officiali Leodiensi procederetur. Etsi meæ facultatis, aut intentionis non sit moliri huius, aut alterius Tribunalis reformationem, vel quenquam ex obeuntibus munera publica sui officij admonere, multò minus vllum lædere; non verebor tamen priuatam meam sententiam super quotidiano, & diuturno iam abusu interponere, vt quandoque, vel ipsi proprio motu Vigintiduum-viri noxium morem euellant, vel pro sua iustitia & prudentia Princeps,

ceps, quod non semel tentauit, curet aliquando emendari. Bini isti articuli per prauam corruptelam exoleuisse, si non in totum, certè in parte videntur. In primum passim, & sine scrupulo impingitur, at non sine periculo (vtinam fallar?) incurrendæ excommunicationis per sacros Canones constitutæ in eos, qui Clericos in Dei sortem electos ad Iudices sæculares trahunt, vel tractos condemnant. Nec velum obtendi potest ex consensu Ecclesiasticorum, qui in Pacem Vigintiduum-viralem, non minùs ac Equites, & Populares comperiuntur consensisse, vel ex eo quod in illo Tribunali sint quatuor Ecclesiastici, Nempe Cathedralis Ecclesiæ Canonici, à quibus coniunctim cum alijs iudicantur. Quia Ecclesiastici limitatè & restrictiuè in Pactum hoc conuenerunt, vt liberi ab eo & immunes essent, præterquàm si publicum laicale officium exercerent, & in eodem delinquerent. Neque volentes potuissent, vel iuramenti solemnis interpositione, iudicum laicorum iurisdictioni sese submittere. Nam quaternarius Canonicorum vnà iudicantium numerus non offundit, tegitve qualitatem prophanam & sæcularem huiusce Tribunalis: quandoquidem Collegium ex personis Ecclesiasticis, & laicis mixtum, sit laicum & prophanum, vbi plures sunt laici, quam Ecclesiastici. Ideoque hoc Tribunal tanquam laicum, nequit esse Iudex Ecclesiasticorum. In primum inquam articulum crebrò offenditur per frequentes iudicum Ecclesiasticorum ad hoc Tribunal euocationes, captato falso, aut vero prætextu, quod aut iurisdictionis metas excesserint, ordinem in iudicando peruerterint, aut omiserint, recusationi, aut apellationi non detulerint,

tulerint, aut aliunde incompetenter, nulliterve decreuerint. Fictus, an verus sit color, non magis ad eos pertinet dispicere, quàm id quod in aurem Rex Reginæ dixerit, & quod Iuno fabulata est cum Ioue. Nam qualitas quæ hoc loco debet ex parte Reorum Conuentorum fundare iurisdictionem Vigintiduum-virûm, est aut esse laicum, aut exercere officium publicum laicale, & in eo delinquere. Munus Iudicis, quod sustinent Iudices Ecclesiastici, qui vindiciarum plerumque coram Vigintiduum-viris conueniuntur, est quidem publicum (iudicare enim est munus, & onus, à publico institutum) sed non prophanum. Diuisio rem explicabit. Vel eiusmodi Iudices Ecclesiastici sunt ordinarij, vel delegati. Ordinarij, quales sunt Officialis Episcopi & Principis, qui per excellentiam absolutè dicitur Officialis Leodiensis; Officialis Capituli, Officiales singulorum Archidiaconorum. Delegati, qui iterum subdiuiduntur, in Delegatos à Sancta Sede Apostolica, & Delegatos ab Ordinariis Ecclesiasticis. Si quæstio est de Legatis, & Delegatis Apostolicis, luce luculentius est eos inter iudicandum fungi munere Ecclesiastico: quandoquidem qui delegat sit Ecclesiasticus & in qualitate Ecclesiastici deleget, quique delegatur, sit pariter Ecclesiasticus, & vt Ecclesiasticus deputetur. Si sermo est de ordinariorum Ecclesiasticorum Delegatis, qui rari sunt, exceptis Aduocatis Curiæ Leodiensis, quibus propter causarum multitudinem Officialis vtitur vt Deputatis & Commissariis, idem sentiendum est quod de ordinariis Ecclesiasticis delegantibus; quia Delegati funguntur vice delegantium, & delegata, non propria iurisdictione.

Porrò

Porrò Iudicum ordinariorum Ecclesiasticorum munus esse publicum officium Ecclesiasticum, & non laicum, loquitur res ipsa. Quandoquidem qualia sunt subiecta, talia sint prædicata, & quod recipitur ad modum recipientis recipiatur. Nemo Officialatus dignitate decoratur, aut ad eam euehi potest, præter Ecclesiasticas personas. Causæ quæ coram Officialium Curiis tractantur, sunt Ecclesiasticæ, aut ratione materiæ, aut ratione personæ conuentæ, aut ratione Iudicis. Ecclesiasticæ ratione materiæ sunt duplicis generis: nimirùm vel materia est purè Ecclesiastica, vel mixta, seu mixti fori. Vbi materia est purè Ecclesiastica, veluti cum de hæresi, simonia, beneficiis Ecclesiasticis, matrimonio, & legitimitate inde dependente, separationeve coniugum quoad torum, de iuribus patronatuum, & decimarum, alijsque spiritualibus rebus controuertitur, plusquàm manifestum est, officium Iudicis de illis cognoscentis esse purè putè Ecclesiasticum. Si materia est mixta, seu mixti fori, id est quæ indifferenter sub notionem Ecclesiasticorum, & Sæcularium Iudicum cadit, sed potior est Iudicis præuenientis conditio, mixtum de vtroque participans, fit, & determinatur Ecclesiasticum per præuentionem. Quando autem persona quæ actione personali coram Ecclesiastico conuenitur est Ecclesiastica, seu ordinis Clericalis, causa ea non minus est Ecclesiastica, cum solus Iudex Ecclesiasticus sit illius personæ competens Iùdex: & ex consequenti officium Iudicis eatenùs est Ecclesiasticum. Denique sepositâ subiecti & materiæ, qualitatisque causarum disceptatione, quoties Ecclesiasticus est cuiuscunque causæ competens Iudex, & circa

eam

eam Iudicis munus exercet, causa eiusmodi ratione Iudicis cognoscentis dicitur Ecclesiastica, & qui cognouit, Ecclesiastico est perfunctus officio. Quod longè plus est, talis causa, etsi in origine, ratione materiæ, aut personarum fuisset prophana, tamen ratione Iudicis semel effecta Ecclesiastica, semper in apellationum instantiis remanet Ecclesiastica. Vt præter alios Ioannes Wamesius sub titulo de Iudiciis respondit. Quod postremum, quia inter Pontificia, & Cęsarea Prætoria exagitatur, isthìc indecisum habeo. Ad præsentem quæstionem sufficit, causam dum coram Iudice Ecclesiastico fuit competenter introducta, esse Ecclesiasticam, & ius dicentis officium dici Ecclesiasticum. Eamque fuisse Legislatorum, & pacisçentium mentem tam certum, quàm quod certissimum. Sicut & nulla est in verbis obscuritas: quæ generaliter disponunt omnes Clericalis ordinis homines, nisi quatenùs in publico laicali munere delinquerent, ab hoc Tribunali esse exemptos. In publico tantùm: quia pro actubus priuati muneris laicalis non sunt Vigintiduum-viris obnoxij: vt puta, si in mercatura, aut in arte, vel opificio, in agricultura, aut aliis in negotiis & rebus priuatis, seu vetitis, seu licitis excederent, Ecclesiastici fori priuilegio non minùs gauderēt. Publici laicalis officij Leodij, in quo clausula antedicta Pacti huius valeat verificari, ne alioquin dispositio inueniatur superflua & otiosa, non dëerunt exempla, quæ indaganti occurrent. Accipe aliqua. Tribunalia Parium Curiæ Feudalis, Allodialium, Consilij Ordinarij, Deputatorum Statuum sunt laica, quorum Ecclesiastici capaces sunt, & actu plures per illa consiliarij

visun-

visuntur, qui, si inter exercitium illorum munerum admittant quæ Pacto interdicuntur, coram Vigintiduum-viris de syndicatu iuxta Pacis tenorem erunt conueniendo. Quod priore memorato articulo de reditibus & prouentubus in Episcopi mensam, aut ærarium inferendis dicitur, ne exaudias, aut interpreteris, ipsa corpora, aut iura fundorum & redituum, vel ipsos fructus & canones: nullus enim mortalium dubitauit an venirent sub hoc iudicium, quod circa vim solam versatur: & vniuersaliter actutum subsequitur, Hærediorum & Fundorum (æquè censuum) quæstiones in iis Consistoriis, vnde bona mouentur pertractandas; excepto quod partes possint desuper Officialis iurisdictionem prorogare. Alius est in aperto sensus. Intellige quod vltra Principis personam (qui cum sit Ecclesiasticus & per eam qualitatem Princeps, non potest esse infra Clericos & Ecclesiasticos suos subditos expressim ab hac Pace exemptos) bona Principis in possessionibus, administrationibus, executionibus, & quotquot controuersiis eapropter emersuris Principem sequantur, nec quoquo nomine agentes, receptores, coloni, executores, vllive alij pro Principe eocircà actitantes, Vigintiduum-viralibus præceptis queant impeti.

CAPVT VIGESIMVM-SEXTVM.

De Pacto Tungrensi.

OMne bellum sumitur, cæterùm ægerrimè desinit. Non in eiusdem est potestate initium eius, & finis. Incipere cuiuis etiam ignauo licet, non deponitur, nisi cum victores velint. Leodienses præ alijs populis (Gandauenses olìm, dum à peculiari Comite regebantur, secundum ab ijs locum obtinebant, Cominæo iudice) præcipites fuere ad discordias, seditiones & bella aduersus proprios Episcopos & Principes, & ad extremum semper victi; clementiores tamen victores experti, qui pacem ijs pro bello retulerunt. Cum autem Pax vt plurimùm certis legibus & conditionibus iniretur, promiscuo nomine Pax, & Pactum fuit apellata. Ideoque vniuoca sunt Pax, & Pactum Tungrense, Pactum & Pax de Fexhe, Paces, & Pacta Vigintiduumviralia, & ita in cæteris. Leodienses verè cum Acheloo ab Hercule victo dicere possent,

— Sæpe vtile vinci
Victoris placidi fecit clementia victis,

Nam vt per armatas seditiones æquum, & iniquum, fas, & nefas confundebant, vix euenit quin quoties motus componerentur, Victor Princeps non indulgeret & remitteret aliquid è suis iuribus. Iam aliquid supra delibaui de Pacto Tungrensi, seu Sedecimvirali, quod in Oppido Tungrensi anno 1403. 18 die Augusti post secundam

cundam Hædrotiorum (latinè Ofores & hoſtes legum ſonat) ſeditionem, octo viri per Ioannem de Bauaria Principem, ſex Canonici, & duo Scabini equeſtris ordinis; & totidem per Ciuitatem, quatuor Equites, & quatuor Populares, aſſumpti, concluſerunt. Vbi docui Iudicialem Magiſtratus Ciuici notionem ab eo primùm pacto colorem, ſi non titulum acquiſiuiſſe, dum Sedecimviri, Principe in aduerſum obnitente, in materiis Statutorum Ciuicorum, Franciſiarum, Mercimoniorum, & eapropter contractuum, cenſuerunt Conſules, & Iuratos poſſe inter ciues cognoſcere. In reliquo abuſus Ciuitatenſium tollunt, & Principis authoritatem adſtruunt. Interdicto, ne deinceps arma, niſi authore Principe tractent, ne Eccleſiaſticorum, aut Sæcularium Tribunalium iuriſdictionem, litigantes, illorumve Aduocatos, & Procuratores interturbent, ne rebus Eccleſiaſticis, aut Beneficiorum & Sacerdotiorum prouentibus, ſe quoquo modo immiſceant: Cæterùm Litera Iacobina (quæ exagitabatur) firma conſiſteret, lex & forma circa donandos iure Ciuico exteros examuſsim ſeruaretur, extra pomærium vis Albanitionis deſineret, renuntiatio iuris vnum Conſulem, & certum Iuratorum numerum eligendi per Equeſtrem ordinem facta, rata foret. Vigeſimo quarto articulo regulam circa probationem debiti in mercando contracti præſtituunt, quam vereor vt hodie pragmatici in foro transgrediantur. Ea eſt. Quod quilibet integræ famæ mercator diario, ligno, aut tabulæ traditionem mercis annotans creditum ſuum vſque ad ſummam triginta librarum per vnicum teſtem, & priuatum ſuum iuramentum

idoneè iustificet. Nunc indistinctè practici, & sæpenumerò Iudices ex practicorum sententia in immensum, & citra precij restrictionem libris, & iuramentis mercatorum, nullo etiam testium adminiculo, fidem haberi volunt: quandoq; non sine periculo periurij aliquorum actorum, religione iureiurandi ad propriam vtilitatem alieno damno abutẽtium. Optarem huic malo medelam adferri. Eodem anno, sed die 28 Octobris, Princeps Sedecimviralem hanc Pacem vlterioribus articulis extendit: cui operi nomen est Moderatio Pacis Tungrensis. Vbi omnem simulationem & fraudem à pactis nuptialibus sustulit, mulieres mercaturam exercentes, non secùs ac viros ex proprio contractu teneri, & creditores personales debere primitùs mobilia excutere, voluit, actiones autem in quamcunque personam cedi vetuit. Quod postremum cuperem exactiùs obseruari, & cessionarios transgressores, alienarum actionum aucupes, à iudicij limine arceri. Scio sæpius fuisse in hoc peccatum, non memini vidisse correctum. Subsecutæ sunt duæ aliæ eiusdem Principis Bauari Ordinationes, vna anno 1416, altera 1417. quibus Tungrense fœdus elisum meritò fuit, vt antehac subindicaui. Et posteriùs per Pauli Secundi Pontificis sententiam 1465 pro abolito & cassato habitum fuit, vnico puncto Fiscales concernente Procuratores excepto, in his verbis, Non intendimus præiudicare modificationi Curiæ spiritualis Leodiensis per bonæ memoriæ Adolphum à Marka olim Episcopum Leodiensem, super reformatione officiatorum dictæ Curiæ, & Archidiaconorum Ciuitatis & Diœcesis Leodiensis editæ: Nec præiudicatum esse intendimus Paci

Tungren-

Tungrensi quoad numerum Fiscalium, & eorum officia exercenda. A duodecimo enim articulo illius Pacti Tungrensis vsque ad vigesimum tertium, salutaria profectò præcepta fiscos, & litium administros tangentia proponuntur: vt non immeritò Summus Pontifex cautum cupiuerit illorum obseruationi. Ea, quantum ad fisci Procuratores attinet, erant. Vt iuxta Adolphi prædecessoris Reformationes per totam Patriam & Diœcesim, Principis non essent vltra quindecim, Præpositi Leodiensis vnus, singulorum Archidiaconorum singuli. Iique omnes probæ vitæ, & nitidæ famæ, præuio examine idonei reperti, corrigendis de plano excessibus, non implendo marsupio, studerent, præscripta per Principem mercede contenti. Numerus ex parte Principis quindenarius non equidem modicus: sed pro magnitudine Diœceseos, quæ magnam Belgicæ partem complectebatur, non adeo magnus. Sicco calamo nonum Tungrensis Pacti articulum pertransire nimis siccoculum foret, quod in superficie anceps ancipitem fortè reddat legentis animum. Est iste. Posthac nulli alteri Oppido Ciuitas Franciſiam & Libertatem vllam impertitor: Consimiliter Dominus Leodiensis nullam cuique Patriæ Oppido Franciſiam & Libertatem libertatibus dictæ Ciuitatis præiudicio, aut nocumento futuram, irrogato. In cortice, parùm gnarus iurium Principalium suspicari posset correlationem & reciprocationem esse Principis, & Ciuitatis in puncto concedendarum libertatum, ex vicissitudine promissionis. Toto aberraret cælo. Libertates & Priuilegia quæcunque Ciuium Leodiensium, vel immediatè à Principibus in eos exiuerunt,

vel ab Imperatoribus, interuentu & contemplatione Principum. Lasciuire donatos tot fauoribus contigit, & in perniciem suam, & largientium, illis abuti. Id propè populorum vicium est, non seruare modum in Priuilegiorum indultorum vsu. Quod Augustum mouit, narrante Suetonio, vt vrbes quasdam fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites, libertate priuauerit. Incœptabant Leodienses sub Ioanne Bauaro, quod postea sub Ludouico Borbonio passis velis peregerunt: in exemptiones enim & libertates suas, aut illarum partem asciuerunt aliorum quorundam locorum Principatus incolas, & tanquam iure suo & ex se, Franciscas, vt apellant, contulerunt. Petri Ferrici Nuncij Apostolici Iudicis specialissimè delegati sententia anno 1464 decima die Septembris lata enormissimorum cassatoria attentatorum, adfert huic nebulæ lucem, in his verbis, Percipimus eos & contra leges Patriæ, Libertates, exemptiones & Franciscas vasallis & subditis Ecclesiæ Leodiensis, ac in locis in quibus ipsi subditi degunt, impudenter concedere, & in signum libertatis cum armis & tubis Perones siue columnas in medio fori dictorum locorum eleuare, & nomine Ciuitatis Leodiensis super hoc patentes literas concedere, per quas subditi locorum eorum exemptos se ostendunt, & pro eorum libito voluntatis viuunt, Ecclesiam Leodiensem, & illius Episcopum, quibus subiecti sunt, in suis iuribus minimè cognoscentes.

Cum ergo iam tunc perruptis reuerentiæ omnis repagulis per abrupta impudentiæ ferrentur, ostentantes nutantibus vicinis suarum libertatum collationes, vt sisteretur impetus vesaniæ, lubuit arbitris tanti attentati memi-

meminisse speciatim, & euellere radicem. Etsi enim lex communiter non soleat nisi in casu necessario remedium adhibere, & eorum quæ indubitabilia sunt, videatur superflua prouisio: tamen quæ speciali nota digna sunt, non male specialem capiunt expressionem. Nunc equidem alicui fructui & bono conceptum hunc articulum aduerto, qui sciam Hædrotiorum manes nuper adhuc locutos. Qui Ædem Cathedralem maioribus machinis sub Plateola, aut Plateolo sacrilegè prophanauit, per hoc, successor, vt fuit, in Consulatu nefariè futurus, nunquid postmodùm in amplo conuiuio, præsente Collega, & Ecclesiæ Diui Petri Decano, alijsque Ecclesiastici, & laici nominis viris, resuscitauit ab inferis improbum istud commentum, offerens ore largiloquo, & stultiloquo ipsismet Canonicis Priuilegia tribuere; & quia oblationem tanquàm stolidissimam reijcerent, excanduit, & vix à cæde sacrorum capitum sibi temperauit? Serpente Ciconia pullos nutrit, & inuentis per deuia rura lacertis. Ita per seditionem, & prauas artes Magistratum in Ciuitate adepti, intoxicatis fabulis, & fascinatis promissis Plebem Libertatum vento turgentem pascere conantur. Alterum mirarer: pactum scilicet quod Princeps non deberet alijs vrbibus largiri vllam libertatem, quæ in libertatum Leodiensiũ noxam vergeret, quod inde Principis dignitati detrahatur, & eius restringatur munificentia. Verùm Sedecimvirale Iudicium interpretor nec Principi quicquam ademisse, nec Ciuitatensibus addidisse, sed Libertates Leodiensium duntaxat saluas, & ratas voluisse. Tradunt Iureconsulti, Priuilegiatos non vti priuilegio contra eum

qui

qui idem secum habet priuilegium: & quando alicui vna seruitus conceditur, quod non possit alteri concedi alia seruitus, per quam seruitus primi impediatur. Subodoror præterea Leodienses aculeo conscientiæ ictos ob recentem suam ingratitudinem erga Principem, quem moribus suis truculentis coëgerant cum Curia nunc Diestemium, nunc Traiectum secedere, præueritos, ne sedem rursùs aliò transferret, & vrbem ad quam diuerteret potioribus beneficiis cumularet: aut exemplo Theoduini Principis, ex eadem Bauarica familia, qui pro affectu quo in Hoyenses propendebat, ijs concessit quod ad militiam non tenerentur proficisci, nisi Leodiensibus octiduo prægressis, aliarum vrbium bene meritarum Ciues singularibus dotaret prærogatiuis. Verè Cornelius, & iudiciosè suo more, Municipale hominum vulgus esse pronum ad suspiciones. Nec minùs inuidiæ æmulatione percellitur. Insitâ popularibus naturâ recentem aliorum fælicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo vidêre. Eadem sæpe primoribus labes: quod arduum sit eodem loci potentiam, & concordiam habitare. Tiberius Liuiæ matris artibus Principatum adeptus, mortuo Augusto, Senatoribus parentem & matrem Patriæ apellandam eam, & nomini Cæsaris adscribendam censentibus, anxius inuidia, & muliebre fastigium in diminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est, aramque adoptionis, & alia huiuscemodi prohibuit. Quod vnum erat Antiocho sanum consilium, de Annibale præparati in Romanos belli Duce deligendo, Thoas Ætolus amicorũ præcipuus

liuore

liuore tactus euertit, dictitans, nihil opus esse Regi Annibale Duce; comite & consiliario eodem vti posse, modicum fructum ex ingenio tali neque grauem, neque inutilem fore; si summa petantur & dantem, & accipientem prægrauatura. Ad quod sententiosè Liuius, Nulla ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quàm eorum qui genus, ac fortunam suam animis non æquant, quia virtutem, & bonum alienum oderunt. Pactum igitur de non augendis aliorum libertatibus cum decremento Priuilegiorum Ciuitatis, ne materia restaret suspicioni æmulatorum, qui plus alienis tabescunt successibus, quàm propriis indolent incommodis. Facetus est apologus duorum inuidorum, quibus ambobus Iupiter fecerat gratiam petendi quod vellent, obtinendique, ea lege vt duplum etiam collegæ daret. Alterum nil postulare voluisse, ne duplum socio esset; secundum petiisse vnum sibi erui oculum, vt collega vtroque orbaretur lumine. Etsi ad nauseam, multis huius, & prioris libri locis probatum sit Ciuitatem extorrem exsortemque fuisse omnis Iudiciariæ potestatis, nequeo tamen contineri quin eandem in rem adducam trium Cæsarum Rescripta.

Ottonis Secundi programma 8. Idus Ianuarij 981 habet, Nos eandem Ecclesiæ Leodiensis dignitatem considerantes, Imperiali edicto præcipimus, *nullus Comes nullus iudex, nisi cui Episcopus commiserit, audeat potestatem exercere super ea loca, neque placitum habere* aut freda, aut tributa, aut bannos, aut telonia, aut reditus de statione nauium exigere, neque in quibuslibet aliis, quæ vel nunc habentur, vel de cætero habenda sunt. Quod

Otto Tertius anno 985 Nonis Iunij, Henricus Secundus 1006. 4 Idus Iunij, & Henricus Tertius 1070 septimo Kalend. Iulij totidem penè verbis, singulari quilibet Diplomate, ratum fecerunt. Nisi quod ambo Henrici paulò latiùs, nempe, Firmissimè iubemus, vt deinceps *nullus Comes, nullus Iudex nisi cui Episcopus commiserit, in prædicta loca, vel in eorum territoria, quæ in quibuslibet pagis infra regni nostri ditionem*, vel nunc habentur, vel in futuro habenda sunt *ad causas audiendas, vel ad banna*, aut tributa, aut de statione nauium, vel de qualibet alia re, telonea exigenda, aut ad aliqua districtionis negotia super homines tam ingenuos, quam seruos in eis manentes exercenda, nostris, & futuris temporibus ingredi audeat, vel quicquam in eis contra voluntatem Episcopi, successorumque eius attentare præsumat, sed ipsi Præsuli, successoribusque suis, & nunc, & semper liceat res prædictæ Ecclesiæ, & illi subditarum, sub tuitionis, atque immunitatis nostræ defensione *remota totius iudiciariæ potestatis inquietudine*, quietas possidere. Per Comites significantur Grauiones, qui antiquissimo æuo in Oppidis & Pagis passim in Imperio ius dicebant; de quibus extat adhuc Caroli Magni lex, à Iusto Lipsio relata, Hoc missi (id est delegati) nostri notum faciant Comitibus, & populo quod nos in omni hebdomada vnum diem *ad causas audiendas* sedere volumus. Populo autem dicatur vt caueat *de aliis causis* ad nos reclamare, nisi de quibus, aut *missi nostri, aut Comites* eis iustitiam facere noluerint. At in mentem venit, Sigismundinæ Constitutionis me huc vsque nusquàm meminisse, qui tot Imperatoria oracula sparsim recensui, non ignarus in-

interim in ea constitutione magnum Leodienses reponere momentum. An aliquo fundamento, videamus.

Imperatoris Sigismundi Diploma datum Constantiæ, (quò generale Concilium immensis laboribus, & summo Christianæ Religionis bono indici obtinuit) anno 1417. 26 die Martij, est è præcipuis machinis, & arietibus Magistratus Ciuici aduersus Pauli Secundi sententiam, & quæcunque Rescripta, aut iudicata, aliunde quàm à Cęsareis Prætoriis emanantia. Hoc argumento, quod ea declaratione Imperator rescindat, & annullet compromissum aliquot ante annis in duos Principes factum, arbitralemque ab iis latam sententiam; eo motiuo, quia de Principatibus, Feudalibus, atque Regalibus Romani Imperij (Constitutionis Sigismundinæ verba sunt) non licet cuiquam absque Romani Regis authoritate, & expressa licentia quicquam disponere; neque submissiones tales, tam ex parte Episcopi, & Capituli, quàm ex parte Ciuitatis, Comitatus Lossensis, Patriæ & Incolarum, præter similem Romani Regis consensum expressum, vlla iuris aut legis ratione subsistant. Verùm sicut magni pendenda est Cęsaris Sigismundi ordinatio, index Regiæ sollicitudinis, & prouidentiæ; ita Magistratui nihil confert ad scopum, in quem collimat & dirigit. E contra Principis, & Ecclesię suę iuribus roborandis conducit. Narrat in ea Cæsar, quod cum pro vnione Sanctæ Matris Ecclesię, & ex innata compassione Franciæ, & Angliæ Regnorum, per multa tempora calamitatibus bellicis & stragibus attritorum, eorundemque tractanda pace, per Ciuitatem & Patriam Leodiensem, ac Comitatum Lossensem per-

transisset, vehementer ingemuerit ad deplorandum totius Regionis vastatæ, & desolatæ statum, & quod duo Principes arbitri, in quos, metu in constantem cadente virum, submissum fuerat, submissionis prętextu, præter alia ordinarant, post Franciſiarum, Legum, & Priuilegiorum ademptionem, Ne deinceps Episcopus, & Capitulum Leodiense vllas Franciſias, & Priuilegia possent ijs locis, & incolis absque suo consensu concedere, quodque Episcopus, Capitulum, Ciuitas, & Patria nunquàm arma leuarent contra Regem Franciæ, & Principes prędictos, nisi in Comitiua personæ Imperatoris, aut Rege Franciæ, aut Dominis prędictis per huiusmodi patrias in armis discurrentibus, sed transitum & remeatum liberè ipsorum exercitibus per Mosam fluuium præberent, adiecta etiam demolitionis plerorumque Oppidorum lege, & in contrauentores ducentorum millium florenorum, & perpetui tributi mulcta; hinc de Romanæ Regiæ potestatis plenitudine, submissiones & pronuntiationes antedictas cum singulis in eis contentis, & promissis subsecutis, nullius roboris, & virtutis existere declarat. Vbi dignum notatu videtur. Scilicet, quod ipsemet Episcopus, & Ecclesia Leodiensis principaliter tunc temporis Cæsari supplicarunt aduersus Laudum minimè laudandum Arbitrorum. Et quæ processit ordinatio, Principis, & Ecclesiæ fauorem primariò concernit, Subditos secundariò tantùm. Quod nulla feuda, nullaque Regalia populus possideat, aut ab Imperio recognoscat, sed Ecclesia in Principe. Episcopus autem & Princeps Ioannes Bauarus; qui eodem anno 1417 die vltima Aprilis, integro post Sigismundinam mense,

edidit

edidit adhuc vnum Regimentum seu Constitutionem, cuius pluries meminimus; & insequente anno 1418 per Procuratorem suum resignauit Episcopatum Leodiensem ad manus Summi Pontificis in eodem Concilio Constantiensi, Elisabetham Wenceslai Regis Romanorum filiam, Luxemburgi Duciſſam in vxorem ducturus. Quod eo fine indico, quia nonnulli sunt etiam eruditi, qui existimant hanc Sigismundinam contra Principem emanasse postquàm se Episcopatu vltrò abdicasset. Quod quàm sit improbabile iudicet æquus omnis Iudex ex comparatione temporum, & ipsiusmet Diplomatis tenore. Alterum est, quod ibi Cæsar nobilibus epithetis Ecclesiam Leodiensem decoret, & Principatum ab Imperio in feudum recognosci; *Quæ quidem Ecclesia* (inquit) *Sacri Romani Imperij membrum spectabile, & in partibus illis turris præsidij existit*, & paulò inferiùs, *Considerato quod Leodiensis Ecclesia quantò magis Sacri Imperij homagialis, & insigne membrum, & in finibus illis perutile munimen fuisse dignoscitur, tantò fortius imperialia iura in tam stupenda conquassatione læsa censentur.* Insuper totam Patriam esse Feudum Imperij, significat his verbis, *Inclyta nempe Patria hæc, quæ erat olim hortus amœnus, & velut viridarium Imperialis solatij, & in finibus illis turris præsidij in vilem desolatamque seruitutis conditionem gemit redacta.* Intelligit seruitutem laudo arbitrorum impositam. Tertium est, quod nulla procedere queat illatio valida ab hoc Compromisso & Arbitramento, Sigismundinæque motiuis, ad Pauli Secundi sententiam quinquaginta propè annis posteriorem. Quia Compromissum reuocatur tanquàm inuoluntarium, &

metu extortum, & quod Episcopus, Capitulum, Ciues & Incolæ sine Romanæ Regiæ Maiestatis licentia compromisissent in detrimentum feudorum & iurium Romani Imperij. Atqui coram Pio Secundo, & Paulo Secundo Summis Pontificibus legitimè fuit vtrimque prorogata iurisdictio, dum Leodienses ab Officiali Leodiensi ad Metropolitanum Colonienſem prouocarunt, & à Colonienſi Borbonius Princeps ad Sedem Apostolicam; vbi, & coram Nuncio Apostolico priùs, pleno iudicio fuit concertatum. Adde, quod Episcopus, & Capitulum non potuerant compromittere in Principes sæculares de bonis & iuribus Ecclesiasticis, vt sacris placitum est canonibus. Et, qui maximus fuit hic defectus, non licebat Compromissariis promuntiare aut arbitrari de ijs quæ non erant comprehensa sub Compromisso: Prout non comprehendebãtur prætacta puncta, in quæ lubuit Arbitris exspaciari. Duo fratres Thraciæ Reges Philippum Macedonem Alexandri Magni patrem disceptationum suarum iudicem elegerant, vt ius inter ipsos diceret, non vt sibi ipsi regnum vendicaret.

CAPVT VIGESIMVM-SEPTIMVM.

De Ordinationibus, vulgò Regimentis Principis Ioannis Hynsberghij.

PRincipi Ioanni de Bauaria, intermedio tamen Ioanne de Walenroda, qui menses decem, & quod excurrit

currit dierum, Leodiensem rexit Ecclesiam, successit Ioannes Hynsberghius Hasbaniæ Archidiaconus, 23 annorum adolescens, excellentissimi Principis Ioannis Heinsberghij & Lewenberghij filius, qui annis 1422. & 1424. egregias Leodiensibus Constitutiones edidit. Peregrinationem Hyerosolymitanam aliquando suscepit; & absoluisset, nisi Turcæ petitum de more saluumconductum denegassent, lecto Ducis Bullonienſis titulo: Recordati Heroëm Godefridum Bullonij Ducem postliminiò Hyerosolymas & magnam Iudææ partem armis suis Deo asseruisse, & inter prædictiones Turcicas iactari, Ottomannicam stirpem à Godefridi successoribus aliquando debellandam. Quàm altè ijs & nominis memoria, & ominis metus insedit? Ad minima expaueſcit insecura regnandi ambitio. Domitianus Metium Pompesianum interemit, quod habere Imperatoriam geneſim vulgò ferebatur, & quod depictum orbem terræ in membranis circumferret, seruisque nomina Magonis, & Annibalis indidisset. Caio Cassio occisi Iulij Cęsaris imago in mentem perennè occurſabat, & ex continua imaginatione putauit in acie Philippensi videre purpureo paludamento amictum, minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem: quo aspectu perterritus tergum hosti dedit, exclamans, Quid amplius agas, si occidisse parùm est? Huic Hynsberghio Consulatus, & Ciuicarum Domuum prerogatiua decus suum, & libertates plures debent. De ambobus egi antehac. Nonnulla restant, quæ se præterire me non permittunt. Dandum reor id bonorum Principum posteritati, vt quomodo meritis à promiscua administratione

sepa-

seperantur, ita in traditione rerum gestarum accipiant, habeantque propriam memoriam.

Pondero exordia constitutionum. Primæ quidem in anno 1422, gestationem armorum interdicentis. Cum, inquit, in Ciuitate, & Leuca bannali Leodiensi magnus sit numerus adolescentium, & aliorum discolorum, vitæ dissolutæ, parui facientium Iustitiam, Iudices, & Rectores suos; pullulantibusque adolescentiæ, & licentiæ nimiæ viciis, atrocia delicta processerint, veluti homicidia, membrorum mutilationes, mulierum raptus, vulnera cultris illata, Superiorum contemptus, & iniuriæ, & id genus, possentque in diem crescere, nisi misericordiarum Deus benignitate sua sisteret: Hinc Statuimus & Ordinauimus. Rursus perpendo frontem Commissionis 18 Ian. 1424 in Principis, Capituli, & Ciuitatis Deputatos ad consultandum de oportuno remedio reprimendorum excessuum datos; quorum consilio binæ Ordinationes eodem anno, vna 16 Iulij, altera 24 Octobris promulgatæ sunt, Quamuis, inquit, nostri bonæ memoriæ prędecessores matura deliberatione perplures leges salutares auertendis intestinis discordiis & excessibus ediderint, nihilominus iam pridem contra eiusmodi Constitutiones, pacta, & concordata diuersimodè attentatur, improbis multorum moribus & actionibus; concurrente eorum, quos eam in rem aduigilare oporteret, conniuentia; & Legum, Libertatumque, seu Franciſiarum Ciuicarum lenitate promptitudinem delinquendi acuente. Qualia crimina sunt, alienæ mortis machinatio, homicidia precio comparata, raptus virginum & fæminarum, Templorum propha-

prophanationes, domuum infractiones, & pleraque grauia delicta noctu & interdiu in Ciuitate magno eius dedecore, incolarum perturbatione, & signanter boni publici detrimento, patrata: ideo morbis eiusmodi mederi volentes commisimus deputauimusque infrascriptos, qui modum medendis & emendandis præscriptis excessibus suggerant. Ex quibus præfationibus & prænarrationibus quis fuerit tunc Ciuitatis status, & quàm ferax scelerum ætas edoceor. Neque tam voluntate, quàm necessitate Principem suis iuribus detraxisse, quod subditis accreuit. Similitudine Castoris, qui vna se mutilat parte, vt adlatrantium, & insequentium venaticorum canum morsibus se expediat. Libertatum etiam seu Franciſiarum carbasis & velis inflatam nauim eorum, qui tum temporis per altum ferebantur æquor viciorum, nihil sacrum, nihil sanctum ducentes. Pactaque & concordata minoris eos æstimasse, quàm Anaxarsis Leges Solonis, telæ aranearum eas comparans, quas maiuscula volatilia peruaderent: cum omnes promiscuè, & maximè ex infimo plebis subsellio, aduersus leges & pacta grassarentur. An autem periculorum remedia sint ipsa pericula, & pro regendo equo sessorem non ferente prosit semper, vt Alexandro in Bucephalo domando profuit, laxare frænum, & augere libertates populi per nimias libertates tunc luxuriantis, examinandum aliis propono. Optima mente fecit Princeps: vt qui vinum ægro sitienti loco crudæ aquæ propinaret. Euentus equidem non adfuit: & neque Hynsberghium ipsum Legislatorem, neque Borbonium succeſſorem Plebs pacatè habuit. Proprio, an communi

vicio, ne dicam, iuxta Xenophontem, fato, quod nullum animal in rectorem & pastorem suum seditiosum sit; solus homo, quem ratione duci deceat, ijs qui præsunt aut imperant, insidias struat.

Octauus articulus Hynsberghicæ ordinationis 16 die Iulij 1424. publicatæ, iure quasi suo elicit necessarium, sed breuem de Saluagardiarum concessione, per Magistratum Ciuicum in Regalium probationem vsurpata, discursum. Tenor est. Satuimus insuper & ordinamus quod quisquis intra ditionem Episcopatus Leodiensis, & Comitatus Lossensis violauerit inducias, assecurationes, aut quadragenas obtentas, aut decretas per Iudicem, per duodecimviros gentilitiarum familiarum, per Magistros Ciuitatis, aut mutuo partium consensu probatas, & legitimè de infractione constiterit, vltra pœnas legibus determinatas, dexteræ manus amputatione puniatur. Ad eundem modum, qui iuratas assecurationes infregerint aduersarios suos inuadendo aut vulnerando, coërceantur, nisi euidenter appareat ex noua causa id per eos fuisse factum. Primo aspectu arbitretur quilibet ius concedendæ Saluagardiæ hoc articulo Consulibus tribui aut cognosci. Secus sentio, & ostendo. Affinia sunt, & ad se inuicem accedunt, Cautio de non offendendo, aut Mandatum & Inhibitio de non offendendo, assecuratio vel assecuramentum, & Saluagardia: sed nullum simile est idem. Cautio locum vendicat, cum iusto aut probabili metu veritus ab altero offendi Superioris authoritatem implorat, vt idoneè sibi in personæ suæ, aut suorum securitatem caueatur. Eaque cautio rectè ab ordinario Iudice petitur, & conceditur

ceditur sanctè. Qua de re extat sanctio Martiani Imperatoris redacta in Codice sub titulum de his qui ad Ecclesiam confugiunt, à Doctoribus omnibus ad præsentem materiam applicata. Denuntiamus, inquit, vobis omnibus, vt in Sacrosanctis Ecclesiis abstineatis ab omni seditione; nemo moueat tumultũ, vel conuenticula collecta multitudine in qualibet parte Ciuitatis, vel vici, vel cuiuscũq; loci colligere, aut celebrare conetur. Nam si quis aliquid contra leges à quibusdam sibi existimet perpetrari, liceat adire iudicem, & legitimum postulare præsidium. Quod si quis contra agere aliquid, aut seditionem mouere tentauerit, vltimo supplicio subiacebit. Inhibitio ne quis alium offendat iure etiam à Prætore & Iudice decernitur, cum subest offensæ, aut armorum periculum: cum ad officiũ Magistratus pertineat aduigilare ne potentior imbecilliorem, improbus innocentem, ciuis accolam, aut aduenam per vim opprimat. Quod non tantùm ad querelam & postulationem partis, sed proprio motu, & ex officio (vt rectè tradit Iulius Clarus, & ad eum Baiardus) potest, & quandoque obligatur superior quiuis facere. Imò ex charitate Christiana nemo non à proximo iniuriam auertere debet, quantùm potest. Et satius est in tempore occurrere, quàm post vulnus remedium quærere. Miserum est tum demum fodere puteum cum sitis fauces vrit. Adhæc, omnia prius experiri quàm armis sapientem decet. Hæc inhibitio multùm participat cum mandato de non offendendo. Istud tamen strictius & neruosius habetur, & à maiore authoritate promanat. In hoc casu, & in alijs quibusdam specialibus solet Camera Spirensis à præ-

cepto incipere, & mandatum sine Clausula relaxare; quia iuri Diuino, Gentium, Ciuili, & Constitutionibus Imperij consentaneum est, vim coërceri, & quietem publicam conseruari.

Fundatur super Constitutione Pacis publicæ, & decernitur sub pœna banni absque vlla clausula iustificatoria. Eiusmodi mandata de non offendendo notum est non posse à Ciuico Magistratu concedi: at bene à Principe Regalia per totum Principatum exercente, cui potestas competit banni pœnam interminandi, saluo quod eius bannum constringetur suis territoriis & prouinciis, nec proscriptos extra territorium morantes afficiet. Vbi Imperiale bannum extendit se per totum Imperium. Est & altera ratio, quia ius armorum est penès Principem, & vsus illorum inconsulto Principe est interdictus: vt haut mirum sit Principi licere; & Consulibus, Consilioue Ciuico prohiberi. Securitatem, seu Saluum conductum, barbaro vocabulo saluamgardiam vocant. Saluagardia est propriè securitas & tuitio Principis, vel Reipublicæ Regalia & Principis iura habentis. Vnde qui eam scienter fregerit pœna criminis læsæ Maiestatis, teste Boërio venit puniendus. Etsi nonnunquàm præstita per inferiores securitas, saluagardia, at impropriè, nuncupetur. Certè saluamgardiam absolutam, quę defensionem iuris & facti continet, solum Principem concedere, præter alios, Ioannes à Platea, & Neuizanus edocent, quandoquidem armorum vsus solius sit Principis. Quod explorati esse iuris prorsus arbitror. Consulibus & Ciuitati vetitam esse securitatum & saluorum conductuum concessionem expressis verbis Pauli Secundi sententia decidit.

cidit. Philippus Galliarum Rex in arbitramento anni 1333 per articulum tertium, Principi non modo intra totam Patriam, sed per integram Diœcesim adiudicauit, Licebit, ait, Principi Quadragenas & mandata de non offendendo emittere per totam Diœcesim Leodiensem. Engelbertus de Marka Princeps in Litera sua Nundinali 1350, quò itus & reditus sit ad nundinas cunctis mercatoribus & alijs venire volentibus tutus, securitatem omnibus pro se, suisque subditis per vniuersa loca sibi subiecta spopondit. Profertur adhuc exemplum declarationis aliquot Brabantiæ Oppidorum, nominatim Louanienſis, Bruxellenſis, & Antuerpienſis 1356. 13 Octobr. huius tenoris, Placet nobis quod Dominus Epicopus, & eius succeſſores, Officiati, Homines, Iudices quietè fruantur quibuſcunque ſuis iuriſdictionibus ſpiritualibus & temporalibus: quodque Pares Curiæ Feudalis dicti Domini Epiſcopi poſſint ſecurè authoritate eiuſdem Epiſcopi intra omnem amplitudinem finium Diœceſeos Leodienſis quadragenas & mandata de non offendendo denuntiare. Princeps Ioannes Bauarus primo articulo ſui Regiminis (ſic ordinatio vocatur) 1416 ita ſtatuit, Ordinauimus quod quicunque intra Ciuitatem noſtram, aut eius Franciſiam interemerit hominem vtriuſvis ſexus, aut quenquam ciuem extra pomœrium, vel quadragenas ſeu aſſecurationes noſtras, Prætoriſve & Scabinorum, vel duodecim familiarum illuſtrium, induciaſve per amicos partium & viros probos fidedignos in præſentia duorum teſtium omni exceptione maiorum pactas, violauerit; & qui inuitam mulierem, innuptam vel coniugatam rapuerit, aut cognouerit, etiamſi

nobis & parti offensæ satisfeciſſet, nihilominùs antequam regreſſus ei in Ciuitatem detur, decem florenos Rhenenſes in vſum Ciuitatis perſoluet. Non diſſimulem in Statutis Leodienſibus ſub authoritate Principis Adolphi 1348 exaratis inueniri ſequentem articulum, Pro omni exceſſu in Ciuitate noſtra admiſſo vbi percuſſio interceſſerit, aut factum atrocius, Prætor cum duobus Scabinis poterit ad ſtatim indicere armorum ceſſationem ad quadraginta dies, vel etiam Magiſtri Ciuitatis ad prȩcauendum periculum imminens poterunt cum duobus Iuratis idem præſtare. At nec illinc, nec ex Hynsberghicæ Conſtitutionis octauo articulo quicquam colligitur. Quippe vltra quod Adolphus ſubordinatè & in caſum vrgentis neceſſitatis ſeu diſcriminis duntaxat faciat Conſulibus licentiam vetandi ciuibus hoſtilia inuicem meditantibus geſtationem armorum, non ordinaria Conſulum poteſtate, ſed extraordinaria & delegata id præceptum fieret. Quod Delegatum delegantis vice fungi, & aliena non ſua authoritate præcipere nemo neſciat. Itidem Princeps Bauarus adijciendo ordinarijs pœnis extraordinariam aduerſus ſecuritatis denuntiatæ, aut pactæ infractores, & Magiſtros ſeu Conſules exprimendo inter denuntiantes, non magis attribuit Conſulibus ius ſaluagardiæ, quam ipſis partibus, aut partium propinquis induciarum mediatoribus & authoribus, quarum interim infractionem pari ſupplicio voluit expiari. Imo æquitatem in hac facultate denunciandi Conſulibus conceſſa conſidero, vt qui ciuibus præpoſiti, paternam illorum curam ſuſcipere debeant, pugnas & cædes auertere, & pro authoritate qua

apud

apud vulgus hominum valent, furentium rixis interuenire. Neque duodecim illustres familiæ eodem memoratæ articulo pręsumpserunt vnquam ius assecurationis eiusmodi sibi arrogare, agnoscentes id precarium & gratuitum, bonique publici causa per Adolphum Principem permissum. Dum anno 1335 in mense Maio senis hinc inde Illustribus familijs post fusum largè per longissima intestina bella, an duella dicam, mutuum sanguinem, in senos vtrimque arbitros maiore parte equites, compromittentibus, expressa Principis Adolphi accedente authoritate, duodeni arbitri in roborationem laudi, per secundum & cæteros sequentes articulos seuera de non offendendo mandata in omnes & singulos duodecim Prosapiarum gentilitios, qui quenquam dolo malo occiderent, mutilarent, aut iniuria afficerent, promulgauere. Securitatibus & saluis conductibus affine est ius asyli, quod est de genere Regalium, neque Ciuitati potest competere. Homicidis interim, & pluribus facinorosis nimis crebrò pro asylo fuit. Vt iure merito vetet Princeps, ne loca deinceps habeant, quæ sint tuta maleficorum receptacula. E Regalibus esse ijsque maioribus documento sunt leges, & historiæ. Vt taceam, Deum in antiquo testamento sub Iudicibus certas vrbes in asylum statuisse indeliberatè, & præter propositum delinquentibus: & sub Regibus ad aram sacram confugientibus tutum fuisse, à qua Salomon Rex Ioabum militiæ sub Dauide Præfectum proditorium homicidam auelli & perimi iussit. Pontificiis & Canonicis Constitutionibus Ecclesiæ & templa immunitatem, exceptis atrocissimorum criminum casibus,

præbent. Vt & Cæsareæ sanctiones, quæ eandem Statuas Imperatorum quondàm amplectentibus tribuebant. Vetere etiam Roma, virginis Vestalis occursus ei qui ad supplicium ducebatur saluti erat. Necnon in honorem Augusti obseruatum, ne quoties is ex Prouincia, aut rure introiret Vrbem, supplicium de quoquam sumeretur. Cadmus Agenoris filius Thebarum conditor vt habitatores haberet, fugitiuis quibusque securitatem dedit. Romulus iactis Reginæ Vrbis fundamẽtis, lucum in vna eius parte velut sacrum pro asylo designauit. De quo Ouidius

Romulus vt saxo lucum circumdedit alto
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Sexcenti Afri à Dionisio ad compescendos Lucanos missi qui expugnato eorum castello Oppidum ibi Brutiorum, à Brutia muliere quæ Castellum prodiderat apellatum, extruxerunt, pastores vndecunque conciuerunt proposito & aperto asylo. Vrbi Valentiniarum in Hannonia (si Iacobo Guisio, & post eum Ludouico Guicciardino credimus) Valentinianus Imperator, qui eam condidit, & aliquamdiu insedit, ius asyli erogauit, Romuli exemplo, non per Oppidum totum, sed in aliqua illius parte, nuncupata hodie Banchieu, vt ambo præcitati inquiunt. Templum Delium cum luco inuiolabile olim fuit perfugium. Celebris illa Græcarum vrbium tempore Tiberij Cæsaris legatio pro asylorum fuorum conseruatione supplicantium. Inter quos Ephesij, Magnetes, Aphrodienses, Hierocæsarienses, Cyprij, potiores partes egerunt, ad Senatum à Tiberio remissi, vt

vt introspectis Regum qui illa instituerant decretis, & numinum religionibus firmaret, vel mutaret. Compescendæ asylorum eiusmodi licentiæ causam edit Historicus, Crebrescebat enim Græcas per vrbes licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis seruitiorum, eodem subsidio obærati aduersus creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec vllum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum, vt cæremonias Deûm protegentis. Simulacrum cernere, aut audire videor Vrbis Leodiensis, vbi flagitiosi luxuriant fumo libertatum, asyla impunitatis sceleribus parant, priuilegia vbique obtendunt & intonant, queis solis ea sunt vsui in quietorum & innocentum cladem.

CAPVT VIGESIMVM-OCTAVVM.

De Protectore.

QVicquid habent telorum armamentaria Erebi expromunt perduelles, Cęsari & Principi suo æqualiter iniurij. Nuper quidem in suis conuenticulis vt Principis authoritatem exsibilabant, ita Imperij iurisdictionem abrogabant, non nisi illius protectionem agnoscentes. Et in priuatis cætibus de Liligero Protectore sæpius actitatum. Nunc omni exuto pudore Libellis in Calcographia Ciuica (vt vocant) editis, palam audent asserere Cæsarem non esse nisi nudum Ciuitatis protectorem, & creduliorum animos imbuerunt li-

citam esse alterius Protectoris electionem. Idiotas, qui id iam pro dogmate & vno Reipublicæ suæ Principio tenent, iuuant aliqui scioli & literiones, qui quod aliquando legerint aut audiuerint in Iurisprudentia & Politicis tractari, vtrum subditi possint vltra ordinarium suum Dominum accipere alium potentiorem in aduocatum & protectorem, in hanc inclinant partem. Quibus tenebrionibus siparum, & velum tollam, vt subducta nube diem cernant. Ius patrocinij & protectionis ab antiquo fuit. Humiliores namque & tenuiores solebant diuitem aliquem & potentem obseruare & colere, sub cuius ope & tutela aduersus aliorum vim & oppressionem salui & incolumes essent. Romulus delectis centum Senatoribus populum vt sub illorum protectione esset, distribuit, diris in eos execrationibus vibratis qui clientem fefellissent. Quod sub Regibus incœptum, sub Consulibus fuit continuatum. Patriciis longæ erant clientelæ, & per clientes suos in popularibus Comitiis multo tempore prævaluerant; donec Volero tribunus plebis eam Patriciorum in suffragiis imminuit authoritatem, lato Plebiscito, vt deinceps Tributis, non Centuriatis Comitijs crearentur Magistratus. Appius Clausus dein Claudius dictus, ex Rhegyllorum oppido Romam commigrans, clientelam bis mille hominum comitantium habuit, qui in vnam nouam Tribum Claudiam redacti Tribuum numerum auxere, dum ante non essent vltra triginta. Hi clientes ingenui, non seruilis, aut libertini generis erant: quanquàm postea, ex seruis manumissis seu libertis oriundi in clientum agmen sint relati. Secus quàm apud Parthos vbi pauci erant liberi, & innu-

innumeri ſerui liberorum Dominorum clientes: nulla heris eos manumittendi poteſtate permiſſa, ac per hoc omnibus ſeruis naſcentibus, creſcente in dies vernarum multitudine; quos pari cura ac proles ſuas habebant, equitare & ſagittare edoctos, & maiorem exercituum partem conſtituentes. Adeo vt Antonio bellum Parthis inferenti cum quinquaginta millia equitum occurrerent non fuerint niſi octingenti liberorum capitum, Iuſtino poſt Trogum Pompeium ſcribente. Alienigenæ etiam peculiares Romæ patronos honorabant, vt Syracuſani Marcellum, in cuius tutelam ex accuſatoribus facti ſupplices ſe dederunt. Sextus Cæcilius Iureconſultus apud Gellium oſtendens populum Romanum omnium maximè fidem coluiſſe ſanctamque habuiſſe tam priuatim quàm publicè, ait, Sic clientem in fidem acceptum chariorem haberi quàm propinquos, tuendumque contra cognatos cenſuiſſe. Neque prius vllum facinus æſtimatum, quàm ſi probaretur clientem deriſui habuiſſe. Eò tendebat lex Duodecim Tabularum, Si patronus clienti fraudem faxit, ſacer eſto. Et idem Gellius officiorum ponens gradum & ordinem, dicit, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque noſtræ creditos: ſecundùm eos, proximum locum clientes, qui ſeſe itidem in fidem patrociniumque noſtrum dederunt: tum tertio loco eſſe hoſpites, poſtea eſſe cognatos affineſque. Teſtimonium aduersùs clientem nemo dicit: aduerſus cognatos pro cliente patronus teſtatur. Porrò ius Protectionis ſeu Aduocatiæ fiduciariæ & tutelariæ, nullam patrono & protectori iuriſdictionem tribuit, qui proinde non poteſt clientes

suos collectare. Neque per protectionem potentiorum læditur minuiturve ordinaria iurisdictio, sed salua ea & integra permanet. Quo argumẽto visum aliquibus fuit, licere subditis ignaro vel inconsulto Domino alium in patronum & protectorem assumere, quia id citra Domini noxam aut præiudicium fit, & quod alicui prodest, & alteri non nocet de facili permittitur. Quàm debilis & parum ea sit efficax ratio ex infradictis patescet. Extra præsentem enim materiam non lubet euagari. Ad quam restringo stilum; pro assertionibus subijciens.

Inutilem imprimis si non proteruam futuram propositionem retinendi aut mutandi Protectoris in Ciuitate Leodiensi respectu Imperij, ob id quod Leodienses sint veri subditi Imperij & Cæsaris, quemadmodum largissimè priore Libro demonstraui, & hoc capite pauculum addam, vbi impudentis scripti impudentiores obiectiones refellam. Dominus autem nequeat à subditis commutari aut derelinqui sine læsæ Maiestatis reatu.

Deinde quotquot Doctores & Politici tractant, an subditi & vasalli Imperij possint sibi peculiares deligere Protectores (Vdalricus Zasius, & Hyeronimus Schurff in consilijs, Andreas Gail, & Petrus Fridericus Mindanus, ille in suis obseruationibus, hic Libro Secundo Mandatorum Cameræ, videri inter alios poterunt) loquuntur de Protectoribus intra non extra Imperium deligendis; qui scilicet sint Imperio etiam, & Imperatori subiecti, vt neque ordinaria immediati superioris iurisdictio offendatur, neque Imperialis authoritas in quoquam interuertatur. Extra hunc casum de Protectoribus, vanitatis, si non infidelitatis, esse indaginem.

Quin

Quin vbi de Protectoribus agitur, ad eos maximè recurrendum, qui sunt proximi ordinariorum Dominorum superiores; veluti Leodiensium ordinarius Dominus & Princeps est Episcopus, cuius proximus superior est Cæsar; quem proinde Cæsarem, si de Protectore eligendo esset quæstio, inuocari in defensorem oporteret, eundem supremum & mediatum Dominum, protectoremque vnà futurum. Aliquæ micant huius iguiculi scintillæ in Priuilegijs Cæsareis Ciuitati & Patriæ concessis; in quibus legere est, quod Imperatores in suam, & Sacri Romani Imperij fidem, protectionem & saluagardiam suos subditos & vasallos recipiunt, ad ipsorummet Principum requisitionem. Tertio. Vt subditis liceat alterius Principis aut Domini protectioni se committere, præterquàm quod Protector debeat, vt dixi, eundem recognoscere supremum Principem seu Cæsarem, oporteret legitimam intercedere causam: puta, quod ordinarius, vel non possit, vel nolit, aut nimium differat subditos suos ab oppressionibus externis defendere. Nam qui ordinario inscio absque rationabili causa alienam implorarent tutelam, atrocium iniuriarum tenerentur. Quarto, nec protectorem habentes possunt temere & absque iusta causa illum dimittere, aut alium apellare: quia quod ab initio erat meræ voluntatis, ex post facto videtur effectum necessitatis: & ius semel cuipiam quæsitũ, nequit ipsi sine suo facto & consensu auferri. Absit interim vt Ioannis Bodini sententia libro de Republica quinto capite sexto, iniqua mehercule & improba, approbetur, audacter affirmantis, patrono & defensori licere dominium & ius Princi-

patus in clientes sibi vendicare, quoties pactis & conditionibus contraueniunt. Imò verò cum protectores munus & officium protectorum excedunt, clientibus occasio detur à protectione recedendi; licet vbi pœnitendi & variandi causa deest, compelli queant vt sub protectione remaneant. Quintò, ob hanc rationem, quod sæpe contra fas & æquum praua dominandi libido protectores quosdam transuersim agat, qui loco defensionis, iura & imperium in clientes vsurpant; cuius rei Græcorum & Romanorum historiæ non pauca subministrant documẽta vt in Antiocho Syrię Rege, & Philippo Persei patre in Græciam specie conseruationis inhiantibus, prudentes scriptores fatentur protectiones huiusmodi plenas periculi, & sub specioſis floribus occultos aliquando latere casses, queis innectitur, illigaturque libertas. Et columbarum apologum omnibus obuium proponunt, quæ accipitrem in protectorem aduocantes, deuoratorem sunt expertæ. Quem Carolus Sigonius venusto versu expressit,

Accipitrem Milui pulsurum bella Columbæ
Accipiunt Regem, Rex magis hoste nocet.
Incipiunt de Rege queri, quia sanius esset
Milui bella pati, quàm sine Marte mori.

Sicut affines inuicem sunt Tutores, & Protectores, Pupilli, & Clientes, sacraque vtrisque debet esse in sibi commissos fides; ita quibus nihil sacrum, nihil sanctum est, eam regnandi causa violare solent. Adeò vt non admodum fallantur qui è radice tutoria tyrannidem omnem pullulasse dicũt: dum ex hpmine & custode rerum alie-

alienarum administrator fit lupus, pupillum fortunis, & quandoque vita euertens. Ad eam similitudinem qua, vt inquit Plato de Republica, fabulabantur in Arcadia ad Iouis Lycæi templum homines in lupos transformari, qui humana viscera cum aliarum victimarum visceribus incisa degustassent. Sic Philippus Alexandri Magni pater tutor nepotis infantis filij Perdicæ, bellis imminentibus velut serum esset in infante auxilium, regnum suscepit. L. Tarquinius Priscus liberis Anci Martij testamento tutor datus, ablegatos specie venandi sub ipsum Comitiorum tempus pueros, regno exclusit. Tripho qui se tutorem Antiocho Demetrij priuigno substitui à populo impensè laborauerat, occiso pupillo Syriæ dominatum inuasit. Mythridates Ponti Rex insidias tutorum suorum dum nunc venandi studio, nunc antidoti potu declinat, viam futuræ magnitudini strauit, & ne veneno mori senex posset, effecit. Sed non Reginæ Arsinoës duo impuberes filij fraudem impij Ptolomæi auunculi sui effugerunt, quibus ille sub specie pactarum cum matre eorum, eademque sorore sua, nuptiarum, vitam ademit, vt Cassandriam Vrbem, & arcem inexpugnabilem adimeret. Alia Senatus Romanus fide; & verè Romana, qui mortuo Ptolomæo Ægypti Rege qui tutorem populum Romanum filio reliquerat, Philippo & Antiocho potẽtissimis Regibus facta inter se pactione iam regnum Ægypti diuidentibus, & per legatos vtrique vt ab eo regno abstinerent nuntiauit, & M. Æmilium Lepidum bis Consulem ad pueri tutelam gerendam Alexandriam misit. Cuius beneficio regia incunabula cum regno integrè, conseruata pariter ac decorata

corata fuerunt. Rariſſimi ſunt Lycurgi, & Ferdinandi, qui fidem imperiis & ſceptris anteponant. Miracula regnorum ſunt. Lycurgus, qui cum Polydectæ fratri ſuo Spartanorum Regi ſucceſſiſſet, ventre adhuc vxoris incerto marem an fæminam pareret, Charilao dein poſthumo nato ad adultam vſque ætatem diadema reſeruauit, & adulto optima fide reſtituit. Et Ferdinandus, Aragoniæ poſtea Rex Magni Adolphi Aragoniæ & Siciliarum Regis pater, qui defuncto Henrico Caſtellæ Rege fratre ſuo, filio infante relicto Ioanne duos & viginti menſes nato, in conuentibus publicis in eam rem indictis ſollicitatus vt vel regni & boni publici cauſa capeſceret fraternum regnum, non ignarus affectuum & importunitatum, infantem chlamyde tectum occultè intulit, & Magiſtro equitum de communi iterum ordinum conſenſu rogante, quem Regem renuntiari vellet, puerum aperta chlamyde detexit & in ſublime extulit, nomen Ioannis Regis crebrius, vt mos eſt, ingeminans.

Sexto. Hodie ſecundùm Imperij Ordinationes, in Imperio citra imperialem authoritatem, propriique Domini aſſenſum, nullæ Vrbes & Ciuitates ſocietates inire, nedum in protectionem cuiuſquam venire poſſunt. De ciuibus Leodienſibus, & totius ditionis incolis ſpeciale extat Henrici Cæſaris reſcriptum datum apud Wormaciam 1231. 13 Kalendas Februarij, his verbis, Cum per Principum noſtrorum ſententiam ſit definitum, quod nulla Ciuitas, nullum Oppidum in Regno noſtro conſtitutum abſque Domini ſui aſſenſu facere poſſit communiones, conſtitutiones, confæderationes, colligationes, ſeu coniurationes aliquas quocunque nomine cenſean-

censeantur, fidelitati vestræ firmiter prçcipiendo mandamus, quatenus ab omnibus communionibus, confæderationibus, colligationibus seu coniurationibus, quibuscunque nominibus apellentur, quas inter vos illicitè feciſtis recedentes, Dominum vestrum Leodiensem Episcopum in omni eo iure & dominio, in quo Prædeceſſores sui fuerunt, esse plenariè permittatis. Si communiones, & confæderationes quæcunque inconsulto & non assentiente Principe vetantur, quo modo Protectoris assumptio toleraretur? Quæ non absque præuia communione, & confæderatione tractari, aut stabiliri potest: cum inter eos quos natura non fecit inuicem protectores & protectos, patronos & clientes, fœdere mutuo opus sit ad eum nouitatis nexum.

Septimo. Plebi per incantationes vetusti & exoleti iam nominis Protectoris dementatæ accidit quod Tyndaro seruo Hegionis prædiuitis filio agnito in Comædia, præ gaudio exultanti, *Nunc egò demùm in memoriam redeo cum mecum cogito, audisse me quasi per nebulam, Hegionem patrem meum vocarier.* Cum enim, vt Tyndaro, nihil ei gratius sit libertatis vocabulo, ad commemorationem aliquorum, quos fraudulentus narrator ait fuisse protectores & mamburnos, sibi ipsi applaudit, quasi fabam repererit. De mamburno & defensore, qui in interregno, seu Sede Principali vacante, vicem Principis agit, nulla quæstio: at de alterius generis protectore, qui viuo & regnãte legitimo Principe vim authoritatis occupat. Frequentiora quàm optandum foret, leguntur exempla. Anno 1315. contra Principem Adol-

phum de Marka Rebelles in sui fœderis Mamburnum (verbũ est Annalistæ) elegerunt Comitem de Chingni. Anno 1374. aduersus Principem Ioannem d'Erkel renuntiarunt Mamburnum Waltherum de Rupeforti. In Principem Ioannem Bauarum auspicante decimo quarto à Christi Natiuitate sæculo, ab Hædrotiis dictus fuit tutor & Mamburnus Henricus de Horn Peruuisij Dominus. Anno 1465. Razo Herensis eques è capitibus Rebellium, Marchionem Badensem largis Galliarum Regis promissis, & præmio Mamburniæ pro ipso, Episcopatusque pro filio, allectum è penatibus Leodium adduxit, Ludouicum Borbonium Principem Cathedra & Principatu pulsurus. Sed per nebulam tantùm hæc reuocat impostor in populi memoriam, spargens escam, & occultans decipulam. Causas, & euenta tacet. Acciti sunt ardentibus seditionibus Duces: nec impunè fuit acceptantibus. Henricus Peruuisius cum filio in acie cecidit, notâ posteritati suæ inustâ. Walthero de Rupeforti, etsi non eò vsque væsaniæ prouecto, pessimè cessit. Marchio Badensis Mamburnus inauguratus vt existimationem suam speciosis obtentibus circumuentam vidit, (etsi Razonis fidem Rex Galliarum exsoluisset, & in suppetias sex peditum millia, & quatuor equitum Centurias misisset) sapienter clam desertis Leodiensibus in Germaniam recessit. Comes de Chingni vel delatum munus non suscepit, vel breui abdicauit.

Postremò anonimus libelli illius (qui intitulatur Euigilans Leodiensis) author, per meram sycophantiam imponit ignaræ plebi, quod Imperator Maximilianus Primus anno 1486 die 25 Aprilis literis suis, queis

queis concordiam Principis & Ciuitatensium peragit aut confirmat, non se supremum Leodiensium Dominum dixerit, sed Aduocati nomen assumere voluerit, quod tamen fuerit denegatum. Benè est, quod malitia non habet tantas vires, quantos conatus: Periisset veritas, si semper nequitiæ & mendacio iuncta esset potentia. Cedo, vbi sunt eæ Literæ Maximiliani Cæsaris, quæ Aduocati titulo, instar laureatarum, quæ victoriæ denuntiatrices erant, superbire voluerunt? Leodiine, an Coloniæ, vel quo terrarum loco sunt exaratæ? Equidem Maximilianus Primus non potuit eo tempore esse Leodij arbiter Pacis inter Episcopum & ciues, maioribus publicis, & propriis negotiis in Germania occupatus. Illo ipso anno, die decima sexta Februarij fuit electus Francofurti Romanorum Rex, & decima Aprilis argentea corona Aquisgrani redimitus: vnde cum Patre Frederico Tertio Imperatore Coloniam iuit, & ibi cum eodem mansit vsque ad vigesimam diem Martij, qua, valedicto patri (qui vsque ad annum 1493 Imperatoriis insignibus retentis superuixit) in Belgium suum properauit. Coloniæ non possunt esse dictitatæ, quandoquidem postridie ementitæ per hunc sycophantam datæ, scilicet die 26 Aprilis Rex Maximilianus specialibus suis literis Coloniæ datis ad Deputatorum Leodiensium preces, sub suam saluagardiam & protectionem eos receperit, deputato iisdem ratione Pacis eiusmodi initæ in Conseruatorem Philippo de Cleues, qui triennio ante fuerat sui exercitus Præfectus vindicis Ludouici Borbonij Episcopi crudeliter & proditoriè apud Leodios trucidati.

Saluagardiæ & Conſeruatorialium ſimul verba ſubiicio, Maximilianus Dei gratia Romanorum Rex &c. Notum facimus quod ad humilem petitionem Ciuium & Incolarum corporis & communitatis Noſtræ Ciuitatis, Leucæ Bannalis & Franciſiæ Leodienſis, necnon mediante tractatu pacis per nos facto & concluſo inter Reuerendum in Chriſto Patrem Dilectum & Fidelem Epiſcopum Leodienſem ex vna parte, & dictos ſupplicantes ex altera, ratione mutuarum controuerſiarum, ſuſceperimus & receperimus, prout vigore præſentium recipimus & ſuſcipimus dictos ſupplicantes & eorum bona ſub noſtram protectionem & ſaluagardiam ſpecialem, pro tuitione perſonarum, & conſeruatione iurium duntaxat. — Deputauimuſque & deputamus in Conſeruatorem Dilectum nobis cognatum Dominum Philippum de Cleues. Quàm diſſitus eſt ab affectatione Aduocatiæ Maximilianus, qui Leodium ſuam Ciuitatem apellat, & pro maiore tractatus Pacis robore Ciues metuentes in ea forte aliquando turbari, ſub ſingularem ſuam tutelam recipit, & Ducem bellicũ pro Conſeruatore aſſignat? Aliis poſt menſem Literis ex Vrbe Siluæ-ducenſi penultima die Maij datis, & Leodium ſuam eſſe Ciuitatem ingeminat, & Magiſtris, Iuratis, totique Conſilio Ciuico ſuprema authoritate imperat, vt captiuos quoſdam Wertenſes ſibi tradant, illorumque vades & fideiuſſores moleſtari non permittant. Ipſimet Leodienſes in icto per tres Ordines cum Carolo Hiſpaniarum Rege (poſtea Cæſare illius nominis Quinto) die duodecima Nouembris 1518 fœdere, Imperatorem agnoſcunt vocantque iteratò Suum Supremum

premum Dominum? Et quem tunc nisi Maximilianum Primum, qui rerum potiebatur, & demum die 12 Ianuarij 1519 viuere, & imperare desiit? Oportunum sit compendium illius fœderis, quà ad Cæsaris authoritatem in Leodienses præcipuè facit, exhibere.

Nos Præpositus, Decanus, Archidiaconi, Capitulum, Nobiles, Barones & Vasalli, Burgimagistri, Scabini, & Consilia Ciuitatis, aliorumque Oppidorum Patriæ Leodiensis, Ducatus Bullonensis, & Comitatus Lossensis, vti repræsentantia tres Ordines dictæ Patriæ, Ducatusque & Comitatus, Vniuersis prę̃sentes Literas visuris & lecturis salutem in Domino. Cum Reuerendissimus, Altus & Potens Princeps, Metuendissimusque Dominus Noster Erardus à Marka Dei gratia Episcopus Leodiẽsis, Dux Bullonensis & Comes Lossensis, de scitu, authoritate & assensu Sacratissimæ Maiestatis Imperatoris Nostri Supremi Domini, nuperrimè iniuerit, tractauerit & concluserit quandam amicitiam, confœderationem & societatem defensiuam, cum Altissimo, Excellentissimo & Potentissimo Principe Carolo eadem gratia Rege Catholico Hispaniarum, Duce Brabantiæ, Comite Flandriæ &c, suisq; Ditionibus & Subditis: dictusq; Metuendissimus Dominus & Princeps Noster, ad maiorem præmemoratæ amicitię, cõfœderationis, & societatis roborationem, à nobis requisiuerit quatenus eundem in modum vellemus cum antedicto Domino Rege, eiusque Prouincijs & Subditis contrahere fœdus, Notum facimus. Quod nos animo perpendentes quantum commoditatis, emolumenti, & securitatis ex eiusmodi confœderatione, non priuatim modò, sed publicè per omnes illas

Prouincias reciprocè obuenire possit: nobiscum præterea reputantes, quid & quantum deferre teneamur Imperatori prędicto Nostro Supremo Domino, qui tam literis, quàm per organum suorum Deputatorum ad eam Societatem nos fuit adhortatus; inducti etiam peculiari amore, propẽsione & affectu, quo in dictum Dominum Regem Catholicum ferimur, matura consilij deliberatione, iniuimus tractauimus, & concluſimus — articulos infrascriptos, Imprimis quidem quod inter Dominum Regem Catholicum eius Prouincias & Subditos ex vna parte, Nos, & Patriæ Ordines ex altera, In futurum est & erit bona, secura, firma & constans amicitia, vicinitas, confœderatio, & societas defensiua aduersus quoscunque. Ita vt si contingeret aliquem Principem, Toparcham, Communitatem, aut alium quemuis, inuadere, offendere, opprimere, incursionibus aut hospitationibus infestare dictum Dominum Regem Catholicum, eius Ditiones, aut Subditos nobis vicinos, nos tali casũ debitè interpellati & requisiti, tenebimur pro viribus nostris, & secundùm casus exigentiam, iuuare, fauere & auxilio esse, ad reprimendum, expellendumq; inuasores & attentatores eiusmodi. Viceuersa, si quisquam nos inuaderet, læderet, opprimeret, prædas ageret, aut hospitationibus molestaret, dictus Rex Catholicus, eius Ditiones & Subditi Belgici — ritè interpellati & rogati tenebuntur nobis suppetias ferre, defendere, fauere & præscripto modo pro virili succurrere. Item, quod neq; dictus Dominus Rex Catholicus, neque Nos, poterimus receptare aut fouere hostes & inimicos alterutrius nostrûm; neque ijs iter & transitum præbere per Oppida, Forta-

Fortalitia, Castella, aut alium territorij locum, aut commeatum, victum, instrumenta bellica, milites, pecuniam, remque quamcunque directè aut indirectè ijsdem subministrare. —

At non in totum fallitur inquies, qui Maximiliano titulum Protectoris tribuit: in data temporis tantùm hallucinatur. Nam anno 1483 postquam per Philippum de Cleues aciei suæ Ducem contumaciam Leodiensium fregit, occisis, aut fugatis sacrilegis Borbonij parricidis hac lege fœdus pepigit, vt Dux Brabātię in futurum esset Leodiensium protector. Pacem ea lege datam calleo: sed nil ad Imperium, aut Imperatorem. Maximilianus tunc temporis neque Rex erat Romanorum, nec Imperator: tanquàm Dux Brabantiæ, & Belgij Princeps contrahebat: quod ante ipsum fecerat anno 1466 Dux Philippus Bonus prosocer, quem Leodienses ex pacto in perpetuum Aduocatum & Protectorem accepêre.

Itaque si quando aliquis eorum Cæsarum, qui vnà fuerunt Belgarum Principes legeretur assumpsisse titulum Protectoris & Aduocati Leodiensium, illum suscepisset vt Brabantiæ Dux, & ex iure conuento. Habendaque esset posteris Ducibus gratia, qui ei iuri aut expressè renuntiarūt, aut sponte ab illo abstinere voluerunt; quod bello & victoria quęsitum, permulti tenacissimè retinerent. Illis namque temporibus Brabantia, ditio & Ducatus adhuc erat Imperij, nec ita incongruum fuisset, dummodo Cęsar & Episcopus annuissent, si Leodium eiusdem Imperij pars se in Brabantini Ducis tutelam aut clientelam coniecisset. Vnum è Primariis Imperij membris

bris erat Brabantia, & eius Dux pridem numerabatur inter quatuor Imperij Vicarios, vt Ioachimus Cluten Iureconsultus in Sylloge rerum quotidianarum primo eum enumerat loco. Accensebatur etiam gremio Electorum Imperialium. Prout adhuc in Concilio Lugdunensi habito anno 1245 sub Innocentio Quarto, vt continent acta apud Mathæum Paridem in historia Anglicana, electores laici scribuntur Dux Austriæ, Dux Bauariæ, Dux Saxonum, & Dux Brabantiæ, qui & tunc Louaniæ; Ecclesiastici, Colonienſis, Moguntinus, & Salsburgensis. Carolus Quintus Cæsar Augustæ Vindelicorum 26 Iunij 1548 cum Septemviris & Ordinibus Imperij de hoc Ducatu & alijs quibusdam Belgij ditionibus Imperium olim agnoscere consuetis transegit: vt scilicet iuuandi imperij causa cum necesse erit, libera voluntate & ex beneuolentia (ex quo antea nil erant solitæ conferre, vt Diploma à Ponto Heutero sub finem Libri Secundi de Belgio relatum, è Germano Latinum factum manifestat) conferret quantum duo Principes Electores ad Rhenum habitantes: ita vt vicissim Imperium tempore necessitatis, aut alio, in auxilium requisitum, Belgas, eorumq; Principes omni ope ac facultate defenderet. Vbi verò vniuersalem in Turcam Cæsar expeditionem decerneret, Belgarum Princeps in pecunia numerata, milite, aut vtroque, non minus penderet, quàm tres qualescunque Imperij Principes.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM-NONVM.

De Episcopis & Principibus Leodiensibus, ex Augusta domo Ducum Bauariæ.

IVlius Cæsar Iuliam amitam defunctam laudans è more pro rostris sic de eius origine retulit. Iuliæ maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus coniunctum est. Est ergo in genere & sanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent, & cæremoniæ Deorum, in quorum potestate sunt Reges. Augustæ domus Bauaricæ genus exponere qui susceperit, Imperatoriam & Regiam stirpem vndique reperiet, cælitum & indigetum agminibus illustratam. Genus est ex se Regium, longa Cęsarum serie conspicuum, Principumque qui suis virtutibus cæleſtes sibi honores pepererunt. Bauaria, quæ est hodie Ducatus in superiorem & inferiorem diuisus, olim regnum fuit. Et Boiorum populus vsque ad Frederici Ænobarbi Cæsaris tempora latè diffusus quatuor tetrarchiis distinguebatur, quibus limitum Prefecti (postea Marchiones, seu Palatini) præërant, omnesque Magno Principi Boiorum parebant. De Ducum Bauariæ Maioribus, illorumque rebus gestis, si ab aurora ordiri presumam, conticinium sit noctis, priusquàm vel ad primam quasi sillabam peruenero. Neque pro maiestate materiæ stili grauitas, arduitasque suppetit, neque è proposito sit themate illùc conuertere orationem. Aut

si coner eò aciem inflectere, obueniet quod Augustum Cęsarem, in cuius oculis quiddam diuini vigoris inesse existimabatur, contuentibus contingebat, qui velut ad fulgorem Solis vultum submittere cogebantur. Et tot illucent oberrantia oculis sydera, vt præ nimiis scintillationibus nesciat obtutus deprehẽdere, quò se defigat. Boiorum Rex erat Arnulphus Imperator Carolomanni legitima soboles, (quibusdam dictus Arnoldus) qui Carolo Crasso quantum corporis, animi crassitie laboranti, in Imperio successit à proceribus vltrò & certatim appetitus. Qui Nortmannos Belgium diris cladibus atterentes pessũmdedit, ac propè omnes occidione occidit. Cum enim anno 891 parùm fæliciter circa Aquisgranum fuisset in Nortmannos pugnatum, Arnulphus cõacto exercitu, è Bauaria egressus, Rheno properè transmisso, ac flumine Mosa celeriùs superato, eos magnis itineribus insecutus, & iuxta Diliam fluuium (qui Louanium, nobilissimam hodie Academiam interfluit) affecutus, vbi lignorum & cespitum congerie pro vallo, more gentis, muniti consederãt, iussis equitibus ab equis desilire, & statariam ac pedestrem inire pugnam, summa vi vallum perrupit, & castra expugnauit: vix quoquam è suis desyderato; cæsis autem, vt Auentinus scribit, nonaginta hostium millibus, & secundùm Helmoldum, centum millibus. Cuius victoriæ ad nostram ætatem annuum Louanij per solemnem supplicationem prima Dominica Septembris celebrari solitam monumentum exhibetur: quod Imperator ipsissimo die Calendarum Septembris, quo Deus dederat vincere, in obtentæ victoriæ loco cum vniuerso suo exer-

exercitu ſolemnes preces in gratiarum actionem Deo obtulerit. Ab Arnulpho occurrit frequentium aliorum Imperatorum catalogus ; plures Henrici, Ludouici, Rupertus ſiue Robertus Bauari in memoriam ſubeunt Imperiali diademate præfulgentes. E quibus vnum tantùm eligo, Sanctum Henricum Sanctæ Cunegundis maritum (nec enim aut locus, aut propoſitum patitur moram trahere) qui ſupra alios ad noſtram facit ſcriptionem ; quod is Baldrico, eoque è viuis ſublato, Sancto Wolbodoni illius ſucceſſori Epiſcopis & Principibus Leodienſibus valdè addictus, Eccleſiam Leodienſem ſua non ſemel præſentia, nonnunquàm perdius & pernox in orationibus, nobilitauerit ; quam & ingentibus fauoribus dotauit, boniſque ditauit. Quantum æui longinqua valet variare vetuſtas? Henricum hunc Imperatorem ſanctum, fuiſſe Bauarum omnes vnanimes tradunt : in numero variant, vtrum eo nomine ſit Primus, an Secundus Imperator. Diſcordiæ opinionum vnica cauſa diſſenſus ſcribentium de Henrico Aucupe, quem alij inter Imperatores collocant, facientes Henricum Primum, quo poſito, Diuus noſter erit Henricus Secundus : quidam Aucupem in Cæſarum albo prætereunt ; vt eum omittit Ioannes Baptiſta Egnatius. Sua ſit ſingulis ſententia ; ego Henricum Secundum apellabo, quandoquidem in Priuilegiis & Donationibus Eccleſiæ Leodienſis ipſe ſe nuncupet Secundum. Trina enimverò Priuilegiorum & donationum Diplomata Sancti Henrici extant. Primum datum in Eretem quarto Idus Iunij anno Dominicæ Incarnationis 1006, anno verò Domini Henrici Secundi Regis quinto : ſecundum

datum Coloniæ Kalendis Iulij, tertium Treuiris pridiẽ Idus Septembris; vtrumque anno 1008, & vtrimque cum hac finali clauſula, Anno Domini Henrici Secundi Regnantis ſeptimo. Vacante per obitum Ottonis Tertij Imperio Henricus noſter Bauariæ Princeps potentiſſimus, nullo veterum Cæſarum pacis, bellive artibus inferior, anno 1002 renuntiatur Imperator.
Primo Diplomate vltra confirmationem Priuilegiorum à Prædeceſſoribus conceſſorum, & quod nullus deinceps in locis & territoriis ad Eccleſiam Leodienſem pertinentibus intra Imperij ditionem ſitis quicquam iudiciale aut extraiudiciale contra voluntatem Epiſcopi, ſucceſſorumque eius attentare audeat, dedit ipſi Præſuli, Succeſſoribuſq; (pono verba ipſa) Vt ſemper liceat reȝ omnes prędictæ Eccleſiæ, & illi ſubditarum, ſub tuitionis atq; immunitatis Noſtræ defenſione, remota totius iudiciariæ poteſtatis inquietudine, quietas poſſidere, & Noſtro Imperio parere, atq; pro incolumitate noſtri, & noſtræ coniugis, & pro ſtatu ac dignitate Regni noſtri, vna cũ Clero & populo ſibi ſubiecto, clementiam Dei iugiter exorare, *Et quicquid de Præfatis rebus Eccleſiarum ius fiſci exigere poterat prædictæ Eccleſiæ eſſet, vt deinceps ad peragendum Dei ſeruitium augmentum & ſupplemẽtum fiat.*
Secundo Reſcripto ingentia nemora contulit, hoc verborum tenore, Omnium fidelium noſtrorum induſtriæ notum eſſe volumus, qualiter nos diuini amoris inſtinctu quandam iuris Regni noſtri foreſtim his terminis præcinctam, ex vno latere fluuiolis Polera & Edera, ex alio Summa fluuiolo, ex tertio Strata Imperiali, quæ à Summa tendit vſque ad Villam quæ nominatur Pons Impe-

Imperij, ex quarto Mosa, & inter ortum Poleræ & Summæ siluam quæ dicitur Heua cum Banno nostro, cęteriſque eius pertinentiis, Sanctæ Leodiensis Ecclesiæ Episcopo, eiusque Rectori, Baldrico videlicet Antistiti per hanc nostram pręceptalem paginam concedimus atque largimur, & de nostro iure ac dominio in eius ius ac dominium transfundimus. Tertiis Literis cessit eidem Baldrico directum dominium & ius quodcunque super propriis eiusdem Baldrici & fratrum eius siluis inter duo flumina, ambo Nithe vocata, & tertium Thylam nominatum, constitutis. Scilicet ostendit reapse verum Ptolomæi Regis dictum, Regium esse ditare magis, quam ditescere; & Pacati de Theodosio, Nullam maiorem esse Principum fælicitatem, quàm feciſſe fælicem. Sanè ampliſſimæ & speciosiſſimæ diuitiæ sunt, fæliciter erogatis beneficiis latè posse censeri: vt magnificè, at verè, circumferatur illud, Hoc vno beata Regna esse, benefacere quod semper possint. Dum Sanctus Henricus anno 1019 Leodij pasca celebrat, vt bonum est sui diffusiuum, Sanctum Wolbodonem Episcopum è Comitibus Flandriæ oriundum, hortatu efficace propellit, vt Monasterium Sancti Iacobi à Baldrico inchoätum perficeret. Morem gessit; perfecit opus sumptuosum & eminens. Miro in Deiparam ferebatur amoris ardore, in cuius honorem plurima templa à fundamentis excitauit; quoties in aliquod Oppidum appelleret, primam in æde ei sacrata noctem precibus continuis exigebat. Gentilitium est enim Bauaræ familiæ (sicut Austriacæ, quæ affinitatis vinculo, velut naturali insitione inuicem sororiant, & fratrisant) efflictim

Christiparam deperire, ac vnicè colere. Mille ædes sacras in vniuersum constituit: inter quas Basileæ primariam, & Spiræ Regia magnificentia eam, quę hodie basilicè supereminet, inchoauit, Conrarduſque Secundus Imperator absoluit. Bellum Bohemicum, Sarmaticum, Illiricum seu Sclauonicum ope magis cælesti, quàm humana confecit. Moriturus Beatam Cunegundem vxorem vocatis propinquis commendans & reddens; qualem accepi, inquiit, talem reddo, virginem dedistis, virginem recipite. Et hanc Sanctam Cunegundem fuisse vnà Bauaram, & Ducis qui marito in Ducatu succeſſit ſororem inter Scriptores & Genealogistas conuenit. Tertio Idus Iulij 1024. ex hac vita in cęlestem commigrauit, multis clarus miraculis, Bambergæ sepultus. Vbi & Sancta Cunegundis castissimi sponsi vxor virgo, aliquamdiu viro superstes voluit inhumari. Digna tanto fratre soror Regina Gisela, quam ille Stephano Primo Hungarorum Regi despondit, adeò fælicibus nuptam auspiciis, vt maritum Regem cum toto Regno ab Idolorum seruitute ad fidei Christianæ cultum adduxerit, deuotissimumque Deiparæ fecerit clientem. Qui regnum suum venerabili prędellentiæ epitheto familiam Mariæ nuncupabat: ipse Sanctorum albo adscriptus ex sancta Regina Gisela filium habuit Emmericum, etiam sanctum & Regem. Perplexa admodum foret disputatio, vter in hac Augusta familia sexus vitæ sanctitate prędualuit: vtrique ex ędquo palma detur. Beata Plectrudis vxor Pipini Herstallij, Caroli Martelli nouerca, filia fuit Bauarię Regis. Beata Nortburga Plectrudis ex Pipino filia virginitatem thalamo

prętu-

prętulit nuptiali. Bertha Pipini Regis vxor, Caroli Magni mater, Bauara itidem fuit: licet sint qui eam Imperatoris Gręcorum filiam affirment. Sancta Theodolinda Garibaldi Boiorum Regis fuit filia, quę Agilulpho Longobardorum Regi data nuptui, altera Gisela, Regem & subditos Arianæ hęreseos luto commaculatos, veræ Christianę Religionis munditie perpurgauit. Et Gundeberga eius filia Longobardorum etiam Regina, tam sancta matre dignam se prętitit. Beata Agnes filia fuit Ludouici Bauari eo nomine Quarti Imperatoris, quę cum ad virgines Diuæ Claræ Monachij apud Sanctum Iacobum misso rebus mundanis repudio diuertisset, & indignati subditi virginem inde abducere vi tentassent, sacrum Christi tabernaculum amplexa, quod à Deo precabatur, impetrauit, & exspirauit. Cuius sororem Cunegundem nomine, Fredericus Austriacus viduus eiusdem Ludouici in Imperio competitor accepit vxorem, qui à plerisque Fridericus Tertius nuncupatur, quod ea lege pax inita fuerit, vt Imperatorium nomen simul retineret. Non ignoto per Romanum Imperium exemplo. Sic enim Adrianus Antoninum designauit successorem, vt ille sibi duos Annium Verum, & Marcum Antoninum dictum philosophum, adoptaret: qui duo postea Augusti Primi (in iure nostro passim Diui Fratres apellati) Rempublicam gubernarunt. Tanta in publico lætitia, vt fasti consulares ab his sumerent ordinem Consulum. Sic Senatus ipse aduersus Maximinum, occisis Gordianis aduentãtem, fecit Maximum, & Balbinum Cęsares. Sic Diocletianus postea Maximianum seu Herculeum in collegam asciuit: & multi

in

in Occidente, Orienteque sunt deinceps æmulati. Quod non existimem facturum fuisse Alexandrum Magnum, qui sui capacem non rebatur orbem; multò minùs tulisset duos in vno Soles, qui partem Regni Darij cum decies centum millibus talentûm respuit: nec Iulium Cęsarem, aut Pompeium, quorum ille neminem priorem, hic ne parem quidem foret perpessus. Eiusdem Beatæ Agnetis quadam imitatione virgo Barbara Alberti Pij eo nomine Tertij Boiorum Ducis proles connubium Regium flammeo Regis cęlorum posthabens, in eodem Monasterio Diuæ Claræ regulam professa, vitæ curriculum sanctissimè peregit. Taceo Sanctam Elisabetham Andreę Regis Hungariæ filiam materno genere fuisse Bauaram, vtpote quod Regina Gertrudis eius mater Boia esset. Nam de solis Episcopis Leodiensibus Bauaris isthic sum dicturus, qui paterno genere Bauari fuerunt. In familiam Bauaricam ascisce possum Carolum Magnum (& hunc in Diuos relatum, à quo Bauariæ Duces originem ducunt) nisi quod, vt septem Græciæ Vrbes de Homeri patria longo, & huc vsq; indeciso certamine disceptarunt

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ,

Tam crudo & stricto stilo natalis soli quęstionem viderer terminare velle, in aliarum Prouinciarum & Vrbium cunas tanti Herculis sibi vendicantium ruborem. Nonnulli natum eum Herstalli, vix vno à Legia lapide, quidam Aquisgrani, alij Ingelheimiæ volunt: reliquis alia placet patria. Herstallum, auitum Palatium & Curiam, vbi Martellus auus editus & educatus, proauus

Pipinus

Pipinus (Herstallij cognomen inde adeptus) sedem figere solitus, velut natale solum amauit, & vbi, Imperator creatus, non desiit (historia teste) frequenter pasca celebrare, locis celebrioribus postpositis. Id constanter asserere licet, Beatum Thessalonem Boiorum Principem, Pipini Regis, per Hiltrudem filiam, nepotem, coronam Bauarici Regni cum tonsura Sacerdotali in Ordine Sancti Patriarchæ Benedicti vltrò commutasse. Nouissimè Sereniſſimus Bauariæ vtriusq; Dux Guilielmus, eo nomine Quintus, anno 1626 fato functus, Sereniſſimorum Maximiliani Septemviri, Ferdinandi item Septemviri, Albertique Ducum pater, thoro per Lectissimæ coniugis è Lotharingico stemmate obitum viduatus, religiosissimam vitam transigens nunquid opere Beatum Thessalonem exæquauit, aut magè, superauit? Albertus Quintus auus Annæ Ferdinandi primi Imperatoris ex Anna Bohemiæ & Hungariæ Regina filiæ maritus, Heroäs inter Heros prȩcipuus enituit, vt Phæbus reliquos inter planetas. Guilielmus Quartus proauus prȩsentem tunc & posteram ȩtatem docuit meritò iactari, Bauariam esse Catholicæ Religionis propugnaculum. Simulac enim Ratisbonam nouis Lutheri dogmatibus ineſcatam ad defectionem inclinare cognouit, capitali cauit edicto, ne quis è sua ditione in eam Ciuitatem in ipso quasi Bauariȩ centro collocatam pedem inferret, nisi ea toto ex animo resipuisset, adiecta memorabili sententia, Citius, non vniuersam modò ditionem, sed vitam iri ereptam, quàm vt populum suum Lutheri prȩstigiis sineret dementari. Albertus Quartus abauus, non à sorte, sed à Sapientia cognomen Sapientis meruit:

quod qui eloquitur, omnia profert. Impletum in eo Platonis votum, beatam futuram Rempublicam, in qua aut Reges philosopharentur, aut philosophi regnarent. Quos enim Greci antea Sophos, seu Sapientes vocitabant, post Preceptorem Socratem Plato per modestiam philosophos, seu amantes sapientiæ dixit. Vxor ei fuit Cunegundis virginum formosissima, & matronarum pudicissima, Frederici Tertij Cesaris & Leonoræ Lusitanæ filia, ac Maximiliani Primi Cesaris soror vnica; quę coniugi amantissimo anno 1508 defuncto iustis persolutis, non ad aulam, sed mox à funere ad Monasterium & contubernium Monialium virginum Monachij diuertit, vbi residuum vitæ ad annum 1520 angelicè transegit. Atauus Albertus Pius: quod pietatis elogium, potiore quàm Antoninus Pius Imperator Adriani successor ratione, fuit assecutus. Vno, nec amplius exemplo, innumeras inter causas, manifestum dabo. Albertus Secundus Imperator, idem Bohemiæ Rex, in flore ætatis, Ladislao infante in cunis vagiente vnico filio, decesserat. Bohemi apud Pragam conuenientes vnum totius Regni corpus efficiunt, & ad eligendum nouum Regem, diem statuunt. Regina Elisabetha infantis mater in diem prestitutam legatos mittit rogantes, vt Sigismundi & Alberti suorum Regum meminerint, nepotem, filiumque ne respuant, contra ius gentium paternam hereditatem puero ne adimant, fœdera cum Austriacis percussa ne violent, pupilli atque orphani misereantur. Frequente Ordinum Conuentu plerique ex aduerso differere: Infantem Regno inutilem esse, Regem à regendo dictum, qui regendus sit

Regem

Regem vocari non posse. Satis esse Ladislao si post quatuor & viginti annos ad regnum vocetur, medio tempore locum alteri faciat. Vicit hęc sententia; & Albertus Baioariæ Dux Procerum voto Rex declaratur. Mittunturque ad eum primores regni, qui electionem denuntient, & eum ad oblatum regnum vocent. Author mihi huius narrationis testis, in quem nulla suspicio cadit, Summus Pontifex Pius Secundus (qui ante Pontificatum Æneas Siluius) in historia Bohemica. Ex cuius verbis peragam narrationem. Albertus ea virtute, atque animi moderatione vsus est, quæ, postquàm Reges esse cœpere, rarissima semper fuit. Nam venientibus ad se Bohemorum Legatis, amplum & nobile regnum offerentibus gratias egit, qui se vnum ex omnibus elegissent, cui parere vellent, dignumque tanto imperio iudicassent. Multa idcircò se debere Bohemis, neque id vnquam beneficij obliuioni daturum. At cum Regis Alberti soboles extet, indecorum esse cum alterius iniuria regnum quærere, paternam hæreditatem nulli auferendam; qui pupillos iure suo dispolient, Deo atque hominibus inuisos, pœnas aliquando patrati sceleris dare: cognouisse se non vano rumore fœdus antiquum inter Bohemos, & Austriacos extare, nisi deficiente mascula sobole Principem ne foras assumant; fidem seruare pulchrum, ne cui temere noceatur cauendum. Sceleſtam execrabilemque vocem illorum qui regnandi causa ius violandum astruant. Atque ita maiorem se spreto regno monstrauit, &, si verum fateri licet, clarissimum egit Regem. Nam regnum est apud eos qui spernunt, non qui cupiunt. Ita Pius Papa de Alberto Pio.

Addam Iusti Lipsij in pari causa (Ferdinandi scilicet, postea Aragoniæ Regis, qui delatum sibi ob Ioannis nepotis infantiam Hispanienſe Regnum reiecit) censuram, & admirationem. Tu Fides, tu modestia, è cœlo paulisper descendite, & hunc alumnum vestrum lætis oculis videte: quantò illustriorem spreto sic regno, quàm si decem fraude, vel ambiguo iure quæsisset? At quid opus ad præterita retrogredi sęcula? Nostrum, etsi ferax viciorum, non est tamen vacuum eminentissimarum virtutum. Maximilianus Bauariæ Dux & S.R.I. Septemvir per ataui sui Alberti Pij glorioſam & parùm tritam semitam quàm generoso gressu incessit? Procul ab ambitu & cupidine alieni regni, qui Ferdinando Secũdo Imperatori Bohemię Regi, cui Fredericus Comes Palatinus inexcusando facinore Rebellium Electionem obtentui habens, Bohemicum sceptrum eripiebat, opes, arma, & propriam persŏnam in defensionem consociauit, & Generalis Præfectus exercitus Vnionis Catholicæ, admiranda illa 1620 victoria apud Pragam Capitalem Regni Vrbem & sedem, dextrum in acie cornu obtinens (læuum Comite de Bucquoy Cæsarei exercitus Duce regente, & fortissimi militiæ Ducis munus explente) Frederici vsurpatoris vires totas confregit, & eo prælio regnum legitimo Regi asseruit, atque firmauit.

Ernestum tritauum, Stephanum, Ludouicos, (inter eos Ludouicum Quartum Cæsarem) Ottones, & alios Maiores vsque ad Ottonem Witelspachium sub Frederico Imperatore circa annum 1180 Bauariæ prædecessoribus interceptæ recuperatorem, & ab eo ad Carolum Magnum

Magnum vsque stirpis authorem continuam seriem, vt omittam cogit tenax propositi ratio; ne per affectationem longiùs à concepto calamus distrahatur. Nutu duntaxat innuam. Ludouico Pio Cæsari Caroli Magni filio filij fuere Lotharius, Ludouicus (Germanicus dictus) & Carolus Caluus; quem tertium pater ex Iuditha Bauara secunda vxore sustulit. Genitore vita functo tres partiti sunt regnum paternum: vti Ludouicus Germanicus Orientalem, Carolus Caluus Occidentalem, Lotharius Imperator mediam nancisceretur portionem. Lothario abiecta purpura, & sceptris apud filios relictis, monachum in Prumia professo; & Lothario Secundo ex inde sine legitimis liberis emortuo, Lotharingia, ab eo sic dicta, patruis, ad fratrum exclusionem, accreuit. Vbi verò Ludouicus Germanicus in fata decessit, terni iterùm fratres Germanico prognati, represso Carolo Caluo, in hereditatis scissionem venerunt: & Carolomanno Boiaria, Pannonia, Bohemia, cum Sclauis, & Morauis cessere. A quo Carolomanno hodierni Bauariæ Duces non interrupta marium successione genus ducunt: & per eum à Carolo Magno ad Pipinum Regem, Carolum Martellum, Pipinum Herstallium, & Ansegisum recto ordine Brabantiæ Principes, natales suos veræ & vetustissimæ nobilitatis imaginibus illustrissimos reducunt. Ducis autem Ansegisi prosapiam anteriorem qui nosse volet hanc ex Trithemio in Chronicis accipiat. Ansegisi pater fuit Sanctus Arnulphus, cuius progenitores & maiores recta linea fuerunt, Ansegisus, Nicanor, Sigebertus, Priamus, Heribertus, Leontius, Merouëus, Diocles, Sunno,

Genebaldus, Dagobertus, Marcomirus, denique Clogio Rex Francorum Orientalium, seu Franconum. Si altius penetrare, & cum aligero Iouis alite nubes transcendere peroptas; inuenies hunc Clogionem descendisse ab alio Clogione pariter Francorum Rege, quo regnante, Saluator noster Christus Virgineis Deiparæ claustris egressus in orbem venit. Cuius Clogionis pater fuit Rex Francus (à quo Sicambri dicti Franci) Antarij Regis filius. At, quò me incogitantem ardor abripit? Centum ijsque aureis linguis, & adamantino calamo, faucibusque Stentorum mille opus sit ei præconi, qui Augustæ domus Bauaricæ laudes aggrediatur. Tacitus intra religiosum silentium admirari, venerarique malim, quàm pro olorino cantu anserinum strepere. Dicere tantùm eos Antistites & Principes Leodienses est animus, qui paternum genus ab hoc limpidissimo, nobilissimoque fonte deriuant.

A Sancto Theodardo decimonono Tungrensium, aut Traiectensium Episcopo, cui Sanctus Lambertus proximè successit, fas sit exordiri. Hunc enim Prouinciales, peregrinique scriptores Principis Bauari filium ex Comitis Namurcensis filia faciunt. Etsi instar sequentium, inter Leodinos Antistites propriè non sit referendus, cum Traiecti tantùm sedem fixerit, & Leodium, quod nondùm erat, nunquàm viuus accesserit. Viuus, inquam. Nam mortui Martyris corpus, ipse Lambertus breui Martyr etiam futurus aliquanto ab obitu interiecto tempore post multas flagitationes ab incolis loci vbi inhumatus fuerat, obtinuit, & in Oratorio Sanctorum Cosmæ & Damiani condidit. Quæ

opinio

opinio probabilior est eorum qui hanc translationem Diuo Huberto tribuunt. Propè Spiram Nemetum Vrbem, ad quam pro repetundis Ecclesiæ suæ Traiectensis bonis ab annis iam tunc circiter triginta ablatis, Cæsari aduersus iniustos detentores expostulaturus dum properat, in raptorum insidiantium manus incidens, immaniter fuit peremptus.

Absque hoc Gerbaldus Leodiensium quartus, & Tungrensium quartus & vigesimus Episcopus Principem sibi locum vendicat. Quem constat fuisse filium Bauariæ Regis, seu Ducis. Olim quippe, qui nunc est Ducatus, Regnum erat. Interfuit dedicationi Regiæ Ecclesiæ Aquensis & Concilio 350. Episcoporum sub Leone Quarto Pontifice, Carolo Magno Cæsare assistente: vbi constitutum traditur, vt deinceps Archiepiscopus Colonienſis Electum Imperatorem consecraret, & Archiepiscopo mortuo, aut ægro Præsul Leodinus. Eius certè rogatu Leo Papa, Tungrensem, & Visetensem Ecclesias sub Deiparæ Virginis inuocatione sacrauit. Non quod Tungrensis tunc demum inceperit, quandoquidem Sanctus Maternus primam illam cis alpes Christiparæ erexisset; sed quia exciso dirutoque ab Hunnis Oppido sacra ædes vnà fuerat deleta, nec intra ducentos annos restaurata.

Reginaldus (quidam legunt Reinaldum) post plures à morte Gerbaldi intermedios Antistites, Leodinæ Præfectus Ecclesiæ Bauaro fuit Duce genitus. Mosam flumen ingente lapideo ponte Leodij iunxit, vltra duos minores in Peninsula locis paluſtribus ſtructos, & tertium super Vrta fluuio. Ecclesiam Sancti Laurentij

iuxta

iuxta muros ædificauit, & opulentis fundis, censibusque monasterium dotauit. Templum etiam parochiale Sancti Nicolai in monte publico erexit aduersus muscarum tunc infestantium, mortifereque aculeantium agmina; quod omnium primum in his partibus Diuo Nicolao dicitur fuisse dedicatum. In pauperes munificentissimus extitit, vt qui mille & ducentos illorum aleret, & alios à stipe per verecundiam abstinentes conducta mercede pasceret. Annona autem aliquando ingraueſcente magnam aduenarum propriis sedibus quærendo victui egressorum multitudinem benignè excepit & sustentauit. Bello non inferior pacis artibus. Cum Odo Campaniæ Comes Gallorum fretus auxiliis in Conradum Imperatorem insurrexisset, & in Goselonis Lotharingiæ Ducis Cæsari adhærentis inuidiam, castro Barensi expugnato, Tullum valida circundedisset obsidione, Reginaldus non modicis copiis conscriptis Duci se adiunxit, & lata hostium strage edita Odonem ipsum cum potissima nobilium parte prostrauit: cui & Lotharingus non ægrè potissimam victoriæ partem imputandam agnouit.

Reginaldum, interposito duntaxat Wasone Episcopo, secutus est Theoduinus Ducis Bauariæ filius, Placidum (vt inquit Chronista Laurentianus) Ecclesiæ Leodiensis sydus. Deuotione & cultu in Deiparam Virginem, quam vnicè venerabatur, excelluit: cui in Oppido Hoiensi insignem Collegiatam Ecclesiam, loco ecclesiolæ à Diuo Materno primitùs sacratæ, à fundamentis excitauit, adiecta dote & supplemento Canonicorum quindecim supra parem inexistentem numerum: & Oppidanos

danos magnis insigniuit priuilegiis. Locus ita viuo placuit, vt eum in sepulturam delegerit. Inhumatus est ante altare in præfata Ecclesia. De qua in suo priuilegio anni 1066 in hunc inquit modum, Si quidem Ecclesiam à fundamentis ad laquearia, à laquearibus & vltra, reædificaui, quam etiam in auro & argento, & gemmis & prædiis pro modulo meo ditaui, & de Agar Saram esse feci. Enimverò, vt id transcursim dicam, Hoium situs amænitate, loci natura, & elegantia operis non multis cedit. Ferunt Gregorium Decimum Pontificem Maximum, qui diu in Ecclesia Leodiensi Canonicus & Archidiaconus resederat, in laudem pronuntiasse, Vix in orbe reperiri posse tam bonum Castrum cum tam bono Oppido. Ante eum Antoninus Pius Imperator circa annum Christianũ 148 cum ad has Galliæ Belgicæ partes aduentasset, explorato loci ingenio, amænitateque simul captus, arcem struxisse, & Vrbis pomœrium protendisse traditur. Tempore Ioannis Guidonis, qui fuit septuagesimus primus à Diuo Materno Episcopus, effossis in nouam aulam fundamentis, eius Cæsaris imago fuit inuenta. Theoduinus spiritualis, temporalisque Ecclesiæ Leodiensis incremẽti studiosus à Richilde Hannoniæ Comitissa, illiusque filio Balduino, Hannoniæ Comitatum Diuis Mariæ & Lamberto tutelaribus acquisiuit, acquisitumque ijsdem in feudum ab Ecclesia tenendum recognoscendũq; concessit; Henrico Quarto Imperatore speciali Diplomate quinto Idus Maij 1071 id ratum habente. Sub eodem Stephanus Papa, (quem Leodij à pueritia educatum refert Ægidius aureæ Vallis) notabilem glorioſissimi ligni Dominicæ Crucis

partem Cathedrali donauit Ecleſiæ, ſtatis anni ſolemnitatibus per Protodecanum ab inde deferri ſolitam.

Ioannes de Bauaria ſeptuageſimus nonus Tungrenſium Epiſcopus ad Inſulam poſtulatus, anno 1389 aut iuxta alios 1390, Ecleſiæ & Principatus Leodienſis regimen ſuſcepit. Septemdecim (aut ſecundùm nonnullos octodecim) erat annorum, Alberti Bauariæ Ducis, Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Comitis filius, cui inaugurationem auſpicanti, vrbemque introeunti pater latus dextrum, Guilielmus frater ſiniſtrum texit, longa præeunte, & ſequente Comitum, Baronum & Dinaſtarum caterua. Fauſtiſſimum, ſplendidiſſimumque diem qui tam glorioſæ pompæ illuxit! Obuerſatur oculis Scipio Africanus, qui, ne Prouinciæ Aſiæ ſors fratri ſuo erepta ad Lælium alioquin arctiſſima familiaritate iunctum transferretur, Legatum ſe L. Scipioni fratri in Aſiam iturum promiſit, & iuit: maior natu minori, gloria excellens laudis adhuc inopi, & nondùm Aſiatico iam Africanus. Et Fabius Rullianus ſummus Imperator, qui Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile, & periculoſum conficiendum legatus ire ſuſtinuit: & poſtmodum triumphantis currum equo inſidens, ſequi quem ipſe paruulum triumphis ſuis geſtauerat, in maxima voluptate poſuit. Rem non minus ſpectabilem altera ab inauguratione lux præbuit. Dum idem Dux Albertus genitor in eodem virorum nobilium apparatu, Hannoniæ Comitatum filio & Ecleſiæ Leodienſi in feudum recognouit, proque eo fide ſe clientelari obſtrinxit. Quia in nemine aliorum Principum Bauarorum, ne næuum quidem, Zoili exprobrare poſſent, in

hunc

hunc immodicè inuehuntur, quod sub eo Ciuitas non modica sit attrita clade, multis popularibus in acie cæsis, & quibusdam rebellionis antesignanis à pugna vltimo supplicio affectis. Perpetua quasi est populi victi & debellati consuetudo odisse victorem, & insultare mortuo. Qui etiam iure cæduntur virgas, & fustes abominantur, & cædentem seueritatis, imò crudelitatis arguunt.

— *Quod enim dubitant componere crimen*
In Dominos, quoties rumoribus vlciscuntur
Balthea?

Quod probè tenens Marcus Antoninus Philosophus ad Senatum pro incolumitate liberorum, & generi, Auidij Cassij hostis sui scribens inquit, Vtinam possem multos etiam ab inferis excitare! Non enim vnquam placet in Imperatore vindicta sui doloris, quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur. Non eò solùm misera est sors Principum (vt omnium primus dixit Domitianus, & post eum Adrianus) quod de coniuratione comperta iis non credatur nisi occisis, sed quod iis aduersa omnia à maleuolis imputentur. In tantum vt sterilitatis annorum, malignitatis syderum, & intemperiei aëris rationem improbi ab ijsdem repetant. Quod pro Bellicis Ducibus Iulij Agricolæ gener queritur, Iniquissimam ideo bellorum videri conditionem quia prospera omnes sibi vendicant, aduersa vni Duci imputantur; promiscuum est togæ & sago, Mineruæ, & Bellonæ.
Ideo paucis dispicere volo quàm culpæ obnoxius, aut vacuus sit, nec diutiùs patiar vagis vulgi sermonibus

intaminatos tanti Principis manes vapulare. Plebicolæ, quò licentiosiùs plebis alant furorem, populare dictum crebrò vsurpant, *Quicquid multis peccatur inultum est*, & vbi alea secùs vertit, alienum non suum facinus incusant. Inter huius facti scriptores miror Suffridum Petri ita priuato tribuere affectui, vt Henrici Peruuisij intrusi Mamburni, & Theodorici eius filij, quem Princeps Ioannes Bauarus Canonicatu & Archidiaconatu donauerat, verum Principem solio deturbantis, flagitium diminuere, si non excusare videatur. Etsi nihilominùs in eiusdem Principis laudem in ipso principio historiæ, vicem eius miserans, originem rebellionis his verbis exponat, Quanquam vir natura bonus esset, in ipso tamen statim initio aduentus sui, calumniandi ansam factiosi acceperunt, ex eo primùm quod amicorum potentia illis formidabilis erat: dein quod immaturæ adhuc esset ætatis: & maximè quod dissimularet mercatorum querelas, quos authoritate Regia Bolandus in Francia detinebat ob id quod castrum eius iniquè occupassent Leodienses. Rectè, calumniandi occasionem vocat. Quandoquidem amicorum potentia bono & commodo subditorum conduceret, & semper conduxit: & ætas quamuis immatura sacerdotio, non esset immatura politico regimini, neque sæcularium foret in annos inquirere, sed Capituli viam postulationis idcirco ingressi; non raro Leodij, & vbique exemplo. Neque pignorationes & clarigerationes procurante Bollando iniustè à Leodiensibus arce sua spoliato, in Gallia actitatas soluere deberet, aut volens posset. Cornelium Zantfliet, qui veritati totum, passioni nihil indulsit, tutiùs

tutiùs sequar. Scriptionem aggrediens, inquit, Receptus est cum ingenti tripudio Cleri & Populi, gaudentibus vniuersis, quod tam generosum virum in suum Dominum ac Principem adepti fuissent. Quæ sub eo gesta sunt non est meum hìc prosequi, præterquàm quod suis locis pro re nata aliquid putem summis digitis attigisse: id modò ad amouendum culpam, & ad vulgaris improperij exsibilationem, ex dicto Zantfliet per compendium admouebo. Hædrotiis (quos Latino vocabulo osores & hostes iustitiæ & æquitatis dicerem, & sacra Scriptura homines de Belial) iura Ecclesiæ & Principis aperta vi carpentibus, sat habuit Princeps Leodio cum tribunalibus suis Traiectum, Hoiumq; secedere, vt Absalonem filiũ Regius Propheta obtutibus suis frustrari. Quibus verè aut fictè pœnitentibus iterum ac tertiò secessionem fecit, ea sola pœna contentus. Perduellibus creuit proteruia. Quidam Ioannes de Calceata (Latinè diceres de Platea, aut Plateola) ferali etiam hodie Leodij nomine, tunc Burgimagister, ficta ad Diuam Hallensem peregrinatione, Henricum Pereuuisium adiit, tutelam, vulgò Mamburniam ipsi, & filio Theodorico Episcopatum obtulit, eoque captos fascino Duces coniurationis habuit. Pater Protectorem, filius Episcopum agunt: reiecto Innocentio Septimo, vero S. Petri successore, confirmatione ab Antipapa Petro de Luna tunc Auinione agente per Iacobum Baddus Platearum pauimentatorem pro intruso Antistite subreptim & simoniacè obtenta. Cunctationem an patientiam nimiam dixero? Huc vsque Princeps firmus in quietis cõsiliis; etsi mora omnis noxia esset, moratur,

& gladio, quem cuique pro sui tuitione natura concedit, abstinet. Trudonopoli, quò Canonicorum & fidelium subditorum bona pars perfugerat per Rebelles expugnata, Traiectum geminata obsidione tentant, inhonoratam bis repulsam & iacturam passi. Fraudes & dolos armis miscent, ficto & imposito apud Principes vicinos, quod Princeps Ioannes Bauarus ideò Traiecti sederet, vt Ruperto seu Roberto Cæsari, etiam Bauaro, viam faceret ad Ducatum Brabantiæ occupandum. Technis posteà parùm succedentibus, auxiliariis è Germania copiis, præsertìm equestribus adiutus (quarum Præfecti viri nobiles ab historico nominatìm designati, strenuam admodum nauarunt operam repressis non sine cæde Rebellium incursionibus) neque sic antiqui propositi, solitæque humanitatis oblitus, amicè scripsit Leodiensibus, vt incertum belli euentum perpenderent, redirent ad cor, eiectisque authoribus & incentoribus malorum, debitam sibi obedientiam præstarent; offerens præteritarum iniuriarum amnestiam, libertatumque & priuilegiorum conseruationem omnimodam. Horrendum est auditu, fædissimumque dictu quod sequitur, neque à modestia stili mei enarrationem impetrare queam; historici verba subijcio, At Leodienses malignorum qui inter eos versabantur instinctu, instar leopardorum magis ex oblato crudescentes, post triduum quo responsum exspectabatur, corticem arboris ad similitudinem literæ missiuæ præciderunt, & complicuerunt, cui septem chordulas appendentes septem sigilla de stercoribus boum impressérunt, & tanto Principi hoc modo transmittere in vilipendium non erubuerunt.

runt. Nil vnquam ſimile è profunda barbaria profectum legi, niſi fortè quod Quadus quidam apud Pomponium Lætum admiſit in Conſtantium Arrianum Iuliani prędeceſſorem. Verùm gens Quadorum barbara nec Conſtantio, nec Imperio ſuberat. Dum Conſtantius (inquit) cum Sarmatis, Dacis & Quadis fœdera feriret, & in ſuggeſtu orationem haberet, barbaris malè audientibus, quod ad hoc opus aſſueti non erant, vnus è Quadis ſeceſſit, & ſtercore alterum è calceis repleuit, ſub veſte tulit, & propiùs accedens in vultum concionantis proiecit. Interim nihilo ſegniùs cingunt, premuntq; Traiectum obſidione, quam per centum & tredecim dies pertinaciter continuarunt, donec ad famam Burgundionum, Flandrorum, Hannoniorum, Hollandorum, & Friſonum ſuppetias obſeſſis ferentium (rei indignitas Ducem Burgundiæ, Ducemque Guilielmum Hannoniæ Comitem, & alios Principes viros mouerat) ea ſoluta, ſeparatas acies Ducis Burgundiæ, Duciſque Guilielmi Hannoniæ Comitis diſſipare conati, coniunctas ſenſere. Ante manuum conſertionem (prælio non interfuit Antiſtes, vt qui Traiecti eſſet) repetita fuit conditio remiſſionis iniuriarum, dummodo ſanam mentem induerent. Ad nuntium victoriæ accurrens Princeps, qui nihil de pugna ante inaudierat, alter Marcellus illachrimauit, ſeque pro patre non victore geſſit: multitudini pœnam deprecanti, & ſenos ac viginti ſeductores ſiſtenti, ignouit. In Antipapæ Nuncium, intruſum Suffraganeum, & alios nebulones, qui Canonicorum Clericorumque veri ſui Epiſcopi & Domini partes ſecutorum beneficia improbè occuparant, iure actum.

actum. Mamburnus, & Theodoricus filius, ferocioresque plerique in acie occubuerant. Prorsùs hìc extra noxam, & nil est quod liuor damnet, nisi subditorum insaniam, & fortunam fortè, aut mores temporũ (scissâ tunc schismatibus sancta Ecclesiâ, liberiùs fuit populis delirare) per quæ susque deque sacra prophanis conuoluebantur. Videor mœstum Principem audire Legiam suam Iuliano dicto compellantem

Ille sit, ille nocens, qui te mihi fecerit hostem.

Innoxius certè is fuit, & quotquot erant probi sic senserunt. Integrum Capitulum Cathedrale (vnico Canonico excepto, non tam suo motu, quàm patris Pereuuisio adhærentis metu) vt particeps, comesque esset sortis sui Principis, vrbe excessit; maxima reliquorum Clericorum pars, Scabini omnes, plerique Nobiles, Feudales viri, Ciues locupletes, & quicunque timorati, laribus carere, quàm Domino suo dëesse maluerunt. Idem vicinorum, exterorumque fuit iudicium, qui publicâ causâ duxerunt Principi à suis circumuallato & oppresso opem ferendam. Itaque nemo desyderet in Ioanne Bauaro bonitatem, sed fælicitatem duntaxat; culpâ subditorum, quibus licuit esse fæliciſſimis. Et quocunque vertat se inuidia, nequit diffiteri duplex, & vtrìmque magnum, Reipublicæ incrementum, ex Pacto Tungrensi 1403, & Regimento anni 1416: illo Magistratus Ciuicus aliqua iurisdictione munitus fuit & decoratus: isto militari disciplinæ suus ordo assignatus, suumque honestamentum, & robur.

Gerardo Grosbekano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali,

dinali, Principe pacifico, multæ prudentiæ, innocentiæque anno 1580 sub finem mensis Decembris è terrestri principatu ad cælestem euocato, Sereniſſimus Erneſtus Bauarus Alberti Quinti filius, Guilielmi Quinti frater, quem viuens Gerardus ſucceſſorem deſignauerat, optaueratque, vnanimi Canonicorum omnium eligentium conſenſu, vltima die Ianuarij 1581 Epiſcopus & Princeps Leodienſis renuntiatur. Princeps bono totius Romani Orbis natus, cunctis naturæ & diſciplinarum ornamentis ſupra cæteros, Atlas alter, emicans, Traianum virtute, Cæſarem clementia, morum grauitate Neruam, Antoninos bonitate, Henricum Secundum Cæſarem gentilem ſuum Orthodoxæ Religionis zelo nobis exhibens. Pro Sacro Imperio plurimos fæliciter labores exantlauit; vbique in comitiis & diætis Imperialibus fortiſſimus Fidei Catholicæ athleta ſtetit, pro pace inter Chriſtianos vniuerſali, & bello Turcis communiter indicendo conſilia ſua ſtrenuè direxit; quo nomine Clemens Octauus Papa ſingulari Diplomate (quod breue Apoſtolicum vocãt) ingentes eidem grates agendas cenſuit. Fuit & ei ſanctum, fælixque bellum aduerſus Gerardum Trucſeſium intruſum in Electoratum Colonienſem: Caluiniſmum in Aquiſgranenſe Oppidum irrepentem, & iam germinantem ex Cæſarea commiſſione auulſit, Catholicum ibi Magiſtratum detracto hæretico reſtituit. Ditionem verò ſuam Leodienſem non in centro tantùm & viſceribus, ſed in finibus & fimbriis à lue hæreſeos intactam, tutamque præſeruauit: Ducis Alenſonij, à receſſu Mathiæ Archiducis, Ducatum Brabantiæ ambientis, & Oppida Leo-

diensis Principatus per emissarios suos affectantis, secretos, mortiferosque conatus anteuertit.

Amplum Palatium oportuno & salubri loco intra vrbem conditum, irriguum aquis, ædificiis & hortis permagnificum (quod Domus Bauaricæ nomen ab eo obtinet) in vsus Valetudinarij infirmiorum pauperum & nominatim indigenarum conuertit, censibus opulentis eam in rem assignatis. Quo in Nosocomio non tantùm quæ ad curam corporum, & morborum medelam congruunt, suppeditantur, sed, vt ægrorum animabus apprimè consultum esset, Moniales hospitalariæ perpetuis temporibus ibidem sunt collocatæ languentium ministerijs incumbentes, necnon Sacerdos peculiaris continuus parochus, quotidie sacrum Missæ sacrificium celebraturus, & suo tempore Sacramenta Ecclesiæ administraturus. Monumentum inconcussæ æternitatis, Deo acceptissimum, & pyramidibus Ægyptiorum Regum ad caducæ memoriæ subsidium frustrà excogitatis (quòd Regum nullus qui eas in sepulchra condidêre in ijs sit, manseritue sepultus) longè perennius.

Ei debet electio Consulum & Magistratus Ciuici formam illam ingeniosam anno 1603 præscriptam, abusus à stirpe & radice auulsuram, rimasque corruptelis per apertas feneſtras, si non ianuas, intrantibus obstructuram: nisi inuia ambitioni quorundam candidatorum, & gulæ vilis plebeculæ nulla via esset. Seminarium Theologicum Leodij instituit, vt ex eo post sufficiens studium, viri docti & bene morati Sacerdotio initiati, in Ecclesias Parochiales, futuri idonei Pastores per Patriam

& Dioe-

& Diœceſim Leodienſem, in ſacram Coloniam dimitterentur, vberem in vinea Chriſti meſſem demeſſuri. Poſtremò conſpicuum Collegium in Seminarium parochorum fundauit in Celeberrima Academia Louanienſi; in cuius frontiſpicio optimo iure quis inſcripſerit, quod olim apud Ægyptios in ſacra Bibliotheca legebatur annotatum, *Animi Medicamentum.*

Quàm maturus in deliberationibus, tam promptus in exequendo, & totus ſibi in periculis præſens. Harangierus ordinum ductor pro Fœderatis Prouincijs anno 1595 menſe Ianuario arcem Hoienſem nocturnis dolis & proditione perditiſſimi cuiuſdam ciuis (cognomento Greuiſſe) ad radices rupis, in cuius culmine arx eſt ſita, habitantis, per triginta viros ſelectos interceperat, deque euentu doctus cum quatuordecim equitum centuriis, & duodecim peditum vexillis præparatis aduolans, oppidum vnà in poteſtatem redegerat. Magnanimus Princeps ad nuncium Sinonianæ fraudis, gnarus ingruente ex improuiſo neceſſitate, arripienda potius quam ſequenda conſilia, & celeritatem eſſe animam executionis, ne momento quidem cunctatus, abiecto cibo in arma proſiliit: & Harangierum ipſum præmiſſa ſubitariorum cohors præuenerat, niſi Oppidanorum aliqui hoſtibus addictiores, ijs portas vrbis patefeciſſent. Sed nihilum animo fractus collecto milite vrget obſidionem, auxiliaribus copiis Regiis, quibus Fontanus, Berlemontius, Mottæus & alij primarij proceres præerant, potiſſimùm adiutus. Admotis ſchalis decimo & tertio die Martij non ſine cæde hoſtili Oppidum receptum, & vigeſimo eiuſdem mẽſis Arx in deditionem

venit, mille & quingentis ictibus machinarum bellicarum percussa. Deditam Rex Catholicus memoranda in omne æuum beneficentia Principi restitutam voluit, cauto vt deinceps Vrbi & Arci tutandæ Gubernator imponeretur. Velocitatis præmium mox patuit, quod iam septingenti equites & bis mille pedites expediti à Principe Nassouio ad agrum Colonienſem aduentarant, & Turenuæ Comes militem vndique cogeret Nassouianis iungendum. Ita Semiramis, planè virilis spiritus regina, circa cultum capitis occupata allato nuncio Babylonem defeciſſe, altera parte crinium adhuc soluta protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decorem capillorum in ordinem, quàm tantam vrbem in suam potestatem redegit. Sic Claudius Nero Annibali in Italia oppositus audito Asdrubalem Annibalis fratrem superatis iam alpibus approperare, ad Liuium Salinatorem collegam dies noctesque, non intermisso itinere, tetendit, duplicatis viribus cum Asdrubale pugnauit, & eâdem celeritate in sua castra reuersus, occisi Asdrubalis caput ante stationes Annibalis fraterni casus ignari proiecit.

Immortalia ne speres monet annus, & almum,
Quæ rapit hora diem.

Mortuus est incomparabilis Princeps die 17 mensis Februarij 1612, eodem penè tempore, certè anno, & mensis duntaxat vnius interuallo, cum Rodolpho Imperatore eius nominis Secundo. Annum obitus vtriusque Numerale hoc distichon, cuius affinis meus Petrus Roscius author tunc fuit, dupliciter indicat, alludens

ad

ad bina succeſſiuè Principis ſymbola, vnum, ALTERA PARS AVDIATVR, alterum, OMNIA.

ALtera pars tantVM perIIt pereVnte RoDoLpho
OMnIa In Erneſto rapta fVere DVCe.

Lugubre amænis Camænis fatum, verum ſuum Apollinem ſublatum gementibus. Qui in abditioribus multiformis naturæ arcanis, cum Ariſtotele & Plinio Seniore, ſciuit ſcibile quicquid fuit, & peritè potuit de ſingulis artibus cum ſingulis artificibus philoſophari. Tenens cum Orpheo plectrum, cum Æſculapio baculum, cum Archimede radium, cum Perdice circinum, cum Vetruuio perpendiculum. Inueſtigans cum Thalete tempora, cum Atlante ſydera, cum Zeto pondera, cum Chryſippo numeros, cum Euclide menſuras. Tum in conuentibus & conſeſſibus Imperialibus & Electoralibus quâ pluſquàm Frontoniana grauitate, quo Periclæi eloquij flumine momentoſa negotia Dei & Eccleſiæ Catholicæ honorem, Sacrique Imperij ſalutem & decus tangentia tractauit? quanto rationum robore, quali maieſtate & authoritate, quàm fælice ſucceſſu, quæſtiones difficultatum ſpinis hiſpidas extricauit? & rogatus ſententiam dicere, vt pro materia propoſita, neruosè, luculenter, ponderosè, & concludenter diſſeruit? quandoque diuidens vt Socrates, & explicans vt Plato, nunc tonans cum Demoſthene, vernans cum Hortenſio, tardans cum Fabio; modò ſuadens cum Catone, diſſuadens cum Appio, &, vt plurimùm, cum Cicerone perſuadens.

Non Romani Germanicum, Perſæ, & Macedones

Alexandrum, quantum subditi, alienique Ernestum luxere. Vero gemitu, & nequaquàm ad ostentationem composito. Luctum temperauit Sereniſſimi Ferdinandi Bauari eius nepotis certa succeſſio. Viuo enim Coadjutor datus fuerat: in quo tanquàm Phœnix Arabicus reuiueret. Verus Phœnix vtinam quinque saltem ætates (quot esse Phœnicis maximè vulgatum est, etsi mille quadringentos sexaginta vnum annos aliqui tribuant) perennet? Qui thure & succo viuit amomi. A VITA nimirùm FIDE: vt non sine causa pro symbolo & hieroglyphico ei sit; & MORVM SANCTITATE. Quique, velut inter cinnama, nardum, casiam & myrrham, quibus sacra Soli volucris nidum construit, in mediis exquisitissimorum meritorum odoribus æuum traducit. Cuius encomiis supersedeo impræsentiarum; ne palpum obtrudere videar. Quanquàm Heroicarum culmen virtutum multis contignationibus transcendat assentationis gradationes. Ne quod Pescennius Niger (quem Apollinis Delphici vates consultus respondit Optimum esse Imperatorem) cuidam panegyricum recitare volenti dixit, fortè audiam: Scribe laudes Scipionis, vel Annibalis; aut alterius Ducis optimi vita functi, vt quod ille fecerit etiam nos imitemur. Nam viuentes, maximè Principes, à quibus speratur, laudare ridiculum esse: se viuum placere velle, mortuum etiam laudari. Istud tantùm nunc dixero. Si virtus ipsa suis absolutissima numeris artifice delineari posset penicillo: non vt Praxiteles ad Gnidiam Venerem effigiandam è præstantissimis forma fœminis quod erat perfectius collegit; vnius Ferdinandi

dinandi Principis vultum (formam Imperio dignam) animum, & mores, ei ad viuum exprimendæ abundè ſuffecturos. Vbi tanquam in nitidiſſimo ſpeculo, Epaminondæ ſapientiam, Themiſtoclis prudentiam, Phocionis patientiam, Ariſtidæ integritatem, Socratis conſtantiam, lenitatem Iulij, liberalitatem Titi, Alexandri Mammæi iuſtitiam, Auguſti humanitatem, pietatem Caroli Magni progenitoris, & Henrici Secundi conſanguinei caſtitatem cerneremus repræſentari. Seu, vt compendio complectar, velut in altera noui Archimedis vitrea ſphæra, loco cæleſtium motuum & ſyderum, diuinas dotes vndequaque interlucentes contemplaremur. Verùm rursùs Timantis in hoc Agamemnone, & Euphranoris in Ioue efformando manus deficerent. Nec totius Parnaſſi ſolertia in vnum contracta eò valeret aſſurgere. Et ſuus alibi locus erit, aſpirante ſuperi numinis aura, copiosè pro veritate de rebus eius Principatu in hunc diem geſtis differendi.

Interim facturum me abſque diuerticulo, & non abs re arbitrabor ſi ſtilo hodie ad fulgorem emicantium illius virtutum temperans, ad parentis vtriuſque laudes orationi erumpere luctanti habenas ad vnam aut alteram curſuram laxauero. Fortes creantur fortibus, & bonis boni, præſerim quando congrua educatio accedit. Leo leporem non generat, nec Aquila palumbem.

Dux Guilielmus Quintus, Pij nomen iure optimo ſortitus, pater fuit. Pij cognomen Metellus Pius inter Romanos, quantum autumo, primus lachrymis ſuis clarum effecit, à pertinaci erga exulem patrem amore

illud

illud assecutus. Guilielmus ab omni pientissima vita, in qua liuor nihil carpere, aut maculæ speciem appingere queat, honorificentissimum Pij titulum accepit. Non texo vitæ historiam; proprius est aliorum scriptorum optimus labor; duplicem tantùm demeto spicam è fæcundissima segete. Non quod plurimæ actiones cum his duabus de palma concertare non debeant, sed quia primæ legenti sub manu quasi nascuntur. Vna est; ardentissimi quem semper erga Immaculatissimam Deiparam gessit, affectus symbolum. Vnicum, offerentibus sese innumeris, referam. Tantus Princeps nuptiis alligatus (quæ vnæ fuerunt), in ætate virili constitutus anno 1585 postpositis quibuscunque, solius gratia religionis procul ad Ædem Lauretanam peregrinari sustinuit. Modum ex P. Antonio de Balinghen in sua Ephemeride expono. Præmissis donis sanè regiis, equo generosissimo, iconeque argentea ebeno inclusa Virginis IESVM puerum gremio gestantis & in Ægyptum cum Iosepho fugientis, candelabroque argenteo rarissimi operis, librarum octoginta, in quatuor & viginti ramos totidem cereis continendis, expanso, numerata insuper in perpetuos cereos dote, ipse ignotus eò perrexit, turbæ immixtus nullum admittens genubus scabellum, ad plures dies tam assiduus fuit in orando, vt in Deiparæ Virginis domo habitare videretur. Eidem obtulit libellum ex auro solido gemmatis sigillis egregiisque imaginibus exornatum, cuius etiam integumentum ex auro vnionibus gemmisque clarissimis opere mirabili perfectum pendebat ex tribus catellis aureis, quas ex aureo fluentes annulo ingens Sapphirus excipiebat.

Necnon

Necnon Christum aureum resurgentem, cuius sepulchrum adamantibus pyropisque collucebat. Alterum permanentius est, & sua difficultate raritateque prodigio aut miraculo proximum. Quod Octauius, Augustus crebrò, dubitem an seriò, Marcus Aurelius, & Pertinax Romæ sæpius meditati, Diocletianus ad Salonam ligonem hortensem diademati, & olera basilicis anteponens obsoniis exercuit: & fæliciùs fæliciſſimus, inuictiſſimusque Carolus Quintus Cæsar, reposito ad manus Ferdinandi Primi germani sui Romano Imperio, & onere omnium Regnorum & Prouinciarum in validisſimos Philippi Secundi filij humeros reclinato, reseruans sibi tantummodo ex immensis opibus patrimonialibus centum aureorum millia, stupentibus terrarum Regibus, cunctisque mortalibus incognitam, at solidiſſimam animi magnitudinem admirantibus, ad Diui Iusti Hyeronimianum cœnobium continuo ante mortem biennio peregit: beatiſſimus Dux Guilielmus plurimis ante obitum annis valens, pollensque exuta purpura & Ducali corona, transmiſſaque in caput capaciſſimum Maximiliani primogeniti vtriusque Bauariæ dominatione, in Palatiolo separato propter ædem & domum Patrum Societatis IESV Monachij, quasi homo priuatus expleuit. Ad exemplum Similis sub Adriano Imperatore Præfecti Prætorio, qui vacatione muneris impetrata, in otio & quiete per annos septem residuum ætatis exigens suo sepulchro inscribi voluit, *Similis hìc iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit*, dicerem eum abdicatis Ducatibus tot vixisse annis, quot ab inde annos transegit, nisi totam

omnino ætatem in ipso fastuum aulicorum culmine, vt alter Theodosius duxisset, tunc etiam maximè solus, cum minimè solus esset, & fontis Arethusæ instar, salsis pelagi, mundi huius, vndis inuolutus dulcorem omnis exsortem salsitudinis retinuisset. Ipsa spacia vitæ sic custodiebat, vt per horarum dispositas clepsydras explicarentur. Non alius ei Veneris vsus quàm progenies: & vbi coniugij precium mercedemque accepit decimam sobolem, Sanctissima vxor pro sorore deinceps ei fuit.

Sereniſſima ea Renata fuit Franciſci Lotharingiæ Ducis, & Chriſtiernæ Chriſtierni Secundi Daniæ, Noruegiæ, & Sueciæ Regis filia: Heroina Herôe illo digna. Coniugium proinde vndequaque beatum, ſanguinis paritate, mutuo amoris fœdere, morum conformi ſymphonia compoſitum. Vnde pientiſſima fæmina, ijſdem ac maritus artibus, Piæ apellationem eſt adepta. Viuentes, mortuique ambo, ille Guilielmus Pius, hæc Renata Pia audiuerunt, audiuntque. Stemmatis claritate pares, ad Carolum Magnum, & Caroli Magni maiores genus ſuum referentes. Vt duobus nonnunquàm ingentibus fluuiis contingit ab eodem principio ſcaturientibus, qui poſtquàm longa terrarum ſpacia curſibus ſuis fuere emenſi, ortus ſuos repetunt, & in prima aluea recurrunt: ita lectiſſimi coniuges per matrimonium in priſtinam ſuam Carolorum, & Pipinorum domum coniunctàm rediuerunt. Franciſcus enim Renatæ pater, Antonij filius, & Renati nepos, Lotharingiæ Ducum, per Ludouicum Vltramarinum, Carolum Tertium, dictum Simplicem, Ludouicum Balbum, Carolum Caluum ex

vxore

arbitri miraculi loco habuerunt quod tantillo cibo quem delibabat veriùs, quam edebat, superesse posset. Bis per diem in conscientiam suam inquirebat, ternis Missæ sacrificijs intererat: octauo quoque die, Solemnioribus & peculiaribus festis extra ordinem computatis, Sacramentalem confessionem obibat, toties sacratissimam sumebat Sinaxim, & quotānis generalem actæ vitæ rationem Deo apud Sacerdotem reddebat. Quàm munda quæ maculas omnes tanta sollicitudine elueret? At quales maculas? Leuiusculas & minutulas; cum, quantum homini licet, expers esset culparum. Etiam in candidissima Luna maculam, in fulgentissimis Phœbi radiis volitantes atomos defixus oculus cernit aut cernere putat; & correctissimam Helenæ faciem verrucula non deturparet.

Fide dignorum relatu constitit, eam nullam vnquàm toto vitæ curriculo læthalem labem contraxisse. Sacerdos probissimus, qui à confessionibus ei fuerat, mortuæ id testimonium præbuit, his ipsissimis verbis, *Quam piè & sanctè hæc Princeps vixerit attinet dicere. Istud ausim affirmare, innocentiam quam in baptismo accepit, in mortem vsque constanter & seriò seruauit.*

Et Gregorius Roseffius Societatis Iesv in Germania Prouincialis oratione funebri anno 1602. 31 Maij sanctis defunctæ manibus parentans, idem palam deprædicauit. Subcisiuis horis, quod Olympiadem Alexandri Magni matrem, & Liuiam Augustam Augusti vxorem factitasse legimus, in Gynæceo acu pingebat: de rebus interim diuinis colloquia miscens, aut è sacro libro prælegentem auscultans. Exosa scænicos, mimos, ludiones, &

totum

totum leuitatis instrumentum; non tanquã nutrimentã virtutum, sed viciorum irritamenta. Adulatores etiam & detractores æqualiter oderat; quod adulatio sit pessimum veri affectus venenum, & nullum animantium genus adulatore pernicioſius: qui (iuxta Hugonem Victorinũ) amicus est in officio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad aduersa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria: vt iure Athenienses Demadem adulationis insimulatum decem mulctarint talentis. Detractores autem, quos Imperator Pertinax ideò vrbe proscripsit, occulti sint alienæ existimationis expilatores, & secundùm Theocritum, vt Leones & Vrsi in siluis, sic obtrectatores in vrbibus ferarum immaniſſimi. Si quisquam forte è famulitio proximum qua in re læsisset, statim comi & seria grauitate identidem illud verè Christianum oggerebat, Quod tibi nõ vis fieri alteri ne feceris. Quod ante eam Alexander Seuerus optimus Princeps (Christum etsi Ethnicus in primo suo Lario habens) in palatio & publicis operibus iussum prescribi, frequentabat, & per preconem cum aliquem emendaret, dici iubebat. Publicis se negociis immiscere refugiebat, dictitans acum, lanam, & colum esse fæminarum. Dux tamen maritus experientia edoctus prudentiam & fælicitatem eius in consilijs, in rebus nonnunquàm perarduis prerogare sententiam, quæ edicebat pro oraculo amplecti, & ad normam de summa rerum decernere. Tanti certè à marito estimata, vt nunquàm ille de ea sermonem apud Prouinciarum suarum Ordines, aut inter Proceres faciens, prefationem honoris omitteret, Sanctam toties

ties coniugem ingeminando. Vbi Christianæ Charitatis mentio incideret, solitus fuit dicere, Si charitas per Diuum Paulum Gentium Apostolum in Epistolis sacris descripta, mortali posset exprimi penicillo, Sereniſſimæ coniugis vitam, viuam illius imaginem futuram. Accedebat vultus, animæ speculum, constanti tranquillitate perennè serenus, à quo, iuxta humaniſſimi Titi sententiam, nemo potuisset tristis recedere. Ad ęgros & pauperes perpetim attendebat. Ægris Nosocomium erexit erogatis viginti aureorum millibus. Quamdiu per valetudinem licuit quos morbo detineri intellexisset, per se inuisit, cibis delicatioribus, medicamentisque adiuuit, & incredibili humanitate desponentes animo, spe erexit. Vbi vires huic non sufficerunt officio, vicarias operas adhibuit. In pauperes munificentiſſima. Vltra prędtitutam grandem auri summam quotannis in obuios stipem petentes distribuendam, per selectas vtriusq; sexus personas, in vrbe, cõpitis, suburbiis & pagis vicinis inuestigabat egenos, &, ne indago vana foret, singulis subueniebat. Nouiſſimis septem annis binas & septuaginta (ad numerum fortè septuaginta duorum Christi discipulorum) pauperculas mulieres aluit, queis victum, vestitum, & cætera ad vitam necessaria tradidit; & ex illarum numero quotidie duodecim per vices & turnatim ad mensam excepit, cibum propriis manibus apposuit, sedentibus velut pedisequa & pincerna inseruiuit. Ritu à Carolo Magno sanguinis authore non absimili, qui dietim duodenos pauperes iuxta mensam suam iubebat adsidere. Prout & Sereniſſima Margareta Austriaca Philippi Tertij Hispaniarum Re-

gis coniunx, Philippi Quarti, & Ferdinandi Archiducis Infantis, Imperatricisque & Galliarum Reginæ mater, in omni vita ipso Annuntiationis Deiparæ Virginis die obseruauit, dum in honorem nouem Festorum eiusdem Virginis, fæminis nouem egenis suis ipsa manibus cibum ministrauit. Idem Sereniſſima Clara Eugenia Austriaca Belgicæ Princeps Sereniſſimi Alberti Archiducis Austriaci coniunx, in duodecim pauperibus eodem Annuntiationis festo, & ipso Iouis Sancto quotannis frequentauit. Sileant prisca veterum Romanorum Saturnalia, quibus in memoriam Saturni sub quo bona fuisse communia finguntur, serui ad heriles epulas vnà admittebantur? En Christianæ Principes, ad quarum pedes fas est subditos omnes prosterni, in Dei & Deiparæ honorem subditas & seruas suas pauperes mensa non dignantur tantùm, sed & ancillulis suis in mensa ancillantur? Nil addo super: nimia mira' exposui. Veriſſima nihilominus, Pythicis cortinis, & aheno Dodonæ certiora. Quidni? Sanctitas Renatæ à tenerrimis annis Christiano prȩmonstrata fuerat augurio. Apes intra Platonis in cunis vagientis labia mellificantes mellifluam facundiam, & Formicæ in ore Midæ infantis frumentantes ditiſſimum mortalium prȩnuntiarunt: Princeps Renata vix dum infantiam egressa, efficacius omen futurȩ deuotionis prȩbuit, dum in periculoſiſſimo morbo desperata à medicis, & complorata à parentibus post plurium dierum silentium, ex elingui vocalis repentè effecta hanc vnam vocem edidit, *Gloria tibi Domine.*

Claudo. Quid magni miri si Sereniſſimus Ferdinandus Vtriusque Bauariæ Dux, Elector Colonienſis, Leodiensium

sium Princeps ijs sit sanctis moribus à tam sanctis parentibus ortus & educatus? Piorum parentum vestigia, eisdem insistendi sunt illecebrosæ cuiusdam necessitatis incitamenta.

FINIS.

ERRATA.

Curriculo percurrens typographi operam plures lituras offendi. Humane Lector ne ijs offendaris, quas humana parùm cauit natura. Aliquas interim hùc congessi. Non omnes: cæteras legentis oculus deprehendet & emendabit. Hæ sunt.

Pagina 11. pro *Ab origines*, lege Aborigenes.
Pag. 12. pro *Rheæ Siluæ*, lege Siluiæ.
Pag. 14. pro *sequus*, lege sequtus.
Pag. 25. pro *sons*, lege fons.
Pag. 31. post Diuus Maternus *adde* missus.
Iterum pag. 31. pro *inacessibilem*, lege inaccessibilem.
Pag. 37. pro *Imperu*, lege Imperii.
Pag. 39. pro *Aluaticorum*, lege Aduaticorum.
Pag. 74. in lincâ 14. Quod qui *expunge* qui.
Pag. 83. pro in Iupilia & Herstallo, lege Herstallio.
Pag. 103. pro Critias pone Carneades.
Pag. 105. pro *fese*, lege sese. Pag. 106. pro *apellat*, lege apellant.
Pag. 111. pro *licentosore*, lege licentiosiore.
Pag. 121. Carolus 6. Kalend. Decemb. 1346, intellige non Carolus sextus sed sexto Kalendas Decembris.
Pag. 128. pro *fulgre*, lege fulgore. Pag. 132. pro *onium* lege ouium.
Pag. 142. pro *popularum*, lege popularium.
Pag. 153. pro *secendum*, lege secundum.
Pag. 155. pro *ei delinquentes*, lege delinquentes ei.
Pag. 161. pro *acceptas*, lege acceptos.
Pag. 176. pro *munienda sunt*, lege munienda sint.
Pag. 199. pro *corrosa*, lege corrasa.
Pag. 207. pro *inuenis*, lege iuuenis.
Pag. 226. pro *coaptanto* lege coöptanto; etsi neutrum improbetur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pag. 232. pro *ſuplipiter* lege ſuppliciter.
Pag. 235. pro *Cuius ſceleris* lege Cuius ſceleri.
Pag. 235. pro *in dextra mamillæ parte*, lege in læua.
Pag. 239. pro *analphabetarium*, lege inalphabetarium.
Pag. 248 pro *inſitum*, lege inſitum.
Pag. 254. pro *propriæ*, lege propria.
Pag. 255. pro *legatonis*, lege legationis.
Pag. 264 pro *iuſpicerent*, lege inſpicerent.
Pag 265 pro *adſtringuntur*, lege adſtringantur.
Pag. 313. pro *maricidæ*, lege mariticidæ.
Pag. 322. pro *deloque*, lege doloque.
Pag. 328. pro *manuum conſertationem*, lege conſertionem.
Pag. 332. pro *fruſtra*, lege fruſta.
Pag. 345 pro *vetuſtiora ac recentiora*, lege an pro ac.
Pag. 365. *mucrone* pro mucrone.
Pag. 425. pro *Critiæ*, lege Cyneas.
Pag. 435. pro *munus & poteſtas*, lege munus eſt & poteſtas.
Pag. 439. pro *faces iacentibus*, leges faces iacientibus.
Pag. 443. pro *artitulos*, lege articulos.
Pag 458. pro *nane Argo*, lege naue Argo.
Pag. 460. poſt *Anſeremia*, parentheſis eſt transferenda poſt dictionem acquiſiuiſſe.
Pag. 486. pro *non fuit plures*, lege non ſint plures.
Pag. 507. pro *earum regionem*, lege earum regionum,
Pag. 518. pro *iuſcio Domino*, lege inſcio Domino.
Pag. 519 pro *Epiſco*, lege Epiſcopo.
Pag. 526. poſt, Gerardum Truceſium intruſum in Electoratum Colonienſem, adde, ſeu in eo apoſtatantem.
Pag. 637. pro *filij duo*, lege *filij tres*. Tot namque filij ſunt Ducis Alberti Bauari, decus ſæculi, Auguſtæ ſuæ domus ornamentum, tres velut in Rege tricorpore Geryone vnâ concordiâ fratres.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

Discursus iste, in duos Libros & per Capita distinctus, inscriptus Leodium Ecclesiæ Cathedralis siue de Dominio, Regalibus, Mero, Mixtoque Imperio, ac Omnimodâ Iurisdictione Sereniſſimo Principi FERDINANDO BAVARO Episcopo & Principi Eburonum Competentibus in Vrbe Leodiensi Sacro Romano Imperio mediatè subiectâ, *cum sit opus pereruditum, copiosum Historijs, rebus Politicis & Legibus, refertum item plurimis rationibus & argumentis, quibus Episcopi & Principis, Ecclesiæq; Leodiensis in Ciuitate Leodiensi iura Author fortiter astruere & demonstrare videtur, nec etiam quicquam contineat contra fidem aut mores, typis mandari potest. Namurci 4. Aprilis 1639.*

GVIL. MIEVLX S. T. L. Can. & Pœnitent. Namurceñ. ac Librorum Censor.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lectiones
Eccles. Cathe
dralis
Libri II

Th
5111

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN